PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

3 2
1943

TOM. XXXII / FASC. I
15 FEBR. / 1943

ALMA COLLEGE
LIBRARY
PDRM
Alma, California

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1943

23701

FASCICULI INDEX ANALYTICUS

I - Dissertationes et quaesita varia

pag.

De Mendacio - Prima pars: De gradibus deformitatis actuum, MICHAËL LEDRUS, S. I. 5

De sacerdote ficte suscipiente ordinem presbyteratus, ULPIANUS LOPEZ, S. I. 59

II - Monumenta

SS. D. N. Pius Pp. XII

1 - Nuntius radiophonicus in pervigilio Nativitatis D. habitus 67

Annotationes, G. GUNDLACH, S. I. . . 79

4 - Acta summatim relata 118

S. Congregatio Rituum

5 - Acta summatim relata 119

S. Paenitentiaria Apostolica

2 - Decretum de indulgentia plenaria tempore incursionis aëreae lucranda 96

Annotationes, I. M. RESTREPO, S. I. . . 97

P. Commissio Codicis i. c.

3 - Responsa ad proposita dubia data d. 27 iulii 1942 . . . . . .

Annotationes, PH. AGUIRRE, S. I. - I. M. RESTREPO, S. I. 103

Provisiones ecclesiarum (6) 119

Necrologium (7) 120

Notae bibliographicae 121

Inscriptiones:

Pro omnibus scriptoribus huius fasciculi: Pontificia Università Gregoriana, Piazza della Pilotta, 4.

Pretium subnotationis annuae

In Italia L. 30; extra Italiam L. 40

Subnotatio expresse non revocata continuari censetur.

Approbantibus Superioribus Ecclesiasticis

P. ARNALDO PARENTI - Univ. Gregoriana, Roma - Responsabile

Typis Pontificiae Universitatis Gregorianae, 1943

PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XXXII / FASC. I
15 FEBR. / 1943

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1943

V.32
1943

IMPRIMI POTEST

Romae, 23 febr. 1943

P. EMMANUEL PORTA
Praep. prov. Rom. S. I.

IMPRIMATUR

Romae, 27 febr. 1943

† ALOYSIUS TRAGLIA
Archiep. Caesariens. Vic. Ger.

ROMAE - TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE MENDACIO

INTRODUCTIO

I. *Auctoritas praecipua.*

1. « *Magna quaestio* est de mendacio, quae nos in ipsis quotidianis actibus nostris saepe conturbat » [1].

« *Magna quaestio* est, nec a festinantibus commode explicari potest » [2].

« ... cum *quaestio* sit in qua dissolvenda *etiam doctissimi fatigantur* ... » [3].

« Verum hic *difficillima et latebrosissima* gignitur *quaestio*, ... utrum ad officium hominis iusti pertineat aliquando mentiri » [4].

S. Augustinus nunquam existimavit se quaestionem de mendacio absolutam tenuisse. Sane tamquam propriam suam sententiam uniformiter declarat peccatum esse omne mendacium [5]; attamen quando huiusmodi conclusivae assertiones, ut saepius in scholis factum est, e contextu suo desumuntur et tamquam documentum « ridigae » positionis S. Augustini proponuntur, penitus deformatur ipsa doctrinae eius *figura*.

---

[1] S. Augustinus, *De mendacio* (a. 395), n. 1.
[2] S. Augustinus, *Quaest. in Hept.* (a. 419), II, 71.
[3] S. Augustinus, *Contra mendacium* (a. 420), n. 33.
[4] S. Augustinus, *Enchiridion* (a. 421), c. 18.
[5] Ibidem. - *Contra mend.*, n. 35. - *De mend.*, n. 42, etc.

Nimium esset dicere quod absoluta mendacii reprobatio remansit apud S. Augustinum in statu opinionis; at negari nequit eam admixtum quoddam elementum dubium difficultatemque facessens cum elemento certo animoseque contra Priscillianistas propugnato retinuisse. Aptius diceres positionem apprime *firmam* S. Augustini adhuc quadantenus *obiective indefinitam* in mente eius perseverasse; quippe quae non impedit quominus quaestio, productis undecumque argumentis, ut videretur, resoluta, ulterius nihilominus eum intime suspensum teneat. Haec autem mentis Augustini suspensio satis exacte delimitari nobis videtur intra sequentes terminos: ex una parte non sufficienter exprimitur eius sententia dum intelligitur tenere mendacium tamquam *per se* tantum illicitum, per accidens autem quandoque licitum; ex altera parte vero exaggeratur eius sententia dum intelligitur tenere mendacium ut *indiscriminate* illicitum; in quo nempe casu iam illi non remansisset ulterius quaerendum. Sententia S. Augustini, saltem ut summatim formulatur, ulteriorem expectat *qualificationem*, cuius tamen elementa *in ipsis eius scriptis* hinc inde proferri nobis videntur, deficiente tantum complexiva eorum formulatione.

« Rigida » positio S. Augustini expresse limitatur mendacio in doctrina religionis. « Hoc primitus et firmissime statuto, *de ceteris* mendaciis securius *quaeritur* »[6]. « Alia *quaestio est*, sitne aliquando mentiri viri boni; alia quaestio est, utrum scriptorem Sanctarum Scripturarum mentiri oportuerit: immo vero non alia sed *nulla quaestio* est »[7].

2. Igitur, stante sententia, seu potius sensu morali, absolutae reprobationis cuiusvis mendacii, praesertim in christiano et in viris perfectis, quaestio de illiceitate mendacii visa est S. Augustino quadantenus clarificanda; iacet

---

[6] *De mend.*, n. 18 - *Contra mend.*, n. 37.
[7] *Epist. ad Hieron.* XXVIII, n. 3 - Cfr. *Contra mend.* n. 25, etc.

insoluta etiam in libris *Retractationum* (a. 426), ubi priorem suum *De mendacio* librum, quamquam « et obscurus et anfractuosus et omnino molestus » sibi videretur, retractatum tamen [8] manere praecepit, quia in illo libro, cuius « magna pars », ait, « in inquisitionis disputatione versatur », « nonnulla sunt necessaria, quae in illo altero [9] non sunt » [10]. Haec autem *necessaria* manifeste non reducuntur ad communem utrique libro reprobationem mendacii, sed potius intelligenda sunt de iis quae « in inquisitionis disputatione » proposita sunt.

Quoniam vero humilitas sancti Doctoris non impedivit quominus ipse agnosceret laborem suum, licet defectuosum, habere « non inutilem ingenii et mentis exercitationem » [11], visum est de illo non aliter esse sentiendum, nec superficie tenus illi esse incumbendum. Collatis autem iis quae ibi proponuntur cum iis quae per transennam aut data opera in ceteris S. Augustini operibus proferuntur, evanescit omnino mythus « rigiditatis » augustinianae in materia mendacii. Miris rarisque admodum ingenuitate simul et ingenii perspicacia, Doctor veritatis dolens agnovit limites — angustiae praesertim temporis imputandos — inhaerentes ipsis suis investigationibus, quae tamen illum

---

[8] Ideoque opus *De mendacio* maturiorem etiam quadantenus cogitationem S. Augustini repraesentat. Has tamen etiam retractationes festinanter absolvere coactus est, prout fatetur in epistola sua ad Quodvultdeus (a. 428): « Coactus sum remissius agere quod agebam, ut operi utrique non deessem, uni diebus, alteri noctibus, quando mihi ab aliis occupationibus hinc atque hinc venire non desistentibus parceretur. Agebam vero rem plurimum necessariam: nam retractabam opuscula mea; et si quid in eis me offenderet, vel alios offendere posset, partim reprehendendo, partim defendendo quod legi deberet et posset, operabar... » (*Epist.* CCXXIV, n. 2).

[9] *Contra mendacium.*

[10] *Retract.*, I, c. 27. - « Postquam a priori mente decreverat nunquam mentiendum esse, undique suboritur Augustino ambigendi materia... Non diffitetur huiusmodi contradictionibus multum se moveri; sermonem, ut videtur, aegre protrahit in diversas partes; opinantium potius rationes, quam suam ipse sententiam pandit ». (E. RÉCÉJAC, *De mendacio quid senserit Augustinus*, Paris, 1896.

[11] *Retract.*, I, c. 27.

per totam vitam sollicitum habuerunt [12]. Attamen multo plura et luminosa elementa complectitur haec eius suspensa positio quam ulla hucusque proposita doctrina de mendacio; nulla enim est quae planius evolvatur in recta linea complexivae solutionis.

Doctrina S. Augustini minime est mitiganda, sed ex diversis suis partialibus et nonnunquam unilateralibus formulis mutuo collatis ad unitatem deducenda [13]. Formulae quidem e contextu remotae invenientur non ad rigorismum tantum, sed ad laxismum quoque nonnunquam propendere, e. g. cum dicit: « Si aliquis ad stuprum quaeratur, qui possit occultari mendacio, quis audet dicere, nec tunc esse mentiendum? » [14]. Attente tamen legenti patet quod haec doctrina subtiliter simul et tuto et nobiliter traditionem catholicam recolligit, et ad conversationem quotidianam prudenter adaptat. S. Augustinus coniungit cum acutissimo sensu moralium principiorum sensum aeque evigilatum adjunctorum illorum vitae realis quae sub definitionibus et categoriis citius confectis aegre collocantur: « Verum quia homines sumus, et inter homines vivimus, fateorque me nondum esse in eorum numero quos compensativa peccata non turbant, saepe me in rebus humanis vincit sensus humanus, nec resistere valeo ... » [15]. Nullum igitur aptiorem eligere poteris qui investigationes in materia mendacii manuducere valeat.

II. *Limites.*

3. Assumentes igitur in principium quod « cognitio rerum moralium perficitur per hoc quod *particularia* cognoscuntur » [16], et quod « bonarum et malarum rerum *causas*

---

[12] Cfr. *Enchir.*, c. 18, n. 6; *Retract.*, I, 27; II, 60.

[13] Cfr. Ch. Boyer, *Saint Augustin*, « Les Moralistes chrétiens », Paris, 1932, p. 19. - J. Mausbach, *Die Ethik des h. Augustinus*, Freiburg i. B., 1909, vol. I, p. 45. - B. Roland-Gosselin, *La morale de Saint Augustin*, Paris, 1925, p. 127.

[14] *De mend.*, n. 16.

[15] *Contra mend.*, n. 36.

[16] S. Thomas, *In Ethic.*, lib. IV, lect. 15, n. 832.

nosse debemus: et id hactenus, quatenus eas homini in hac vita erroribus aerumnisque plenissima, ad eosdem errores et aerumnas evadendas nosse conceditur » [17], minime intendimus in medias res, ut aiunt, subito nosmet demittere [18], i. e. casus classicos « necessarii » mendacii subito aut festinanter examinandos desumere. Sicut enim horologii vitium non detegitur ex superficiali conspectu, nec reparatur ex casuali motu, ita nec vitium eloquii humani, mendacium nempe, perite cognoscitur absque ipsius eloquii — actus sane nonobstante usuali sua simplicitate complicatissimi [19] — sedula introspectione.

Lentior illa cautiorque procedendi methodus non aliena erit a mente S. Augustini, qui ex defectu otii quondam malebat tractationem in opportunius tempus differre: « Verum, sit illa quaestio, utrum aliquando mentiri necesse sit: non enim modo discutio: latebrosa est, *multos sinus habet*; non vacat omnes secare et ad vivum pervenire. Ergo eius curatio in tempus aliud differatur » [20]. Quis vel simplicem etiam determinationem malitiae intrinsecae mendacii non existimabit perdifficilem, qui ponderaverit nec S. Albertum Magnum [21], nec Scotum [22] de ea protulisse argumentum, tot autem fere argumenta subinde diruta iacere quot elucubrata recenseantur? Nemo tamen fatebitur quaestionem esse per se insolubilem. Restat ergo ut excludatur sane om-

---

[17] *Enchir.*, c. 16.

[18] Cfr. PH. MOREAU, « La morale de la conversation », in *Revue Apologétique*, t. 55 (1932), p. 295.

[19] Cfr. F. KAINZ « Lügenerscheinungen in Sprachleben », in LIPMANN-PLAUT, *Die Lüge*, Leipzig, 1927, p. 212 ss.

[20] *Sermo* CXXXIII, n. 3. - De ambagibus quaestionis cfr. *L'Ami du Clergé*, 18 (1896), p. 561.

[21] Cfr. *In 3. Sent.*, d. 38, q. 1.

[22] De quo Scholiastes notat: « Tenendum cum Divo Thoma, Scot, hic (in 3. Sent., d. 38, n. 5), et communi, mendacium esse indispensabile. Rationem non assignat Doctor, nec sufficit illa quam dat D. Thomas; sed dici potest non haberi rationem huius a priori, sed sufficit dari a posteriori, v. g. si mendacium licite fieri posset, Deus per alium posset mentiri, vel dicere falsum; et sic non esset infallibilis testis veritatis ». (Ed. 1639, vol. VII. 2, p. 921) - Cfr. LUGO, *De virtute fidei*, d. 19, s. 1, n. 2.

nis « via compendiaria » ad solutionem, tamquam proprii — alienique — temporis deperditio; prudenter vero ineatur longior via exactae analysis ipsius mendacii.

4. Expresse autem a parte relinquere debuimus aspectus doctrinae qui non stricte pertinent ad disciplinam ethicam, quamvis pleniorem religiosae S. Augustini sapientiae harmoniam demonstrent. Revera locutio non potest integre tractari, nec mendacium in malitia sua plene aestimari, nisi in conspectu generaliori doctrinae theologicae et philosophicae. Ratio enim habenda est peculiaris dependentiae hominis respectu divini concursus quoad vitam spiritualem, etiam naturalem, in qua locutio nucleum veluti constituit. Sicut enim homo non habet *esse* a semetipso, etiam consequenter ad hoc quod receperit a Deo essentiam in qua subsistet, ita nec *verum* ipsum cogitare, aut proferre, aut exercere valet a semetipso, quamvis receperit a Deo intellectum in cuius virtute naturali iudicet; sicut enim Deus solus habet esse a se, ita Deus solus habet a se adaequationem intellectualem seu perfectionem judicii; unde sicut homo est ab alio sese communicante, ita et ab alio illuminante iudicat in veritate: « quia natura nostra, ut esset, Deum habet auctorem, procul dubio, ut vera sapiamus, ipsum debemus habere doctorem » [23]; a se autem homo labilis seu mendax est in verbo: impar scilicet verbum proprium adaequandi speciei internae etiam sibi appropriatissimae; sed a Deo habet quod imitetur Deum in edendo verbum coaequale speciei in ipso expressae. « Deus per seipsum verax, tu per Deum verax; nam per te mendax » [24]. Unde quidquid « de suo » loquitur homo [25], mendaciter seu *defectuose* eloquitur; non quod in hoc ipso offendat Deum, i. e. per solam hanc suam infirmitatem, sed in hoc radicitus offendit cum, infirmitatem

[23] *De civitate Dei*, lib. XI, c. 25.
[24] *In Epist. Jo.*, tract. 1, n. 6.
[25] *De genesi c. Manichaeos*, L. II, c. 16. - *De perfectione iustitiae*, n. 30.

suam ignorans, lumen veritatis *ut proprium* tenet, in eoque sibi complacet, subtrahens gloriam Deo, sicque inducit mendacii tenebras in ipsum foculum illuminationis suae, dum Illuminatorem abnegat. « Si ergo lumen, quod in te est, tenebrae sunt: ipsae tenebrae quantae erunt? »[26] Sapiens, e contra, « semper Deo infixus est, sive tacitus, sive cum hominibus loquens » [27].

Similia dicenda veniunt circa *bonitatem* communicativam, quae in omni recta locutione exercetur: nemo perfecte bonus, seu inclinatus ad largiendum, nemo perfecte fidelis, ne in minimo quidem, nisi concursus actualis divinae bonitatis deficientiam creaturae ad *aequitatem* bonitatis formaliter roboret [28].

Exinde tamen minime sequitur aliquem non posse de mendacio utiliter tractare absque hoc quod de ultimis etiam eius radicibus ex professo disserat; scientia enim est ex causis proximis; sufficit ut conscius maneat se *partialiter* (κατὰ μέρος) rei cui incumbit attendere, nec ignoret conspectum generalem veritatum universaliorum in quibus quaestio determinatur.

5. Idem dicendum de peculiari mendacii repugnantia super *christifidelium* labia. Quaestio quidem nequit ignorari; oritur ex eorum speciali officio, — illorum praesertim qui sublimiori charactere Christi insigniuntur — respectu *veritatis confitendae*. Sufficiet tamen de eo nunc mentionem fecisse, et meminisse quod S. Augustinus huiuscemodi christiana officia, ut oportet, coram oculis tenebat, cum adversus mendacium invehebat [29].

6. Multum tandem optabamus conclusiones provisorias

---

[26] Mt., 6, 23. — [27] *De ordine*, lib. II, n. 7.

[28] In hoc autem differt concursus ille transcendentalis perfectivus a concursu Dei in actum *caritatis*, quod non ipsa tantum huius actus intrinseca perfectio, sed *habitus* etiam, a quo velut a natura elicitur, « dependet ex actione Dei infundentis, qui sic se habet in infusione et conservatione caritatis sicut sol in illuminatione aeris». (*S. th.* 2a 2ae, q. 24, a. 12). Ex quo ulterius sequitur necessitas motionis Spiritus Sancti (1a 2ae, q. 68, a. 2).

[29] Cfr. *Contra mendacium*, n. 33, etc.

huius investigationis cum fodina illa doctrinae circa mendacium conferre, quae in Sacra Scriptura, S. Augustino duce, latere introspicitur. Nedum doctrina Scripturae limitetur ad iuridicum praeceptum Levitici [30] — in quo tamen formalissima ratio mendacii subindicatur —, vix ulla est ex deformitatibus mendacio implicitis, a qua mendacium in Scriptura nomen peculiare non sumpserit. Sufficiat notasse, et peritorum investigationi proposuisse, quod « mendacium » Vulgatae versionis septem saltem verbis radicitus distinctis, testimonio lexicorum, correspondet, quae respective indicare perhibentur falsitatem, inanitatem, improbitatem: rad. אוּן ; deceptionem, illusionem: הֶתֶל ; frustrationem, dolum: כָּזָב ; perfidiam, fraudulentiam: שֶׁקֶר ; fallaciam, simulationem: כַּחַשׁ ; fictionem: בְּדָא ; nequitiam: שָׁוְא.

Tempus autem non suppetit ad hunc, quem necessitate coacti abrupimus, potius, quam confecimus, laborem ulterius prosequendum, simul et limpidiori sermone levandum, necnon quadantenus forsan mole reducendum; etenim « ideo plerumque in sermone copiosa est egestas humanae intelligentiae, quia plus loquitur inquisitio quam inventio » [31].

Multum tamen iam effectum duxerimus si schematicum conspectum, sceletumque veluti solutionis, a praecipuis saltem suetis confusionibus sufficienter enodatum, satisque robustum ut ulterioribus investigationibus solutionique particularium casuum viam tutam praepararet, elaborasse successerit. Solidum autem profectum quaestionis inducere non poteris, nisi mentem eius tenueris, qui longam aliquam disquisitionem concludens censebat: « Sic ista quaestione ex utraque parte considerata atque tractata, non tamen facile ferenda sententia est » [32].

---

[30] XIX, 11. Cfr. *Ex.* XX, 16.
[31] *Confess.*, XII, 1.
[32] *De mend.*, n. 12.

PRIMA PARS - DE GRADIBUS DEFORMITATIS ACTUUM

PROLEGOMENON

I. *Status quaestionis.*

7. Progressus theoricus per se non est expectandus ex remotione, sed ex perpolitione eorum quae iam inventa sunt, velut cum imago photographica perficitur ex hoc quod instrumentum « ad punctum », ut aiunt, deducitur, praevia eius positione minime mutata. Constat autem quaestionem de mendacio tuto inchoari posse a delimitatione sua traditionali; in qua punctum est de actu quodam *psychologicam* saltem mendacii *speciem* praeseferente, i. e. de *falsiloquio*, seu de sermone falso in se considerato [33]: sicut enim distinguimus homicidium ab occisione, tamquam ratio abstracta seu moralis a ratione concreta seu physica actus, ita et mendacium consideratum in ratione sua abstracta et morali distinguere possumus, saltem investigationis methodicae causa, a sermone falso seu falsiloquio, i. e. ab eo quod mendacio respondet in ordine organicae suae executionis. Qui quidem actus, supposito quod non sit peccaminosus a parte inordinationis moralis ipsi voluntati mendaci essentialis, quaeritur utrum malitiam accipiat a parte « materiae indebitae » super quam voluntas caderet eo ipso quod talem actum qualitercumque intenderet aut admitteret [34]. Ad crisim enim huius actus externi, seu organici, mendacii, i. e. falsiloquii qua talis, vergit integra tractatio de malitia mendacii.

Existitne *falsiloquium non mentiosum* [35], perinde ac

---

[33] Haec distinctio falsiloquii a mendacio proprie dicto non aliena esse videtur a distinctione verborum *untruth* et *lying*. Cfr. NEWMAN, *Apologia*, note G.

[34] *De mend.*, n. 5. - *Sum. theol.*, 2ª 2ae, q. 110, a. 3; et doctores scholastici passim.

[35] Liceat expressionem «mentiosus » ex *Glossario* DU CANGE commodare ad rationem formalem seu adaequatam mendacii.

habemus luxuriam non adulteram, et occisionem non homicidam? Si autem constat de existentia talis actus falsiloquii distincti a mendacio proprie dicto, estne actus ille sicut luxuria, etiam non adultera, quae remanet universaliter illicita, vel sicut occisio, cui *contingit licite* ad effectum deduci?

En nucleus problematis.

II. *Notio descriptiva mendacii.*

8. Iuvat notare quod supradicta notio falsiloquii correspondet formulae scholasticae « locutio contra mentem » prout communiter intelligitur de *sermone* discordante respectu cogitationis. Sensus enim verbi « locutio » frequentius reducitur ad signandum actum mere exteriorem voluntati, pureque imperatum et psychologice concretum (*le langage*), ut e. g. in *Sum. theol.*, 1ª 2ae, q. 71, a. 6.

Quod autem expressio « locutio contra mentem », sic intellecta, et materialis ratio discordantiae in ea signata, habenda sit ut mere *descriptiva*, non ut proprie *definitiva* notio mendacii patet ex ipso modo dicendi auctorum; e. g.

« Mentiri, secundum suum nomen, est contra mentem ire, quod *fit dum* aliquis asserit esse quod credit non esse, vel negat esse quod credit esse » [36].

« Formalis falsitas est, *quando* quis cognoscens falsum esse quod dicit, illud affirmat, aut cognoscens esse verum, illud negat: et hoc est proprie et directe mendacium » [37].

« Mendacium est proprie locutio contra mentem, *cum* videlicet aliud loquimur exterius et aliud interius sentimus » [38].

S. Augustinus etiam cavet ne hanc rationem mendacii exhibeat ut definitionem. Non dicit « mentiri *est* » sed « *ille mentitur qui* aliud habet in animo, et aliud verbis vel quibuslibet significationibus enuntiat » [39]. Non desunt aucto-

---

ubi oportet, distincte signandam. « Mentiri » et « mendacium », ut notum est, ex diversis radicibus derivantur.

[36] Durandus, *In 3 Sent.*, d. 38, q. 1, resp. 1.

[37] Suaresius, *Tr. de Fide*, disp. 3, sect. 1, n. 1.

[38] Lessius, *De iustitia et de iure*, lib. 2, c. 47, dub. 6, n. 33.

[39] *De mend.*, n. 3. - Cfr. *Enchir.*, c. 18. - Ipsa expressio

res qui formulam explicite declarant ut descriptionem [40].

Haec descriptio utique perfecta est in sua linea descriptiva, prout ostendunt auctores, eam recte interpretando de *conscia* falsitate sermonis, etc. At, dato quod irrationalitas qua talis non cadit sub descriptione sed sub iudicio rationali, iure quaeri potest, saltem theorice, utrum species haec physica, i. e. psychologice concreta, mendacii a specie eius morali disiungi nequeat. Siquidem, pace S. Hieronymi asserentis quod « Mendacii est *reatus* aliud in pectore clausum, aliud in lingua promere » [41], reatus, i. e. immoralitas, mendacii est illud ipsum quod formula « locutio contra mentem » non exprimit.

Quod si vox « locutio », ut uniformiter fiet in hac tractatione, accipiatur in suo sensu pleno (*la parole*), ipsum elementum *morale*, — descriptioni quidem non subiacens, sed implicitum in ratione locutionis, — inseritur formulae « locutio contra mentem »; formula autem sic intellecta accipi potest ut definitio proprie dicta « uni et omni » definito conveniens, sed concreta; relinquit enim in obscuro rationem specificam inhonestatis, quam in ea sentiebat vigoroseque signabat Achilles exclamans:

> Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν
> ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν ἄλλο δὲ εἴπῃ [42].

Et sic prima aliqua ambiguitas eliminatur, quin derogetur usui formulae classicae « locutio contra mentem ».

III. *Maior argumenti.*

9. Ne autem processus analyticus per discussiones de principiis moralitatis ad rem attinentibus ultra modum

---

« locutio contra mentem » non videtur esse ipsius S. Augustini, sed in medio aevo derivata ab etymologia verbi « mentiri » = « contra mentem ire »; cfr. Guilelmus Altiss., *Summa Aurea*, lib. 3, tr. 18, q. 2 (Paris, 1500, fol. 215 v.); S. Bonaventura, *In 3 Sent.*, d. 38 q. 2, concl.; et alii commentatores ibidem.

[40] E. g., A. Vermeersch, « De mendacio et necessitatibus commercii humani », in *Gregorianum*, 1 (1920) p. 12; 454.

[41] *Comment. in Ep. ad Eph.*, lib. 2, c. 3. P. L. 26, 482.

[42] *Ilias*, ix, 312.

gravetur, praestare visum est in antecessum determinare ea quae prae oculis habenda sunt circa varias deformitatis rationes in actibus humanis ad solutionem casuum de falsiloquio inveniendam. Necessitas enim strictioris determinationis, seu formulationis magis explicitae, generaliorum quorundam principiorum apparuit ex consideratione confusionum saepius admissarum in hucusque propositis theoriis.

Haec igitur prima pars constituit velut maiorem quandam generalem totius argumenti.

SECTIO PRIMA - DE INTRINSECITATE

I. *Intrinsecitas concreta; intrinsecitas formalis.*

10. Ex dictis apparet quod quaestio, utrum mendacium sit *intrinsece malum*, duplicem sensum praeseferre potest, secundum quod intenditur notio *specifica* mendacii, vel supradicta notio eius *descriptiva*, i. e. ratio moralis vel ratio physica mendacii.

Quando quaestio de intrinsecitate mali ponitur respectu homicidii vel mendacii proprie dicti, quaeritur utrum *in definitione* eorum specifica includatur essentialis quaedam *immoralitas*. Quaestio proinde *theorica* est, et respicit intrinsecitatem aliquam *formalem* malitiae; utrum nempe malum homicidii et mendacii sit absolutum ex genere suo, utpote forma aliqua definita immoralitatis. Sicut quando quaeritur utrum disharmonia sit intrinsece foeda, et harmonia intrinsece pulchra, intrinsecitas intelligitur formalis, seu proprie dicta.

Quando vero quaestio de intrinsecitate mali ponitur respectu occisionis vel falsiloquii, quaeritur utrum in executione eorum necessario *inhaereat* malitia praedicta homicidii vel mendacii, aliave qualiscumque malitia. Quaestio iam non est theorica sed *critica*; et agitur intrinsecitas aliqua *concreta*, id est intrinsecitas *inhaesionis* alicuius

formae vel attributi ad aliquod subiectum; sicut cum quaeritur utrum rosa matutina sit intrinsece pulchra, marcida vero intrinsece foeda. Per se non iam hic agitur nisi malitia relativa.

Hae quaestiones, critica videlicet, seu synthetica, et theorica, seu analytica, altera de *discriminatione* mendacii proprie dicti, altera de *verificatione* illiceitatis propriae mendacii, sedulo disiungendae sunt [43]. Ambae tamen quaestiones pari gressu elucidari natae sunt, siquidem altera ad extensionem, altera ad comprehensionem mendacii pertinet; ideoque inter se virtualiter identificantur: ut quidquid alteri proficiat, alteram expediat; quidquid alteri deficiat, alteram praepediat. Igitur non materialis separatio quaestionum, sed accurata distinctio utriusque intrinsecitatis est prae oculis habenda, secundum nempe quod actus aliquis potest dici intrinsece malus intelligendo adverbium « intrinsece » sive de *actu*, sive de ipsa *malitia*.

II. *Distinctio quaestionum apud S. Augustinum.*

11. Hanc distinctionem ut normam methodologicam proponit S. Augustinus, dum quaestionem ipsam mendacii definit in eo consistere « ne *aut* temere accusemus mendacium, quod non est mendacium, *aut* arbitremur aliquando esse mentiendum honesto quodam et officioso ac misericordi mendacio » [44]. Non ignorat utique quod « de mendacio paene omnibus videtur, quod ubi nemo laeditur, pro salute mentiendum sit » [45]; subinde autem observat: « mendacium autem non possumus dicere tunc tantummodo esse, quando proximus laeditur; *cum* enim *falsum ab sciente*

---

[43] Sic, cum G. DE BROGLIE quaerit de malitia intrinseca ipsius peccati qua talis, quaestionem theoricam essentialis malitiae indagat (non iam tamen sub aspectu positivo, de quo hic agitur, sed sub aspectu metaphysico), relicta quaestione critica circa condiciones intrinsecitatis peccati ad aliquem actum. Cfr. « Malice intrinsèque du péché... », *Recherches Sc. Rel.* (24) 1934, p. 309.

[44] *De mend.*, n. 1.

[45] *Quaest. in Hept.*, III, c. 68.

dicitur, procul dubio mendacium est, sive illo quisquam sive nemo laedatur». Nedum autem hac descriptiva determinatione mendacii et intrinsecitate concreta rationis eius solutam consideret mendacii quaestionem, eam e contra ut exinde *apertam* potius considerat:

«*Proinde magna quaestio*, utrum possit aliquando iustum esse mendacium, facile solveretur fortasse, si sola praecepta intueremur, non et exempla. Nam quid isto praecepto absolutius: «Non mentiemini»? Sic enim dictum est quomodo: «Non facies tibi idolum» — quod factum non potest aliquando iustum esse — et quomodo dictum est: «Non moechaberis» — quis autem dicat aliquando moechiam iustam esse posse? — et: «Non furaberis» — *secundum definitionem illam* furti iustum esse furtum nunquam potest — et: «Non occides», quoniam *cum homo iuste occiditur*, lex eum occidit, non tu. Numquid ita dici potest: cum homo iuste mentitur, lex mentitur?»[46].

Ut patet, formula absoluta prohibitionis mendacii, in mente S. Augustini, non dirimit ipso facto quaestionem occasionalis liceitatis falsiloquii. Comparando enim prohibitionem mendacii cum ceteris prohibitionibus in formula sua pariter absolute intimatis, notat quidem de idololatria et de moechia prohibitionem esse simpliciter seu concrete absolutam, i. e. concrete et formaliter intrinsecam; de furto autem distinguit rationem definitam seu abstractam, cui limitatur vis prohibitionis; de occisione autem iterum eximit actum non homicidialem, quia ex iustitia positum.

Quod autem mens S. Augustini non sit aequo magis rigoristica, ostenditur ex observationibus non infrequentibus, in quibus ait, e. g.:

«Tenendum est enim omni modo praeceptum Dei, et voluntas Dei in iis quae tenendo praeceptum eius passi fuerimus, aequo animo sequenda: si autem relaxatur *aliquis exitus*, non est in tali causa (i. e. vitandae exsecrabilis inquinationis) recusandum mendacium. Propterea divinae Scripturae, non solum praecepta Dei continent, sed etiam vitam moresque ius-

[46] Ibidem.

torum; ut si forte occultum est, quemadmodum accipiendum sit quod praecipitur, in factis iustorum intelligatur »[47].

III. *Applicatio distinctionis falsiloquio.*

12. Intrinsecitate igitur concreta dici possunt intrinsece mali omnes actus quibus inest, sive ut essentia, sive ut proprium, sive ut qualicumque titulo indivulse adnexum, aliqua deformitas universaliter iisdem inhaerens. Non autem refert ad rationem intrinsecitatis concretae utrum deformitas constituatur per inordinationem physicam, vel notionalem, vel moralem[48]. Unde patet quod intrinsecitas concreta non conducit per se solam ad inductionem prohibitionis absolutae. Plures autem theoriae de mendacio ex hac parte peccant quod intrinsecitatem illam concretam cuiuslibet inordinationis, e. g. voluntatis fallendi, vel abusus signi, etc., sufficere existimant ad determinationem absolutae prohibitionis. Revera ad summum demonstrant prohibitionem illam quae dicitur « per se », quaeque locum relinquit liceitati saltem « per accidens ».

Hoc nempe sensu concreto, actus aliquis, e. g. occisio, potest dici intrinsece malus, in quantum est necessario nocivus, i. e. deformitatem secumferens nocumenti proximo illati; hanc autem deformitatem conservat etiam si occisioni contingat esse iustam et licitam ex eo quod nocumentum in ipsa illatum rationem amiserit indebiti vel offensivi mali. Similiter, mutatis mutandis, dicendum est de quacumque inflictione doloris, quia dolor secumfert deformitatem poenae, quamvis dolori contingat quod per accidens sit salutaris, ideoque inflictio eius in se quidem, indirecte tamen, scilicet, ut salutaris, intendi possit.

De actu vero per se apto ad prolis generationem, sed extra vinculum matrimonii exercito, pariter dicetur quod est intrinsece malus, sensu concreto, quia deformitas pri-

---

[47] *De mend.*, n. 26.

[48] Cfr. R. Brouillard. « Le mensonge », in *Etudes*, 205 (1930), p. 210 s.

vationis debitae legitimitatis eidem indivulse inhaeret. At in hoc casu patet quod actus ille non est intrinsece malus solummodo in sensu concreto, sed *praeterea* in sensu formali intrinsecitatis. Etenim illegitimitas copulae extraconiugalis est secundum se inordinatio essentialiter immoralis, quamvis actus ille nec immoralitatem specificam iniustitiae praeseferat, sicut adulterium, nec immoralitatem carentiae debitae perfectionis naturalis, sicut pollutio voluntaria. Duplici igitur sensu dicitur actus ille intrinsece malus; ratione autem solius alterius sensus iudicatur absolute prohibitus.

Et hoc praecise est quod quaeritur de falsiloquio, utrum nempe in utroque sensu sit habendum ut intrinsece malum, ideoque absolute prohibitum. Statim enim patet, saltem in confuso, inesse cuivis falso sermoni deformitatem aliquam universaliter seu intrinsece inhaerentem. Sed quaeritur praecise utrum indivulsa haec deformitas secumferat essentialem immoralitatem in specie sua, sive immoralitatem specificam mendacii perfecti, sive aliam quamcumque. Hoc est quod praetermittunt multi auctores indiscriminatim comparantes falsiloquium cum luxuria.

Unde ulterius quaerendum est in antecessum *de inordinatione actuum*, ut discriminentur diversae deformitates, et pateat quaenam ex illis habenda sit ut intrinsece mala intrinsecitate formali.

SECTIO SECUNDA - DE INORDINATIONE IN GENERE NATURAE

I. *Argumenta ex abusu naturae.*

13. Saepe quidem, variisque modis, et appellando, apte vel inepte secundum diversa, ad auctoritatem S. Thomae, propositum fuit argumentum intrinsecae malitiae mendacii assumptum ex eo quod actus mendacii, abstractione facta ab omni ratione *damni* proximo illati, secumferret « inordinationem *in usu facultatum* hominis » ex ratione sua essentiali, exindeque necessario constitueret

« materiam indebitam » volitionis. Quaerunt nempe illa argumenta, praeter malum passivum seu *effectivum* a mendacio productum, malum quoddam *actionis* materialis in elaboratione mendacii comproductum.

Utrum inordinationes quae proponuntur reapse verificentur necne, cuiusve sint rationis, non est huius primae partis examinare, sed tantum distinctiones generales ad materiam pertinentes praestatuere, generalesque item conclusiones ex eisdem deducere.

14. Quod quidem agnoscenda sit in homine proprie dicta facultas distincta elocutionis, cuiusque sit generis, breviter in corollario sectionis indicare sufficiet; etenim quaestio utrum adsit necne talis virtus naturalis *peculiaris* ad elocutionem ordinata parum refert ad praesentem tractationem. Patet namque quod utcumque actus nostri omnes ab aliquibus facultatibus eliciuntur; inordinatio autem in agendo *ipsi actui* formaliter inesse nata est; de ipsa autem facultate actum eliciente nonnisi denominative praedicari potest, secundum quod actus est usus quidam facultatis eum elicientis, vel, si agitur de voluntate, in ipsius arbitrio praeformatus; igitur, si quis est actus inordinatus, a priori dicendum est quod « aliqua » facultas « abusum » quemdam in ipso subiit correspondentem, sibique particularem.

Revera supradictae argumentationes satis indefinite et summarie de more enuntiantur; assumunt nempe aliquem agendi ordinem esse praedefinitum in particulari et *intangibiliter statutum* sive circa voces et signa in genere [49], sive circa facultatem loquendi [50], sive circa mutuam facultatum

---

[49] «Deus *verba* instituit eo fine ut unus alteri cogitationes et mentis suae iudicia exprimat; ergo aliud cogitare in mente et aliud loqui repugnat rectae rationi, societati humanae et institutioni a Deo ordinatae; atqui hoc fit per mendacium; ergo ». (ELBEL, *Theologia moralis*, 1904, pars 4, conf. 12, n. 346). « Mendacium est ... abusus vocis » (PRÜMMER, *Manuale theol. mor.*, Friburgi, 1923, vol. 2, p. 154.

[50] « Quod repugnat fini naturali, propter quem institutus est sermo, lege morali prohibitum est; atqui mendacium repu-

subordinationem [51], vel relationem internorum et externorum in homine [52], etc.; et declarant statutum ordinem automatice violari in patratione cuiusvis mendacii. Communis est illis argumentationibus exaggeratio quaedam rationis *debitae* actionum physicarum *rite* exsequendarum; et in hoc sensu loquuntur de ordine « naturali », ad hoc nempe ut inordinationi, quam sentiunt esse manifeste in ordine infra-morali constitutam, valeant, saltem *per accidens institutionis* divinae, culpabilitatem aliquam intrinsecam assignare, ex supposita nempe violatione ordinis cuiusdam quadantenus absoluti absoluteque determinati.

15. Negari sane non potest quod inordinationes quaecumque *in creatura rationali* contingentes respectum quemdam intrinsecum praeseferunt ad ordinem moralem, quem non habent inordinationes in creatura irrationali contingentes; non enim est creaturae irrationalis *proprie habere* bonum, sed solum creaturae rationalis, quae est domina utendi bono quod habet per liberum arbitrium [53]; igitur extra considerationem pertinentiae peculiaris ad hominem aut ad Creatorem, non invenitur proprie dicta ratio boni vel mali in natura: « et ideo ... huiusmodi rebus non dicimus aliquid bene vel male contingere nisi secundum similitudinem » [54]. Sed omnis actus aut usus facultatis ad hominem pertinentis, eo ipso quod contingit aut procedit aut recipitur in homine, vel circa eum exercetur, rationem induit boni vel mali proprie dicti, ita quod directe

---

gnat naturali fini sermonis loquendique facultati, quae ab auctore naturae instituta sunt, ut homo homini sua sensa manifestet ». (NOLDIN, *De praeceptis Dei et Ecclesiae*, Ed. 1922, p. 651) Cfr. MERKELBACH, *Summa theol. mor.*, Parisiis, 1935, vol. 2, p. 826.

[51] « Le désaccord entre ma pensée et ma parole contrarie la subordination des facultés en moi ». (VERMEERSCH, « Restriction mentale et mensonge », in *Dict. apologétique*, col. 965).

[52] « Malitia mendacio essentialis consistit... 2) in contradictione inter mentem et linguam; sed quaelibet in uno eodemque homine contradictio inter externa et interna turpis est ». (LEHMKUHL, *Theologia moralis*, Ed. 1914, vol. 1, p. 509).

[53] *Sum. theol.*, 2a 2ae, q. 25, a. 3.

[54] Ibid.

quidem volitus facit per se voluntatem bonam vel malam respective prout ordinate vel inordinate exercetur, etiam si ille actus exerceatur in ordine specifice physico. Igitur omnis proprie dicta inordinatio, seu etiam simplex ineptia minime in se damnosa, in hominis actionibus, si *directe* intenditur, ut culpabilis habenda est.

Sed differentia praecise in eo est quod inter deordinationes in homine contingentes quaedam sunt *reordinabiles* seu reformabiles, quaedam vero *irreformabiles.* Obiective reordinabiles sunt, saltem per accidens, omnes deordinationes, etiam formaliter tales, contingentes in facultatibus rationali voluntate inferioribus; irreformabiles autem illae tantum habendae sunt, quibus ipsa rationalis voluntas deformatur, id est a fine suo proprio quomodocumque deficit.

II. *Inordinatio in genere naturae - in genere moris.*

16. Et ideo distinguenda venit inordinatio *in genere naturae* et inordinatio *in genere moris*: aliis verbis, *innaturale* stricte dictum, quod invenitur in hominis actibus ad ordinem physicum pertinentibus, et *indebitum,* seu irrationale stricte dictum, quod invenitur in actibus ad ordinem moralem formaliter pertinentibus. Non enim quaevis inordinatio in usu facultatum hominis indiscriminatim est accipienda tamquam inordinatio *ipsius hominis* qua talis, i. e. personae humanae, in usu facultatum suarum, quod proprium quidem est inordinationis in genere moris. Perinde enim ac distinguuntur actus *hominis* et actus *humani,* ita et distinguendae sunt facultates hominis et facultates humanae, aliae scilicet physicae, aliae morales, in quarum solummodo exercitio persona humana immediate determinatur et afficitur, ex eo quod ad actum sibi formaliter proprium procedit.

Non omnis ergo innaturalitas particularis in agendo habenda est ut « inhumanitas », sed irrationalitas moralis tantum, quae obtinet in usu liberae voluntatis, i. e. innaturalitas quomodocumque sive in substantia sive in

modo actionis — offensiva ipsius rationalis iudicii conscientiae moralis, et secundum hoc indebita [55]. A priori igitur dimitti potest argumentum ex inordinatione facultatum indiscriminatim considerata, tamquam ineptum ad demonstrationem genuinae malitiae mendacii, siquidem demonstranda agitur *malitia essentialiter irreformabilis*, seu formaliter intrinseca, qualis non est inordinatio utcumque secundum se concrete intrinseca actionum hominis.

17. Hic autem notandum venit quod inter facultates « hominis » computandae sunt non solum facultates biologicae et sensitivae, sed intellectus etiam *rationalis* in quantum *infra* lineam synderesis exercetur in ordinationibus inferioribus respectu voluntatis ordinandae, quales sunt ordinationes logicae, scientificae, mathematicae, estheticae, œconomicae etc., in quibus ratio materialiter applicatur. Non igitur quaevis irrationalitas per se constituitur in genere moris, sed inordinatio formalis seu pravitas in usu ipsius *liberi arbitrii*. Quis enim moderatas facetias recreativae conversationis unquam prohibere cogitavit ob intrinsecam earum irrationalitatem? [56].

Inordinatio autem in usu liberi arbitrii exercetur secundum quod in eo apprehenditur bonum personale seu honestum, qua tale, ut voluntatis obiectum naturale, posthabetur autem hoc personale bonum, ut bonum relativum eidem praeferatur, liberoque iudicio constituatur in obiectum voluntatis, invertendo ordinem realem in linea absoluta.

Haec distinctio *duplicis rationalitatis*, inferioris sci-

---

[55] « Sicut in aliis rebus quaedam sunt contraria naturae uniuscuiusque rei, seu illi disconvenientia, quae eo ipso mala sunt tali rei, ita etiam *naturae rationali* quaedam sunt per se seu ex intrinseca ratione illi contraria et disconvenientia, quae respectu illius mala sunt, et facta libere sunt mala moraliter, ut est odium Dei, et similia ». (SUAREZ, *Tract. de fide*, d. 3, s. 5, n. 8.).

[56] Cfr. *Sum. theol.*, 1a 2ae, q. 21, a. 2, ad 2m. - DE BROGLIE, o. c., p. 590 s.

licet, seu materialis, et superioris seu formalis, notanda venit respectu argumentorum in quibus observatur quod facultas qua abutitur mentiens est facultas aliqua *rationalis* [57]. Rationalitas quidem superior seu moralis in mendacio proprie dicto pessumdatur, in quantum rationalis voluntas in locutione proprie dicta essentialiter exercetur; si autem existit falsiloquium cui non insit per se nisi inferioris rationis inordinatio particularis [58], haec utique, saltem per accidens, reordinabilis erit, et secundum hoc conclusio argumenti ex abusu « rationalis » facultatis non erit sine exceptione.

18. Argumentationes de quibus agimus non exacte procedunt, ut vidimus, ex assumpta exsistentia peculiaris facultatis elocutionis; immo pluribus subest sola consideratio *organorum* et signorum locutionis. Et revera differentia organi et facultatis iterum parvi refert ad consequentiam argumenti; siquidem facultates omnes naturales rationali voluntati inferiores communem illam rationem *organi* seu instrumenti supposito personali subordinati praeseferunt, quae toti naturae nostrae physicae propria est. Ex hac communi ratione instrumentali sequitur quod finis, etiam naturaliter determinatus, alicuius facultatis naturalis, etiam realiter distinctae, semper remanebit secundum se finis

---

[57] « Vis *rationalis* loquendi, seu locutionis copia, a Deo instituta est, non ut invicem fallamus, sed ut alter in alterius notitiam cogitationes suas proferat: ergo abusus et *perversio* est omne mendacium ... » (LAYMANN, *Theologia moralis*, lib. 4, tr. 3, c. 13, n. 8, 4°).

[58] « La vertu de véracité - et cela vaudra pour les vices contraires - consiste en une manifestation qui se fait par certains signes: paroles ou gestes. Cette manifestation ou énonciation est un acte de la raison *comparant le signe à la chose signifiée*. On invoque la raison parce que toute représentation consiste en une certaine collation qui appartient proprement à la raison... Toutefois, la manifestation ou énonciation dont on parle a beau être en elle-même un acte de raison, il est nécessaire, pour qu'elle soit un acte moral, qu'elle soit volontaire et qu'elle dépende d'un acte volontaire ». (A.-D. SERTILLANGES, *La philosophie morale de saint Thomas d'Aquin*, 2e édition, 1922, pp. 299-300). Materiale tantum elementum veracitatis in supradicta explicatione indicatur.

relativus, i. e. finis analogico sensu, destinatio nempe ulterius subordinanda, perinde ac usus totius naturae physicae nostrae, regulae superiori moralis naturae voluntatis rationalis, cuius proprius finis solus est *definitivus*, seu debite et absolute assequendus.

Destinatio principalis omnium organorum pariter et facultatum infra personae ipsius ordinationem constitutarum transcendit usum earum particularem determinatum, quantumcumque eisdem appropriatum; haec autem principalis destinatio est *ut convenienter subserviant bono supposiți;* quae quidem destinatio per accidens asservari nata est etiam quando rationabiliter immutatur usus organi vel facultatis praeter aut contra particularem eorum destinationem. Ratio boni — etiam delectabilis — in assecutione talium finium particularium per se non excedit rationem illam transcendentalem « utilis », quae coincidit cum honestate eorum propria [59]. Dicimus « transcendentalem », quia sub respectu suo naturali specifico seu praedicamentali, assecutio finium subordinatorum minime reduci potest ad meram rationem medii, ideoque rei in se indifferentis, ut supra ostensum est (n. 15); siquidem bonum physicum est proportionata participatio boni personalis in membris naturae personalis [60]. Secundum vero quod assumuntur a voluntate ad rectum intentum ipsius voluntatis actus inferiorum potentiarum communicant aliquo modo huic fini proprio voluntatis, exindeque fiunt simpliciter honesti [61] et meritorii [62].

19. Saepius tandem dubitari poterit utrum agatur de destinatione naturali determinata, an de usu quodam magis *appropriato* organi, aut de usu mere *normali*, principaliori, aut simpliciter *consueto*. Usus autem inappropriatus organorum multimode in seipso rationabilis evadere potest:

---

[59] S. Thomas, *In 2. Sent.*, d. 21, q. 1, a. 3.
[60] Cfr. de Broglie, o. c., cap. V, 1935, pp. 5 ss.
[61] *Sum. theol.*, 2a 2ae, q. 145, a. 1, ad 1m.
[62] S. Thomas, *In 3. Sent.*, d. 27, q. 2, a. 4, sol. 3.

sicut nutriri per nasum prorsus invenitur rationabiliter ordinatum in eo qui propter oris contusionem consueto normalique modo manducare incapax est; sic etiam inverso corpore super manus incedere est ordinatum in scurra honestam recreationem spectatorum intendente; immo et in iuniore quodam Sancto populum dicto modo ad piam exhortationem audiendam advocante. Abnormalitas non transit in irrationalitatem nisi in quantum ratio ipsa normam tenendam immediate praescribebat. Unde patet quod tum usus abnormalis signorum tum usus inappropriatus facultatis expressionis per se non sunt iudicandi ut irrationales, donec de irrationalitate constet.

Ipse autem usus inappropriatus vix unquam in suis limitibus stricte et absolute determinari poterit; quis enim e. g. appropriatum usum manuum determinare valebit? An manus porro excedunt linguam in versatilitate exercitationis propriae? Ut autem de organis illis loquamur cuius usus maxime determinatus videretur, quis prohibebit modestas inaures deferre ex eo quod aures sat manifeste fuerint homini datae ad audiendum, non ad ornamenta eisdem appendenda?

Usus artificiosus alicuius organi praeter, immo contra, usum *primigenium* remanet moraliter *naturalis* in quantum est rationalis, i. e. naturae hominis, quae *rationalis* est, conveniens, ideoque iustificatus, decens, honestus. Quod si denegetur, ipsa *cultura* humana, res sane omnium naturalissima, invenietur prohibenda, si quidem ut plurimum praecise consistit in correctione, immutatione, educatione usus crudi seu *nativi* organorum, in usum excultum, adaptatum, artisticum, exindeque « perfectum » (κατηρτισμένος).

III. *Regula moralitatis circa inordinationes in genere naturae.*

20. Inordinatio quae consistit in usu alicuius facultatis physicae praeter aut contra obiectum suum seu finem

particularem ad quem per se ordinatur non continet in se formaliter, ut diximus, nisi rationem mali physici, — genuinum tamen malum, utpote ad hominem pertinens. Ex hoc quod non constituit nisi malum physicum sequitur quod talis actus inordinatus non fit indebitus seu immoralis nisi accedente *directa* voluntarietate: nempe si intendatur in seipso, ita ut voluntas se determinet aliquo modo secundum illam inordinationem, eam sibi obiective appropriando. Ex hoc enim quod sic translate fit propria voluntatis, inordinatio iamiam formaliter voluntaria evehitur ad inordinationem in genere moris; si quidem regula formalis propria voluntatis, cui iam directe opponitur, est rationis synderesis.

Haec autem directa appropriatio voluntaria inordinationis locum habet sive actus ille inordinatus intendatur finaliter, seu propter se, sive intendatur (sane qua inordinatus) propter aliud, id est *ut medium* ad aliquem finem agenti convenientem, seu ex ulteriori intentione in se honesta; extrinseca namque additio ulterioris intentionis resarcire nequit vitium anterioris intentionis ex obiecto proprio culpandae. Res patet in exemplo classico vulnerationis inflictae ad evadendum servitium militare (etiam si finis ille habendus esset ex peculiaribus circumstantiis ut licitus et necessarius), quia malum incapacitatis qua tale intenditur ut medium. Quod autem verum est de malo passivo seu damno inflicto valet de malo activo inordinationis in agendo, abstractione facta ab omni damno ex ea resultante.

21. Restat igitur determinare quo sensu positivo loquamur de intentione *indirecta* seu secundum quid, — parum refert de nomine) actus physice inordinati secundum se. Ut patet, non hic agitur formatio quaedam *voluntatis* circa obiectum, sed antecedens formatio *obiecti* obvenientis voluntati. Oportet enim quod, antecedenter ad intentionem, ipse actus physice inordinatus quoad se, inveniatur realiter quidem et convenienter relatus, quamquam per accidens, ex propriis nempe circumstantiis, ad

directum intentum (et ipsum sane in se conveniens) voluntatis; oportet deinde quod *nonnisi ratione huius obiectivae relationis* sub voluntate cadat: sic enim habebimus et actum natum indirecte intendi, et actualem intentionem indirectam.

Principium obiecti indirectae intentionis fundatur in eo quod, ut ostensum est, omnis activitas physica homini pertinens induit rationem organicam, seu boni *utilis*, quae transcendit rationem suam specificam, respectu boni proxime personalis seu honesti; ratione huius *superioris* ordinis, inordinatio eidem actui physico respondens, seu ineptia actus in se sumpti, vel contradictio finis eius particularis, non est malum intrinsecum seu definitivum ratione sui, quantumcumque intrinseca eidem actui sit inordinatio in se sumpta: in bono enim superiori utilitatis rationalis salvari potest ratio ordinis. « Non est (enim) contra rationem summi boni auferre aliquod particulare bonum cum particulare bonum aufertur *per appositionem alterius boni*, quod interdum est melius ».[63].

Actus ergo qui, seorsim ab ordinatione sua organica reali et conveniente in finem honestum, esset simpliciter inordinatus (ideoque malus), si consideratur *in ordinatione* illa obiectiva eidem superveniente, iamiam simpliciter bonus habendus est, utpote pars ordinata totius cuiusdam convenientis in se et honesti; partem autem constituet huius totius sive ut medium, sive ut instrumentum, ut condicio, ut constitutivum, ut concomitans: parvi refert; non iam enim ullo modo habemus *malum ipsum* intentum ut medium. Intentio voluntatis non specificatur per illum actum inordinatum, quem, *qua talem*, nec propter se nec ut medium intendit, sed per actum ordinatum in cuius compositione actus ille non solum intrat, sed et amittit rationem suam mali respectu voluntatis honestae[64].

---

[63] *De malo*, q. 3, a. 1, ad 3m.

[64] « Actionum humanarum multiplex est differentia. Quaedam enim sunt quae habent deformitatem inseparabiliter adne-

Ultimatim iudicium de moralitate actionis secumferentis particularem aliquam inordinationem organicam reducitur ad hoc utrum adsit, ut aiunt, « causa » rationalis *proportionata* reordinans talem inordinationem in aliquo actu completo obiectivo, moraliter ordinato, directeque intento. De bonitate autem huius actus completi simpliciter intenti iudicandum erit secundum proportionem convenientem utriusque termini relationis obiectivae, nempe obiecti totalis directe intenti (ex supposito, quoad se terminative honesti) et actus in se inordinati in eius executione ad effectum deducti. Sic ordinate quis frangit ianuam obseratam domus absentis vicini ad salvandas possessiones eius ab incendio, licet fractura ianuae non sit modus ordinatus domum ingrediendi; sed minus probaret vicinus id fieri ad eum citius evigilandum! Vel — ut abstrahamus a ratione damni seu mali passivi — probatur, ob finem rationabilem, quod aliquis ingrediatur domum per ianuam in ordinariis circumstantiis vetitam, vel per fenestram, etc. Sic etiam sectio chirurgica obiective sumpta non est sicut vulneratio de qua supra, sed constituit sanationem in fieri, ideoque non vocatur vulneratio sed « operatio » chirurgica, in qua malum physicum sectionis ex ratione sua nonnisi indirecte natum est cadere sub voluntate [65].

IV. *Mendacii inordinationes in genere naturae.*

22. Quidquid sit de inordinationibus supradictis in

xam, ut fornicatio, adulterium, et alia huiusmodi, quae nullo modo bene fieri possunt... Quaedam vero sunt actiones quae de se indifferentes sunt ad bonum vel malum, ut levare festucam de terra, vel aliquid huiusmodi... Sunt vero quaedam actiones quae absolute consideratae, deformitatem vel inordinationem quandam important, quae tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonae efficiuntur; sicut occidere hominem vel percutere in se deformitatem quandam importat; sed si addatur, occidere malefactorem propter iustitiam, vel percutere delinquentem causa disciplinae, non erit peccatum, sed virtuosum ». (S. Thomas, *Quodlibet.* IX, a. 15) - De ipsis exemplis a s. Doctore propositis ulterior proponetur consideratio in sequenti sectione.

[65] Cfr. S. Thomam, *in 2. Sent.*, d. 21, q. 1, a. 3.

usu facultatum, e quibus eruere contendunt argumenta malitiae intrinsecae mendacii, duos quidem actus ad intrinsecam constitutionem mendacii pertinentes agnoscemus, in quibus obiective intrinseca inordinatio infra-moralis, seu in genere naturae, manifestatur:

1° *fallaciam*, quae implicat virtualem saltem voluntatem *erroris* proximi [66];

2° *astutiam*, quae implicat actualem voluntatem *fictionis* [67].

Error autem, abstractione facta damni consequentis, est inordinatus usus facultatis cognitivae, utpote cognitio non-entis, ideoque cognitio non cognoscens et inepta; similiter fictio est inordinatio facultatis expressivae, utpote expressio non-entis, ideoque expressio non exprimens et inepta. Dupliciter igitur in mendacio intenditur actus ineptus in homine, error quidem in proximo, fictio autem in mentiente. Supposito igitur quod nec in errore qua tali nec in fictione qua tali insit inordinatio in genere moris, et quod, ut constitutiva falsiloquii stricte dicti, separari valeant a malitia specifica mendacii, invenientur illi actus in genere deordinationum illarum physicarum quae, saltem per accidens, i. e. ex circumstantiarum complexu, reordinabiles esse supra ostendimus.

23. Talis esse videtur solutio *S. Augustini* tum circa errorem tum circa fictionem:

« Quoniam *est et error bonus*, qui non solum nihil obsit, verum etiam prosit aliquid. Sed diligentius considerata veritate, cum nihil aliud sit errare, quam verum putare quod falsum est, falsum quod verum est; vel certum habere pro incerto, incertumve pro certo, sive falsum, sive sit verum: idque tam sit in animo deforme atque indecens, quam pulchrum et decorum esse sentimus, vel in loquendo, vel in assentiendo, « Est, est, Non, non »: profecto et ob hoc ipsum est vita misera ista qua vivimus, quod ei *nonnunquam*, ut non amittatur, *error est necessarius* » [68].

---

[66] Cfr. secundam partem.

[67] Cfr. tertiam partem.

[68] *Enchir.*, c. 17, Considerationi S. Augustini iam pro parte

De fictione autem pluries observat S. Augustinus eam recte adhiberi « ut ad rem quae intenditur, ficta quidem narratione, non mendaci tamen, sed veraci significatione veniatur » [69].

Et sic communem maiorem argumenti de fallacia et de astutia explicatam habemus.

Corollaria. 1° *De peculiari facultate elocutionis.*

24. Malitia intrinseca usus inordinati elocutionis qui exercetur in mentiendo supponit exercitium *liberae voluntatis* formaliter involutum in omni locutione proprie dicta. Utrum praeterea agnoscenda sit facultas physica peculiaris ipsius *organicae expressionis* loquelae seu sermonis, negatur a J. Lindworsky [70] ex eo quod, ad similitudinem saltationis et musicationis, et ad differentiam visionis et auditionis, elocutio non est nobis actualiter ingenita (*ein fertiges Geschenk der Natur*). Transmissis criticis observationibus de istis assertis (siquidem et ipsi oculi et aures adaptionem requirunt ad usum suum actualem), notandum est quod argumentum confundit « nativum » et « naturale ». Habitus enim « culturalis » non est per se homini minus naturalis quam habitus nativus seu crudus; negari proinde nequit naturalitas facultatis elocutionis ex eo quod sit excolenda: *naturaliter* enim excolenda est, utpote insita naturae educabili.

Nulla quidem est praeformatio nativa corporis nostri ad determinata instrumenta externa adhibenda; sed nimis evidens est praeformatio organica expressionis phoneticae articulatae sponte elaborandae; ipsa proinde artificialitas vocum et sermonum ad generalem naturalitatem reducitur.

Existentiam igitur naturalis facultatis elocutionis indenegabilem existimamus, quae nec simpliciter moralis,

---

admiscetur argumentum tractandum in sequenti sectione.

[69] *Contra mend.*, n. 28.

[70] « Das Problem der Lüge bei katholischen Ethikern und Moralisten », in Lipmann-Plaut, o. c., p. 57.

nec simpliciter physica dicenda est, sed *mixta* quidem: physica in *expressione*, moralis in *assertione*. Et ideo praecise distinguibilis erit usus merae expressionis disiunctae ab assertione in quibusdam falsiloquiis.

2° *De naturali facultate generativa.*

De inordinatione in usu facultatis generativae agetur in sectione de malitia intrinseca; sufficiat nunc notasse quod in actu generativo *plus* inest quam *usus facultatis* naturalis, siquidem in eo fit dispositio *de proprio supposito* humano, prout ostendetur. Igitur immoralitas usus inordinati facultatis generativae constituitur ex inordinatione superaddita usui inordinato facultatis physicae qua talis ipsumque informante. Nequit proinde ex hoc capite moveri obiectio a pari contra doctrinam huius sectionis, nec argumentum a pari intrinsecae malitiae mendacii.

SECTIO TERTIA - DE PRAVITATE MATERIALI

I. *Pravitas materialis, pravitas formalis.*

25. Nunc ad considerationem inordinationis quae est in genere moris convertamur. Patet autem quod non omnis talis inordinatio est essentialiter ideoque inconditionate mala, etiam si inveniatur concrete intrinseca. Distinguuntur enim actus *per se* mali, seu immorales « ex genere tantum »[71], quibus inest pravitas (πονηρία) aliqua materialis; et actus *absolute* mali, seu immorales « ex specie », quibus inest pravitas formalis, et quorum executio in nullo casu utcumque excogitabili licita evadere potest.

Haec ulterior distinctio circa rationem deformitatis actionum humanarum *in ipso genere moris* est summi mo-

[71] Adhibemus expressionem « ex genere » sensu proprio. Notandum est quod S. Thomas utitur eadem expressione, sed « genere *pro specie* accepto », ut ait, secundum usum tunc receptum in scholis. Cfr. *Sum. theol.*, Ia 2ae, q. 18, a. 2.

menti ad rectam interpretationem honestae reprobationis mendacii, necnon ad dictam reprobationem integre et effective sustinendam, prudentique constantia applicandam, mediis in angustiis terrenae conversationis, quae non est angelorum inter angelos. Distinctio proposita non est propria materiae mendacii, sed norma aliqua generaliter applicata, implicite saltem, in concretis iudiciis de moralitate actuum; quae tamen ut plurimum posthabetur in theoriis de mendacio, quaeque proinde attente considerari debet.

Distinctio quam nunc examinamus *fundatur* in distinctione proposita a S. Thoma super mendacium [72], nempe inter speciem quam actus moralis sortitur ex fine seu *obiecto proprio voluntatis*, i. e. in quantum est formaliter voluntarius, et speciem (seu potius genus) quam actus moralis sortitur ex obiecto *potentiae motae* a voluntate. Magis radicaliter respondet distintioni S. Thomae inter actum *interiorem* et actum *exteriorem* in ipso actu *voluntatis*. Actus interior, cuius obiectum est finis, est proprie voluntarius, et se habet *ut formam* ad id quod est ex parte exterioris actus [73]. Malitia essentialis est illa quae se tenet in actu voluntario interiori deordinato a fine rationali debito; dicitur autem formaliter intrinseca illi actui qui secundum ipsam hanc deordinationem specificatur. Pravitas autem materialis, de qua nunc agimus, se tenet in actu voluntario *exteriori*; potest quidem esse eidem actui concrete intrinseca; sed diversa est a malitia essentiali, quae non potest esse actui exteriori intrinseca, cum actus ille non sit formaliter voluntarius. Actus huiusmodi non respicit obiectum « proprium », sed obiectum *proximum* tantum actus voluntatis, et se habet in actu voluntatis ad finem sicut elementum materiale ad formale.

II. *De actibus materialiter pravis.*

26. Actus materialiter pravi differunt ab inordinatio-

[72] *Sum. theol.*, 2a 2ae, q. 110, a. 1.
[73] Ib., 1a 2ae, q. 18, a. 6.

nibus in genere naturae tantum, sicut violenta percussio hominis differt ab operatione chirurgica. Subito quidem apparet, saltem in confuso, quod violenta percussio, etiam licita, necessaria, et in se moderata, secumfert aliquid *indecorum*, quod non inest operationi chirurgicae.

Actus materialiter pravi ad utrumque genus inordinationis, tum naturae tum moris, secundum diversa pertinent, et faciunt veluti transitum seu *limitem* inter ordinem physicum et ordinem moralem. Iis vero applicatur principium « continuitatis », ex pseudo-Dionysio desumptum et frequenter usurpatum a S. Thoma, nempe quod « supremum inferioris attingit infimum superioris ». In materia autem ethica principium applicatur, inter alia, in eo quod aliquae physicae operationum hominis inordinationes et deformitates *remote tantum* se habent ad lineam moralitatis, quippe quae conditiones ulteriores requirunt ut determinentur tamquam materia appropriata actus voluntarii pravi; cuiusmodi sunt, in linea corporali, ambulare super manus, aut in linea mentali, ridiculum aliquid enuntiare: quae quidem non fiunt moraliter inordinata nisi ex circumstantia personae, loci vel temporis, ex qua rationem induunt indecentiae, quam non habent ex seipsis.

Aliae e contra inordinationes *proxime* accedunt ad rationem mali moralis, quamquam remanent in linea actionis physicae, ita ut *nonnisi in conditionibus exceptionalibus* possint intrare in compositionem materiae actus voluntarii liciti. Huiusmodi sunt e. g. deformitates pronuntiationis verborum blasphemiae, diffamatio, occisio hominis, corporalis impudicitia, etc.: quae nempe se habent ut *dispositio physica proxima* et per se sufficiens divini contemptus, detractionis, homicidii, vel fornicationis respective.

27. Ad horum autem actuum categoriam pertinent duo actus impliciti in omni proprie dicto mendacio, ut videbimus, quique extra ipsum etiam inveniri possunt in simplici falsiloquio non mentioso: *deceptio* nempe, qua ma-

terialiter laeditur caritas [74], et *simulatio*, qua materialiter laeditur probitas, seu moralis simplicitas [75]; distinguuntur autem a fallacia et ab astutia [76], quas implicant respective, quaeque ab iisdem iterum separari possunt, nec sunt per se actus materialiter pravi.

28. Inest autem hisce actibus materialiter pravis, etiam quando contingit illos absque peccato obiectivo exerceri vel permitti vel subiri, non sane formalis immoralitas, quae soli actui voluntario interno inesse potest, sed pro ipsa mensura immediationis suae in disponendo materiam pravae intentionis, ratio aliqua *consentanea* formali immoralitati, unde habentur ut actus materialiter pravi, quippe qui rationem moralis inordinationis *participant* in specie sua. Haec physica pravitas materiae ad formam peccati ultimo dispositae distinguitur a morali seu formali pravitate, sicut *indecorum* ad *illicito*. Quo autem intimior est illa affinitas et approximatio dispositiva ad malum morale, eo vividior est sensus indecori, saltem apud educatam conscientiam, in admittendis, quomodocumque, talibus actibus.

29. Ad genuinam abominationem talibus actibus debitam plenius intelligendam, considerandum est quod etiam dum exercentur, ut supponitur, cum perfecto ordine obiectivo voluntatis, ipsa voluntas illos dicto modo imperans, quantumcumque eosdem actu abhorreat, non potest non quadantenus ab iisdem coinquinari, siquidem rationem aliquam causae efficientis respectu eorum exercuit.

Causa enim efficiens dividitur « in *disponentem*, quae causat dispositionem ad formam ultimam, et *perficientem*, quae inducit ultimam perfectionem » [77]; siquidem « efficiens est causa rei secundum quod formam inducit, *vel materiam disponit* » [78]. Ille tantum perfective causat pec-

[74] Cfr. 2am partem.
[75] Cfr. 3am partem.
[76] Cfr. n. 22.
[77] S. THOMAS, *In 4. Sent.*, d. 1, q. 1, a. 4, sol. 1.
[78] S. THOMAS, *De Potentia*, q. 5, a. 1.

catum, seu elicite peccat, qui supradicto actui in se sumpto quomodocumque *consentit*, i. e. ille cuius voluntas quomodocumque eidem actui, etiam propter aliud, adhaeret, vel non repugnat. Dispositive autem causat peccatum qui ea physice procurat quae proxime ad peccandum requiruntur; ille autem qui producit dispositiones sufficientes, in sua ratione dispositionis, ad constitutionem peccati, quamvis per accidens non perficiat peccatum – formam voluntarii conformis admittendo –, nihilominus *participat* aliquid de causa perficiente peccatum, sicut « materia causae » peccati, prout dicitur de phantasmatibus respectu intellectionis [79].

30. Addendum etiam est quod, siquidem corporei sumus, vix potest dispositio materialis proxima peccati ad effectum deduci, quin *consentanea* aliqua *propensio* animam ipsam commaculet, utut elicite repugnantem; siquidem naturâ suâ evigilant pravos affectus sibi cognatos et, si repetuntur, indurant habitus correspondentes, qui ut tales sunt formaliter immorales; vel saltem indifferentiam affectus pariunt, quae et ipsa vitiosa est. Decet enim ut respectu talium actuum, essentialiter exceptionalium, habitus moralis educatus et ad actus contrarios inclinatus aversionem experiatur. Sicut enim medicina sive allopathica sive homeopathica non est sine effectibus quibusdam ipsi sanitati contrariis, ita et admissio, etiam moraliter hic et nunc necessaria, alicuius actus materialiter pravi non est sine effectibus proportionate moralitati contrariis.

Et sic, de falsiloquio non proprie mentioso bene intelligi potest doctrina ascetica illud comparans veneno; doctrina non intendit permissionem peccati statuere, sed restrictionem arctissimam necessarii etiam falsiloquii: « ita eo utendum est, quasi natura ei insit ellebori; quod si imminente *exitiali* morbo sumptum fuerit, fit salubre, cae-

[79] *Sum. theol.*, 1a, q. 84, a. 6.

terum absque *summi* discriminis necessitate perceptum praesentis exitii est »[80].

III. *Regula moralitatis circa actus materialiter pravos.*

31. Cum huiusmodi actus materialiter pravi non sint essentialiter immorales, non est a priori impossibile quod eis contingat fieri licitos. Non tamen huiusmodi sunt qui fieri possint per accidens boni aut indifferentes respectu voluntatis; ideoque *ne indirecte quidem* possunt constituere *in se* obiectum voluntatis, perinde ac inordinationes in genere naturae tantum; sed per accidens contingit eis *inseparabiliter comitari* actum debitum, quem ut talem voluntas intendit, quocumque titulo necessarii vinculi eundem comitentur. Illi actus materialiter pravi non amittunt quidem rationem pravam, sibi propriam, quam eisdem supponimus intrinsecam, ideoque nequeunt, ut tales sunt, positive intendi, ne indirecte quidem; sed ille solus actus sub ipsa voluntate cadere potest, qui ab ipsis physice disiungi nequit.

Malum concomitans constitutum per actum materialiter pravum, non proprie intenditur, sed tantum concomitanter seu improprie, i. e. quatenus intentum concomitatur (non praecise quatenus est intenti medium aut constitutivum, etc., unde tamquam eius pars indirecte intenderetur). Nequit dici quod tales actus ab honesta voluntate simpliciter *permittuntur*, siquidem executio eorum materialiter in dominio est volentis intentum; nec quod simpliciter *committuntur*, cum a voluntate minime intendantur, et ne indirecte quidem eis adhaereat voluntas; sed dici potest quod executio eorum *admittitur*, suscipitur, toleratur a voluntate.

Non hic praecise agitur de duplici effectu unius actus, sed de duplici ratione moralis actionis physice indisiungibili; voluntas autem ad unam tantum huiusmodi ratio-

[80] Cassianus, *Collatio* xvii. c. 17 ML. 49, 1062-63.

nem coarctatur, sicut voluntas militis, dum hostes aggreditur, se habet ad periculum ipsa sua positiva actione obeundum. Nedum intendat elementum pravitatis materialis, voluntas ei repugnat; sed contra proprium sensum imperat executionem materialem tamquam *id sine quo non* esset bonum debitum quod exclusive intenditur. Quod quidem vocari convenit « improprie voluntarium » potius quam « voluntarium secundum quid »; exemplum etiam habes in illo qui se in vorticem abicit in ipso actu quo evadit corpoream violationem cui non pateat aliud effugium. Principium generale coincidit cum principio e quo deducitur liceitas sic dicti duplicis effectus.

32. Ex hoc quod liceitas accidentalis actuum materialiter pravorum non reddit eos indifferentes quoad speciem suam, voluntas non potest *inculpate* illos dicto modo admittere nisi in quantum illos *genuine in se abhorret* actu habituque. Voluntas licite imperans executionem eorum in alio volito seu intento nequit iisdem ullo modo « consentire », i. e. sensum iisdem conformem in se admittere iisdemque vel indirecte tantum affici, *quin peccet*. Et sic de simplici falsiloquio non formaliter mentioso, seu non formaliter pravo, intelligi potest, tamquam implicite dictum, paradoxum S. Joannis Climaci, asserentis quod quando omnino a mendacio puri fuerimus, tunc ipsum, non sine timore, exigente occasione, subire poterimus [81]. Absurda esset sententia, supposito quod falsiloquium « ex dispensatione prolatum » [82] adhuc secumferret malitiam formaliter intrinsecam.

Quicumque in actibus materialiter pravis admittendis mensuram necessitatis eorum ad executionem actus boni in se intenti tantisper excedit, ut si quis immoderate vel « cum animo » ferit iniustum aggressorem, praetermittens

[81] ὁπότων ψεὐδους εἰς ἅπαν καθαρεύσωμεν, τότε αὐτὸ μετὰ φόβου καὶ καιροῦ καλοῦντος ὑπέλθωμεν. *Scala Paradisi*. Grad. 12. MG. 88, 856.

[82] οἰκόνομεῖν. Cfr. notam 98.

limites repulsae, non iam pro tanto exercuit inculpatam defensionem, quamvis haec fuerit substantialiter legitima.

33. Quando autem contingit actum physicum materialiter pravum licitum fieri, venire tamen in aliqua electione comparatum cum aliquo *naturali* incommodo subeundo, vel commodo amittendo, *insipienter* (i. e. imperfecte) agit, non tamen illicite, quicumque indecorum illud morale-materiale praefert incommodo mere naturali; *sapienter* res consideranti patet quod ipsa amissio vitae sive propriae sive alienae *per se* potius incurrenda est quam dedecus morale actus materialiter pravi, quantumcumque revera non sit illicitum vitae naturali potius consulere in huiusmodi contingentiis. Sapientis enim est considerare non ea tantum quae licent, sed *ea quae expediunt*; magis autem expedit mori — nisi ipsa vita aliunde extet moraliter expediens aut necessaria — quam undecumque, vel minime quidem, moraliter foedari.

Regula perfectionis circa tales actus est ut ab iisdem abstineatur, nisi actus in quibus continentur sint stricte hic et nunc *obligatorii*. Quando autem sunt liciti tantum et obiective exerceri *possunt* inculpate, *laudabiliter* ab iis abstinetur; ita, e. g. si quis malo non resistit secundum praeceptum evangelicum, laudabiliter agit. Quo autem magis aliquis aversum se exhibet respectu huiusmodi actuum, et prudentem in vitandis eorum *occasionibus* quantum potest, eo honestior aestimatur.

34. Insuper, quando tales actus non constituunt, ut dictum est, *indebitam* materiam, eo quod voluntas super ipsos non cadat, nihilominus constituunt materiam *indispositam* ipsi voluntatis admissioni et susceptioni, utut res correcte fiat; et plerumque considerandi veniunt ut *occasio peccati*, pro mensura generalis imperfectionis virtutum in exercente. Sicut enim, quod aliquis ex officio examinare debeat aut laudare propria merita et talenta, quamvis legitime id fiat, ansam tamen praebet peccatis vanae complacentiae; ita et exercitium falsiloquii, ob implicite exer-

citam deceptionem et simulationem, etiam si ex officio fiat et absque formali peccato obiectivo, non tamen sine occasione peccati est in filiis Adae; siquidem « post lapsum habet homo concupiscentiam quandam venialem respectu malorum; ita habet quamdam delectationem in vanis. Et hoc propter infirmitatis suae corruptionem » [83].

Ex ratione habita huius occasionis inevitabilis peccati subiectivi intelligitur doctrina ascetarum consulentium *poenitentiam* post admissum *irrecusabile* falsiloquium. Sic Abbas Agathon refertur a S. Dorotheo respondisse casum proponenti: « En duo homines attentarunt vitae tuae, et alter eorum aufugit in cellam tuam; ecce autem praefectus quaerit eum, et interrogat te dicens: « An attentatum est vitae tuae? » Nisi provideris [84], tradis hominem morti ». Respondit Abbas: « Quando talis magna necessitas contingit, oportet ut nec sic remaneat sine inquietudine, sed poenitere et flere in conspectu Dei, et huiusmodi occurrentiam habere ut occasionem tentationis; nec fiat hoc continuo, sed semel in multis; sicut enim antidotum et purgativum continuo sumpta nocent: quod si contigerit alicui eisdem singulariter praeter consuetum uti ob summam necessitatem, prosunt; sic oportet uti hac re [85], ut nonnisi ex necessitate et exceptionaliter consentiat verba commutare [86], simul cum timore et tremore ostendens Deo et intentionem suam et necessitatem; et sic excusatur; nam, de facto, in hoc damnum subiit » [87].

Eodem modo de materiali occasione peccati subiectivi intelligi potest sententia Cassiani circa remotionem periculi formalis peccati per falsiloquium ex supposito non mentiosum: « Quando igitur grave aliquod imminet de veritatis confessione periculum, tunc mendaciorum sunt reci-

---

[83] Alexander Halensis, *Theologiae summa*. P. II. q. 113. m. 7.

[84] ... ἐὰν μὴ οἰκονομήσῃ...

[85] ... τῷ πράγματι τούτῳ...

[86] ἀλλάξαι; sensus probabiliter affinis expressioni « compensatio » in S. Augustino. Cfr. notam 98.

[87] *Doctrina IX*, n. 3. MG. 88. 1721.

pienda perfugia, *ita tamen ut reatu humilis conscientiae salubriter mordeamur* » [88].

Doctrina quam hic evolvimus non aliena videtur ab ipsa doctrina quam Aristoteles in *Ethica* proponit; in qua quidem de simplici falsiloquio agit, cum abstrahat ab eo quod mendacio proprium est in quantum est actus socialis [89]. De falsiloquio autem non dicit praecise quod sit « vetitum », sed quod est « per se pravum et vituperatione dignum, verum autem, honestum et laudabile » [90]; non declarat falsiloquium absolute illicitum, sed absolute *fugiendum* [91], utpote indecorum et inhonorans.

35. Brevi, pravitas intrinseca falsiloquio simplici non potest dici *peccatum* per se nisi in illo sensu lato quo peccatum a culpa disiungi potest; siquidem « haec tria, malum, peccatum et culpa, se habent ut communius et minus commune » [92]. A priori rem considerando, existere potest actus mendacio proprie dicto *proximus*, et speciem eius physicam praeseferens, secundum se tamen non essentialiter malitiosus, quamquam intrinsece materialiter defectuosus in genere moris, scilicet habens se ut physica activa dispositio ad operationem mendacii immediate requisita et eidem subiective intrinseca. Qui quidem actus per accidens poni poterit quin rationem mendacii specificam induat, essentialiter malitiosam. Et tunc actus ille regulis in similibus materiis de occisione, etc., regendus erit. De ipso tamen in concreto verificabitur, non ob unicam, sed forsan ob plures rationes coniunctas, quod a nullo quidem prorsus *intemerate* poni poterit, et ab illo tantum inculpate, qui falsiloquium quodcumque integro odio habuerit; pro indicio autem prudentiae habendus erit succes-

[88] l. c., ML. 49, 1063.

[89] οὐ γὰρ περὶ τοῦ ἐν ταῖς ὁμολογίαις ἀληθεύοντος λέγομεν οὐδ' ὅσα εἰς ἀδικίαν ἢ δικαιοσύνην συντείνει..., *Ethic.*, IV, 7.

[90] καθ' αὑτὸ δὲ τὸ μὲν ψεῦδος φαῦλον καὶ ψεκτόν, τὸ δ'ἀληθὲς καλὸν καὶ ἐπαινετόν. Ibid.

[91] ὡς γὰρ αἰσχρὸν τὸ ψεῦδος εὐλαβήσεται, ὅ γε καὶ καθ' αὑτὸ ηὐλαβεῖτο. Ibid.

[92] S. Thomas, *De malo*, q. 2, a. 2.

sus in cavendis occasionibus huiusmodi necessarii falsiloquii; sed perfecta prudentia non datur omnibus.

IV. *Mens S. Augustini circa pravitatem materialem falsiloquii.*

36. Absque hoc quod necessarium sit mentem S. Augustini ex professo nunc elucidare, notare iuvabit quod distinctio supra indicata non aliena apparet a modo suo rem investigandi. In hoc differre videtur S. Augustinus a S. Thoma, quod S. Thomas considerat pravitatem materialem omnis assertionis falsae tamquam formalem mendacii rationem; pravitatem e contra formalem mendacii, quae se tenet a parte voluntatis, habet ut « quandam perfectionem ipsius »[93]; contendit autem statuere pravitatem materialem mendacii esse talem, quae licita fieri nequeat[94]; utrum tamen S. Thomas habuerit simplex falsiloquium ut absolute illicitum, non ut *per se* tantum illicitum, iure dubitatur[95]; quod si constaret de sententia absolutae prohibitionis, sane plus diceret S. Thomas quam S. Augustinus, qui explicite admittit accidentalem falsiloquii liceitatem, sed qui ita universaliter « malum » aestimat falsiloquium, ut si quando contigerit illi esse licitum, remaneat nihilominus « abhorrendum » (*verwerflich*), id est, malis quibuslibet huius vitae anteponendum in ratione mali *reiciendi*.

Tanquam exemplum doctrinae falsiloquii non peccaminosi legatur integrum caput quartum libri *De mendacio*. Tota discussio reapse vergit circa *fidei* existentiam, et ad dubium quidem terminatur; attamen certa aliqua positio in decursu discussionis stabilita est:

« Non enim agitur quis eorum peccaverit, sed quis mentitus sit. *Cito* enim videtur ille *peccasse*, qui *verum dicendo*

[93] *Sum. theol.*, 2a 2ae, q. 110, a. 1.
[94] Ib., ad 3m.
[95] Cfr. St. Bersani, « De intrinseca mendacii deformitate », in *Divus Thomas* (Piacenza), 39 (1936), p. 15. Argumentum desumitur ex considerazione tertii art. eiusdem qu. 110, ad 4m.

egit ut homo incideret in latrones: ille autem *non peccasse*, vel etiam bene fecisse, qui *falsum dicendo egit ut* homo perniciem devitaret ».

Non dicit hic Augustinus, sicut de obstetricibus Hebraeorum, adfuisse quidem veniale peccatum, sed remunerandae misericordiae admixtum[96]; plane negat peccatum. Notetur etiam expressio « falsum dicendo *egit ut* ... »; dicere falsum non fuit obiectum voluntatis, seu quomodocumque in se volitum; sed dictio falsa constituit membrum physicum intentae debitaeque devitationis perniciei. Non autem sufficit « cito vidisse », ex evidenti scilicet, utut implicito, conscientiae testimonio, sed oportet claram illam conscientiam accidentalis liceitatis falsiloquii theoretice iustificare[97].

37. Sapiens non admittit falsiloquium nisi unicam indeclinabilemque sibi optionem constituat immediate vitandi *formale peccatum;* sub hac restrictione tantum admittenda videntur illa quae saepius Augustinum turbaverunt « compensativa » peccata[98]. Immo sapiens non ignorat quod, si magis excultus esset in prudentia, viam aliquam opportunam inveniret evadendi hanc optionem inter pec-

[96] *Quaest. in Hept.*, l. 3, c. 68.

[97] Licitum existimando falsiloquium in hoc similibusque casibus, S. Augustinus non necessario dissentit quoad rem a S. Thoma asserente quod « falsitatem proponere in nullo casu licet alicui » (2^a 2^{ae}, q. 69, a. 2); nam S. Thomas, qui formaliter semper loquitur, hic agit de falsiloquii propositione per se intenta; S. Augustinus, e contra, agit de falsiloquio concomitanter admisso: « egit ut »; conditio sine qua non « agendi ut » fuit «falsum dicendo». Quod quidem licitum non esset si falsum dicere esset formaliter immorale. Et apud ipsum S. Augustinum non desunt expressiones falsiloquium *per se* considerantes, ideoque simpliciter illud prohibentes: « falsum dicere nihil licet » (*In Ep. ad Gal.*, n. 10).

[98] Expressio « compensativa peccata » pluries adhibetur a S. Augustino in *De mendacio;* desumi videtur ex rhetoribus, et designat argumentum in quo contenditur quod delinquendo cum maiori incommodo consultum est. (Cfr. *Thesaurus linguae latinae*); expressio probabiliter affinis est verbis οἰκονομεῖν et ἁλλάττειν. De huiusmodi peccatis, et recte quidem, turbatur S. Augustinus. Doctrina enim admitti nequit a perfecto viro nisi agatur de necessaria remotione peccati formalis, et in condicionibus examinatis. Cfr. n. 44.

catum et falsiloquium non mentiosum; et secundum hoc intelligitur quod omne mendacium « a malo est ». Hanc sententiam implicite profert in casu typico « homicidae veritatis » [99], in quo non asserit quidem quod falsiloquium tunc fuerit illicitum, sed agnoscit « sensum humanum » egregie confitens pondus ipsius ut insipientem non ut formaliter culpabilem —, qui non novit agnoscere supremum *decorem* veriloquii.

Utinam frequentior esset illa nobilis animae angustia: securius tunc forsan possent regulae obiective correctae locutionis evulgari. Quod haec communis propensio hominum ad falsiloquium non nullum influxum exercuerit ut induceret S. Augustinum ad proferenda argumenta positionis « inflexibilis », patet ex iis quae dicit in *Contra mendacium*, n. 37:

« Huc accedit, ubi miserabilius eiulandum est, quod si concesserimus pro salute illius aegri de vita filii eius fuisse mentiendum, ita paulatim minutatimque succrescit hoc malum, et brevibus accessibus ad tantum acervum mendaciorum sceleratorum sensim subintrando perducitur, ut nunquam possit penitus inveniri, ubi tantae pesti per minima additamenta in immensum convalescenti possit obsisti ».

Ex eadem implicita notione pravitatis alicuius mere materialis explicatur quod S. Augustinus limitet indecentiam absolutam mendacii, et consequentem illiceitatem, *perfectis* et spiritualibus hominibus. Actus enim cui inesset malitia intrinseca esset in quolibet exercente simpliciter reprobandus:

« Ne quis arbitretur perfectum et spiritualem hominem pro ista temporali vita, in cuius morte non occiditur anima, sive sua sive alterius, debere mentiri ... Falsum autem dicere non invenitur concessum esse perfectis » [100].

De falsiloquio non proprie mentioso dici poterit quod et de iuramento scriptum invenimus, nempe quod « a malo est » [101], i. e. quod nunquam necessarium evadit nisi ra-

[99] *Contra mend.*, n. 36.
[100] *Enarr. in Ps.* V., 7.
[101] Mt. 5, 37.

tione infirmitatis humanae, sive audientis sive ipsius sermocinantis; et « absolutam » huius falsiloquii reprobationem intelligere poterimus sicut prohibitionem in Evangelio positam circa iuramentum, « Dico vobis, non iurare omnino » [102], de qua, ob modum agendi Apostoli, concludit S. Augustinus:

« Intelligendum est illud quod positum est « omnino » ad hoc positum, ut, *quantum in te est, non affectes*, non ames, non quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas iusiurandum » [103].

Distinxit enim aliquando S. Augustinus *mendacium cordis*, « ut corde mentiatur, cui placet mendacium; possit autem non corde mentiri, qui per vocem aliud quam est in animo ita profert, ut maioris mali evitandi causa malum se *admittere* noverit, cui tamen *utrumque displiceat* » [104].

Inter interpretationes Sap. I, 11: « Os quod mentitur occidit animam », S. Augustinus proponit illam secundum quam a quibusdam mendaciis

« ... non sit *ore corporis* abstinendum, si maioris mali evitandi causa exigit; ore autem cordis ab omni mendacio penitus abstinere debeamus. Ubi oportet intelligi quod dictum est « Noli velle »: voluntas quippe ipsa quasi os cordis accipitur, ut non pertineat ad os cordis, cum maius malum cavent es mentimur inviti » [105]. « Veritatem loquitur in corde, qui odit mentiendi necessitatem, quam poenam huius vitae mortalis intelligit » [106].

Corollarium. *De indecentia.*

38. Notandum est quod iidem actus inordinati in genere naturae, vel materialiter pravi, possunt fieri specialiter indecori vel illiciti ex respectu *subiecti* in quo exercentur; immo intrinsece illiciti, intrinsecitate non iam mere concreta, nec mere essentiali, sed *subiectiva*. Ratione nempe habita auctoritatis vel characteris sacri, etc., talis personae actus aliqui in se non essentialiter mali induunt

[102] Mt., 5, 34. — [103] *De mend.* n. 28. — [104] Ibid., n. 31. — [105] Ibid., n. 34. — [106] Ibid., n. 35.

rationalem inconvenientiam, seu indecentiam. Unde nonnullis non licet, quod aliis licet; et hoc valet de falsiloquio.

Utiliter comparari potest inhonorabilitas intrinseca falsiloquii cum rationabili inhonorabilitate quarundam professionum, quantumvis legitimarum et necessariarum, qualis est e. g. professio publici carnificis, et annexus « defectus lenitatis », unde « iudex qui sententiam tulit », et « qui munus carnificis susceperint eorumque voluntarii ac immediati ministri in executione capitalis sententiae » irregularitatem contrahunt [107].

SECTIO QUARTA - DE MALITIA INTRINSECA

I. *De malitia absoluta.*

39. Malitia intrinseca proprie dicta, seu formaliter intrinseca, duo complectitur: 1° quod inordinatio quidem est formaliter ipsius *voluntariae intentionis;* et 2° quod haec inordinatio est concrete intrinseca — seu necessario inest — ipsi *definitioni* actus. *Ex primo elemento* sequitur quod haec malitia intrinseca, seu specifica actus irrationalitas, est *absoluta* simpliciter; verificatur autem in actionibus quae sunt e. g. iniustae secundum se, ut homicidium, vel imprudentes, ut praesumptio, vel Dei offensivae, ut formalis incredulitas, etc.

Bonitas quidem et malitia eorum *quae sunt ad finem*, seu ordinabilia, dicitur *relativa*; quia haec sunt bona vel mala simpliciter prout referuntur vel non referuntur ad finem debitum, seu rationalem; et sicut supra ostensum est, quaedam referri possunt ad finem rationalem praeter ordinem suum physicum particularem, intentione quae dicitur indirecta (inordinationes in genere naturae); alia vero referuntur ad finem rationalem saltem in quantum physice concomitantur obiectum debite ordinatum exclu-

[107] Codex I. C., can. 984.

sive intentum (actiones materialiter pravae); deformitas intrinseca horum actuum, cum non sit formaliter sed dispositive tantum voluntaria, non impedit formationem intentionis rectae circa actum cui sociantur.

Sed *ipsamet ordinatio* ad finem, vel deordinatio a fine, in se spectata, seu secundum propriam suam formam relationis expressa, necessario est secundum se *absoluta*; ipsa enim relatio non refertur. Quod si finis sit finis ultimus, qualis est finis rationalis voluntatis, ordinatio vel deordinatio erit *simpliciter* absoluta, non secundum quid tantum ut quando agitur de finibus secundariis, qui sunt in genere naturae.

Consequenter ad hanc suam absolutam inordinationem, voluntates formaliter deformes sunt intrinsece *irreformabiles*; quippe quae inordinantur respectu supremi illius transcendentalisque ordinis rationalis, qui nulli alii subordinabilis est, et in quo ipsi actus rationales naturales, ut naturales, remanent rationaliter ordinabiles, seu non sine potentia rationales [108]; siquidem ordo rationalis non est alius ac *ordo* qua talis, et est formalis sapientia. Non existit vero ordo moraliter superior ordini illi rationali angelis pariter et hominibus, immo et ipsi Deo, proportionaliter communi. Elevatio supernaturalis fundamentaliter est evectio seu ampliatio ipsius virtutis rationalis in linea proprii sui fastigii super exigentiam totius creaturae. « Caritas non est virtus *moralis*, quia non est circa passiones, quae sunt in appetitu sensitivo, qui est rationalis *per participationem* » tantum; aliis verbis, non dicitur moralis, quia transcendit virtutem moralem in linea *rationalitatis*. « Proprium subiectum caritatis est voluntas », quae quidem « in ratione est »; « actus autem principalis caritatis est diligere Deum: qui quidem *rationis* est quasi dirigentis, sed appetitus quasi exsequentis » [109]. Ipsa facultas rationalis in actibus suis supernaturalibus utique sequitur *Deum*, seu regu-

[108] Cfr. S. THOMAM, *In 2. Sent.*, d. 41, q. 1, a. 2, ad 2m.
[109] S. THOMAS, *In 3. Sent.*, d. 27, q. 2, a. 3 c. & ad 1m.

latur a Deo, tamquam a regula suprema et excedenti [110], sed ipsa haec prima activeque dirigens Regula est « quasi ratio Dei » [111]; siquidem proprium Dei est ultimatim in Finem Se ordinare, seu perfectum facere; — cui quidem Rationi communicat homo pro mensura caritatis suae, in qua « maxime consideratur ordo secundum relationem ad primum principium » [112].

Inordinatio igitur formaliter immoralis, seu irrationalitas voluntatis, nedum reformari valeat, non poterit nisi *deformior* fieri ex elevatione supernaturali hominis; sicut inordinatio offensionis Dei, qua talis, maxime deformis fuit in supremo angelo. Ideo observat S. Bonaventura:

« Cum ... aliquid est malum malitia intentionis, tunc sive sit respectu Dei, sive respectu proximi, simpliciter malum est, et nullo fine potest bene fieri, quia dicit privationem debiti finis. Unde facere hoc malum esse bonum, nihil aliud est facere, quam aliquid simul esse bonum et malum » [113].

40. Malitia autem illarum actionum formaliter pravarum dicitur absoluta, *non* eo tamen sensu quod sit *summa*, aut absolute *gravis*, sed eo sensu quo omnes rationes et perfectiones absolutae seu simplices (e. g. intellectus, bonitas, sapientia, etc.) non suscipiunt magis et minus, grave aut leve, secundum se, sed tantum ratione essentiae actus in quo *subiective* recipiuntur; unde sapientia hominis, e. g. dicitur infima, Dei autem summa, immutata remanente specie formali sapientiae; sic et malitia intrinseca incredulitatis poterit dici gravis, mendacii vero *levis*, etc., quia grave et leve non mutant speciem absolutam essentialis malitiae, quae in omnibus dicit immoralitatem formalem, sive deflectatur directe vel tantum indirecte, sive totaliter vel tantum partialiter, sive formaliter vel tantum virtualiter, a fine debito voluntatis rationalis.

---

[110] *Sum. theol.*, 2ª 2ae q. 17, a. 1. Cfr. *Quaest. de Virtutibus*, a. 13 in fine.

[111] *Sum. theol.*, 1ª 2ae, q. 71, a. 6.

[112] *Sum. theol.*, 2ª 2ae, q. 26, a. 1, ad 1m. - Cfr. MAUSBACH, o. c., I, pp. 202 ss.

[113] *In 3. Sent.*, d. 38, q. 2, concl. - Cfr. BERSANI, o. c., p. 10.

Unde patet quod ad malitiam absolutam mendacii demonstrandam non necessarium est absolutam aliquam gravitatem eidem assignare prout fit a Kantio [114] -- et a nonnullis aliis, saltem per transennam.

II. *Condiciones malitiae intrinsecae mendacii.*

41. *Alterum elementum* intrinsecae malitiae, ut dictum est (n. 39), est intrinsecitas concreta voluntariae deformitatis ipsi actus *definitioni.*

Exinde sequitur quod mendacium non erit essentialiter malitiosum nisi — et in quantum — formaliter constituitur *per vitium aliquod ipsius voluntatis*, sicut est, e. g. odium proximi.

Ulterius constat quod haec mendacii malitia formalis non poterit esse concrete intrinseca alicui locutioni, nisi *locutio ipsa* formaliter constituatur per alicuius *virtutis rationalis* exercitium, perinde ac contractus, iuramentum, promissio, etc., quae non constant simplici actu physico.

Item malitia essentialis mendacii supponit quod locutio, in hoc ipso suo rationali exercitio specifico, ita per mendacium disturbetur, ut *violetur* virtus illa in locutione exercenda, violatione proprie dicta, non qualicumque dictae virtutis deficientia eam non formaliter laedente.

Consequenter malitia mendacii propria non erit quaerenda a parte *machinationis* mendacii, sed a parte huius quod in mendacio et per mendacium machinatur, seu a

---

[114] « Die *grösste* Verletzung der Pflicht des Menschen gegen sich selbst, bloss als moralisches Wesen betrachtet (die Menscheit in seiner Person), ist das Wiederspiel der Wahrhaftigkeit: die Lüge (aliud lingua promtum, aliud pectore inclusum gerere). Dass eine jede vorsätzliche Unwahrheit in Aeusserung seiner Gedanken diesen harten Namen ... nicht ablehnen könne, ist für sich selbst klar. Denn Ehrlosigkeit (ein Gegenstand der moralischen Verachtung zu sein), welche sie begleitet, die begleitet auch den Lügner wie sein Schatten ... Die Lüge ist Wegwerfung und gleichsam Vernichtung seiner Menschenwürde. (*Die Metaphysik der Sitten - Ethische Elementarlehre*, 1. T., 1 B., 2. H., §9) - Haec quidem dicta vera essent, et ad mentem ipsius S. Augustini, si rerum *proportio* in dicendo servata fuisset.

parte *notionis specificae* mendacii per obiectum eius formale determinatae. Hanc igitur notionem specificam primum investigandam habebimus.

42. Sufficiat nunc in antecessum indicare conclusiones huius investigationis, nempe quod haec intrinseca mendacii malitia consistit in *perfidia*, qua violatur *fides* constitutiva locutionis, per falsam attestationem propriae sententiae; haec perfidia exercetur in specie locutionis *dolosae*, i. e. *testimonii* de proprio animo, corrupti in artificium decipiendi. Professio veracitatis intrinseca omni locutioni corrumpitur in mendacio, ad instar professionis cultus Dei in periurio. Quantum autem haec doctrina de ratione mendacii plane pleneque sit S. Augustini, uno iterum textu nunc indicare sufficiet: « Nemo enim mentiens, inquit, in eo quod mentitur, servat fidem; nam hoc utique vult, ut cui mentitur fidem sibi habeat, quam tamen ei mentiendo non servat: omnis autem fidei violator iniquus est » [115]. Hic expressum invenimus *cardinem* totius tractationis de mendacio.

Ex altera parte notandum est quod malitia intrinseca necessario pertinet ad *abstractam* actus rationem, sicut dictum est de homicidio, non ad actum physice seu concrete sumptum et in se tantum spectatum. Formalis immoralitas *descriptioni* non subest in specie sua; non manifestatur per solam analysim psychologicam, etiam minutissimam, sed in ipso iudicio morali, per analysim *rationalem*. Nulla igitur notio descriptiva mendacii talis esse poterit ut universaliter respondeat malitiae intrinsecae mendacii; sed, pro mutatis circumstantiis, aderit vel aberit malitia intrinseca; sicut, pro mutatis circumstantiis, adest vel non adest homicidium in occisione.

III. *Compendium solutionis.*

43. Ex dictis anticipare iam possumus *lineas genera-*

---

115 *De doctrina christiana*, I, 36.

les solutionis casuum de mendacio. Ad mendacii quidem constitutionem concurrunt quinque actus singillatim deformes in suo gradu. Duo quidem ex illis, *fallacia* et *astutia* secumferunt inordinationem in genere naturae tantum; intrant autem constitutionem *deceptionis* et *simulationis* respective, quae secumferunt inordinationem materialem intrinsecam in genere moris; deceptio tandem et simulatio exercentur in *perfidia*, quae est inordinatio formaliter immoralis, et mendacio proprie dicto intrinseca.

Ita autem inter se dependent et cohaerent illi actus ut limites proprii quatuor priorum constituant *totidem limites universi mendacii*: non enim adest mendacium ubi genuina non est fallacia, etc. E contra deceptio et simulatio sermonis dissociari possunt a perfidia, quando nempe conditiones obiectivae fidei exercendae non adsunt; et similiter fallacia a deceptione, astutia a simulatione dissociari possunt; actus ergo illi quatuor exerceri possunt in sermocinando *quin sint proprie mentiosi*. Fallaciae autem et astutiae contingere poterit quod evadant per accidens actus indifferentes aut positive boni; deceptioni vero et simulationi, licet universaliter odibilibus, quod necessario socientur actui debito. Supererit examinare inanitatem abusus signi, quem nonnulli existimant mendacio intrinsecum.

Sic ergo pedetentim diiudicatis pravitatibus ipsi mendacio *formaliter* sumpto extraneis utut affinibus -, eidem vero *concrete* sumpto intraneis, sed partialibus tantum et ab ipso *dissociabilibus*, solutio aperietur variis casibus suppositi « necessarii mendacii » (*Notlüge*), negando suppositum mendacium, vel a parte actus sicut negatur occidisse qui vulneravit tantum vel a parte formae, sicut negatur homicidium in tutela inculpata -; quo in casu discernenda erit simplicis falsiloquii respectiva moralitas aut immoralitas.

COROLLARIA 1° *De perplexitate subiectiva.*

44. Casus autem praeliminaris examinandus venit, minime infrequens, perplexitatis circa proprium officium in angustiis conversationis, praesertim subitaneis, in quo duo peccata *per modum dilemmatis* conscientiae obversantur. Casus quidem hic et nunc nequit solvi nisi ex generali principio morali *ad efformationem conscientiae,* ex quo, si *minus peccatum* eligitur, non habetur ut *imputabile,* non obstante specie sua obiectiva formalis peccati oculis conscientiae. Hic proprie applicatur theoria peccati « compensativi »:

« Sicut enim in rebus utilibus, velut in pecuniario aliove aliquo commodo corporali, non vocatur damnum, quod propter maius lucrum amittitur, sic et in rebus sanctis non vocatur peccatum, quod ne gravius admittatur, admittitur » [116].

Haec « practica » solutio multis, ut plurimum, sola obversatur [117]. Antequam dicamus quid de ea sit sentiendum, notemus quod casus perplexitatis non existit nisi actus admissus sit illi qui eum ponit *immediata evitatio* alterius peccati; non applicatur si peccatum admissum est *medium* cavendi alterum peccatum, ut si quis mentiatur, minora de se falso asserendo, ad fugiendam superbiam: « Homo non debet unum peccatum facere *ut aliud vitet.* Et ideo non debet mentiri qualitercumque ut vitet superbiam » [118].

Item cavendum est ne simplex incommodum qualecumque veracitatis in comparationem directam admittatur laesionis cuiuslibet propriae conscientiae; « cum enim concesseris admittendum aliquod malum, ne aliud gravius admittatur, non ex regula veritatis, sed ex sua quisque cupiditate atque consuetudine metitur malum; et id putat gravius, quod amplius ipse exhorrescit, non quod amplius revera fugiendum est » [119]. Peccatis enim nonnisi peccata possunt esse mala peiora.

---

[116] *De mend.*, n. 39.

[117] Cfr. GÉNICOT-SALSMANS, *Instit. theol. mor.*, I, n. 416.

[118] *Sum. theol.*, 2ª 2ae, q. 113, a. 1, ad 3m.

[119] *De mend.*, n. 38. - Cfr. S. HILARIUM, *Tract. super Psalmos,* Ps. XIV. ML. 9, 304-5.

45. Haec tamen subiectiva perplexitatis solutio non potest esse nisi *provisoria*. Conscientiae enim sufficienter illuminatae patebit quod in ordine rerum *obiectivo* ineluctabilis illa minoris formalis peccati electio prae graviori locum habere nequit; siquidem rationalis ordo sibi obiective contradicere nequit; unde recte notavit Guilelmus Altissiodorensis quod « vir perfectus non potest esse perplexus, neque perplexitate absoluta, neque condicionata » [120]. Igitur necessitas actus formaliter intrinsece mali, qualis est mendacium proprie dictum, nequit existere. « Mendacium necessarium » est notio aliqua fictitia.

Minime igitur, cum Bolgeni, transformanda est non-imputabilitas peccati in exceptionem obiectivam prohibitionis mendacii [121]; nec dicendum quod mendacium *consequenter* ad hoc quod intendatur et eligatur, e. g., ut necessaria legitima defensio, amittit rationem suam mendacii [122]; sed a priori tenendum est quod attente occurrentiam consideranti patebit moraliter necessarium falsiloquium, *antecedenter* ad suam electionem iam non verificasse con-

---

[120] *Summa aurea*, lib. 3, tr. 23, c. 1, q. 2.

[121] « Dio non può obligare all'impossibile. Quando dunque due precetti al tempo stesso si combinano in modo, che sia impossibile l'osservarli ambedue, uno di quelli cessa di natura sua di obligare; e cessa certamente il meno importante. Abbiamo dunque bene, e con certezza più che morale, provata una eccezione da porsi alla legge generale di non mentire, cioè quando non si possa osservare qualche altro precetto più importante se non col dir bugia. Dicono alcuni che nei casi della impossibilità sovra esposta *non è bugia* quella che si dice. Ma chi dice così, confonde le idee, e nega l'essenza delle cose... (*Il possesso*, n. 159 s. Brescia 1796, p. 191. Cfr. *Mélanges théologiques*, 4e série, 1850-1, pp. 406 s. - Sommervogel, *Bibl.* S. J., II, 1617 ss, n. 17). Utrum rerum essentias confuderimus, ad alios iudicare pertinet; sed auctor manifeste confundit *obligationem* et *legem!*

[122] « Sicuti iniusta alterius aggressio efficit ut actio, quae secus esset homicida, non sit, qua actio, nisi sui defensio, sic etiam causa erit cur verba quae, extra aggressionem prolata, forent mendacia, nunc simul sint defensiva secreti et qua talia tantum intendantur et eligantur ». (Vermeersch, *Theol. Mor.*, II, n. 705, 3o, p. 660. Cfr. crisim sententiae in O. Schilling, « Die Verwerflichkeit der Notlüge », in *Theol.-prakt. Quart.*, 91 (1938) pp. 621 ss.

diciones mendacii proprie dicti, *et ideo*, utpote non essentialiter illicitum, potuisse intendi, e. g. in ratione necessariae legitimaeque defensionis; perinde ac occisio aggressoris amisit rationem iniustitiae antecedenter (logice) ad hoc quod eligi licite posset in propriam defensionem; stante enim iniustitia intrinseca actus ad repulsionem aggressionis electi (e. g. directa occisio tertii innocentis), non fuisset inculpata defensio propria, utcumque pure intenta in ratione defensionis. Antecedenter autem ad omnem actualem aggressionem et defensionem ius hominis in propriam vitam non est tale quod ei redderet aggressionem tutam ab omni defensione, supprimeretque ius proximi in propriam vitam defendendam.

2° *Confertur malitia luxuriae cum malitia mendacii.*

46. Ita frequenter comparantur inter se luxuria et mendacium, iam a tempore S. Augustini, elaboranturque argumenta « a pari » demonstrationis malitiae intrinsecae mendacii [123], ut necessaria sit, per modum appendicis huius primae partis, brevis aliqua dilucidatio huius materiae.

Diximus quidem supra quod omnis malitia *essentialis* se tenet a parte actus voluntarii interioris, et quidem a parte formae seu finis ipsius actus voluntatis. Si autem loquamur de malitia *intrinseca* voluntatis, qua tali, fatendum est quod praeterea existit actus voluntatis intrinsece malus cuius malitia specifica non derivatur ab ipso fine voluntatis, sed ab actu exteriori qui intenditur, nempe *luxuria voluntaria*. Actus enim exterior luxuriae, quamvis sit specifice corporalis, involvit tamen in ratione sua deordinationem directe afficientem ipsam *personam* humanam; nequit igitur intendi rationaliter, utpote secumferens depravationem valoris cuiusdam absoluti, i. e. personae.

Minor patet, ex eo quod *generatio* activa, ad differentiam ceterorum actionum corporalium, quae sunt acciden-

[123] Cfr. VERMEERSCH, in *Gregorianum* 1920, p. 35.

tales respectu substantiae corporeae, non solum procedit, sicut illae, e supposito, sed et ipsum *suppositum* corporeum formaliter involvit in operatione. Atqui suppositum corporeum essentialiter integratur in persona humana. Ergo inordinatio quaevis generationem activam afficiens, est inordinatio personam ipsam humanam directe afficiens.

Ad maiorem. Patet quod suppositum corporeum qua tale involvitur seu adhibetur in operatione generativa, tum ex eo quod haec operatio per se terminatur ad esse novi *suppositi* eiusdem naturae, i. e. ad « corpus ad susceptionem animae rationalis aptum natum » [124]; tum ex eo quod in operatione quae est « actus naturae » [125], individuum corporeum qua tale subordinatur ut *membrum* naturale bono speciei cui pertinet [126], quaeque per ipsum agit, tamquam per organum. Quodsi suppositum humanum, ratione animae intellectivae, quae « excedit totum *genus* corporeum » [127], totum valorem excedat universae animalitatis, ideoque operatio generativa secundum se non substet *obligationi* [128], — attamen, *si* exercetur haec operatio, et quidem inordinate, i. e. inepte seu indecenter, inordinatio afficit ipsum suppo-

---

[124] *Sum. c. Gentes*, lib. IV, c. 52.

[125] S. THOMAS, *In Ep. ad Rom.*, c. V, lect. 3.

[126] « Sicut enim in una persona multa sunt membra, ita in una humana natura multae sunt personae, ut participatione speciei multi homines intelligantur quasi unus homo, sicut Porphyrius dicit ». (*Comp. theol.*, c. 196) Cfr. *Sum. theol.*, Ia 2ae, q. 81, a. 1, etc.

[127] *Sum. c. Gentes*, lib. II, c. 81.

[128] Aliam correlativam rationem adducit S. Thomas in *Quodl.* VII, a. 17: « Aliud vero est (praeceptum) quod ordinatur ad tollendum defectum totius speciei, sicut hoc quod dicitur Gen. I, 28: *Crescite et multiplicamini, et replete terram;* in hoc enim praecipitur actus generationis, quo natura salvatur et multiplicatur ». Ad hoc autem « praeceptum non tenetur quilibet singulariter. In his enim quae pertinent ad speciem, omnes homines computandi sunt quasi unus homo ... Sicut autem homo unus habet diversa membra, quibus occupatur in diversis officiis ordinatis ad tollendum proprium defectum, quae non possunt omnia per unum membrum exerceri ...; ita oportet esse in his quae ad totam speciem pertinent. Non enim sufficeret unus homo ad exercenda omnia quibus humana societas indiget; et ideo diversis officiis oportet occupari diversos ».

situm humanum quod sic voluntarie inepte adhibetur, ideoque inhonoratur. Inordinatio non formaliter est ipsius facultatis sed dispositionis suppositi, quia non ipsa facultas *immediate* subordinatur speciei, sed suppositum, et facultas mediante supposito seu corpore qua tali. De cetero « actus generativae virtutis non oboedit rationi vel voluntati » [129], ideoque inordinatio luxuriae proprie consistit in illegitima dispositione proprii corporis in ordine ad actum generationis.

Exercitium corporei suppositi in actu generativo demonstrari etiam posse videtur ex I Cor. 6, 18, necnon ex definitione canonica matrimonii, etc [130].

Gravitas peccati luxuriae non procedit, ut patet, ex inordinatione *passionis* concupiscibilis in appetitu *delectationis* venereae [131], sed ex inordinatione ipsius *operationis generativae* obiective sumptae; et quidem non in quantum haec inordinatio est abusus alicuius organi, sed in quantum insuper, et principaliter, secumfert abusum et laesionem ipsius personae inordinate adhibitae. Sicut enim gravis iudicatur inordinatio liberi arbitrii *circa finem ultimum*, quia ipsam personam laedit in propria sua ordinatione spirituali, ita et in linea corporali gravis iudicatur ex toto genere luxuria, quia personam ipsam laedit, non ea tantum quae sunt circa personam, prout ipsa conscientia testatur.

47) Ex dictis patet unde eveniat quod malitia intrinseca luxuriae voluntariae societur in universum actui *concreto*, seu descriptive determinabili, luxuriae; ipse enim actus concretus generandi formaliter involvit personam, et voluntas inordinationis huius actus consequenter involvit contradictionem iudicii moralis. In quo quidem luxuria differt a mendacio, cuius malitia intrinseca ex actu exte-

---

[129] *Sum. c. Gentes*, lib. IV, c. 52.

[130] Diversas demonstrationes malitiae luxuriae videsis in *Sum Theol.*, 2a 2ae, q. 153, a. 3; *De Malo*, q. 15, a. 2, etc.

[131] *De Malo*, q. 15, a. 2.

riori derivari nequit, sed tantum ex interiori actu voluntatis implicito in locutione proprie dicta.

Ex dictis insuper patet quid respondendum sit ad casum, pluries examinatum a S. Augustino, de mendacio propter servandam pudicitiam corporis admittendo. Conferendo enim luxuriam corpoream in alio actu legitime volito admissam, cum falsiloquio *materialiter* pravo eodem modo admisso, patet quod admissio luxuriae pravior est prae admissione falsiloquii, quia *pravitas materialis* luxuriae est absoluta respectu pravitatis materialis relativae falsiloquii; igitur falsiloquium admittendum esse videtur prae luxuria in casu; et haec videtur solutio implicita in iudicio S. Augustini de liceitate — immo de officio — mentiendi ad evitandam immunditiam corporalem [132]. E contra, conferendo luxuriam eodem modo materialiter admissam cum mendacio proprie dicto, ideoque *formaliter pravo*, patet quod formalis malitia mendacii materiali malitiae luxuriae supradicto modo admissae comparata undecumque peior habenda sit; ideoque luxuria materialis potius admittenda est quam mendacium formale committendum; et haec iterum videtur solutio implicita in altero iudicio S. Augustini de praeferenda castitate animi pudicitiae corporali [133].

(*Continuabitur*)

M. Ledrus, S. I.

---

[132] *De mend.*, n. 15.

[133] « Animi quippe castitas est in bona voluntate et sincera dilectione, quae non corrumpitur, nisi cum amamus atque appetimus quod amandum atque appetendum non esse veritas docet. Custodienda est ergo sinceritas dilectionis Dei et proximi; in hac enim castitas animi sanctificatur: et agendum quibus possumus viribus, et pia supplicatione, ut cum violanda appetitur pudicitia corporis nostri, nec ipse animae sensus extremus, qui carni implicatus est, aliqua delectatione tangatur: si autem hoc non potest, vel mentis in non consentiendo castitas conservetur. Custodienda est autem in animi castitate, quod ad dilectionem proximi pertinet, innocentia et benevolentia: quod autem ad Dei, pietas ». (*De mend.*, n. 40) cfr. n. 41-42.

De sacerdote ficte suscipiente ordinem presbyteratus

Lucius, vir valde timidus et arte simulandi peritissimus, sacerdotium sine vocatione suscepit, ne parentes contristaret. Nunc vero, post tres annos a suscepto sacerdotio, in quibus, quantum potuit, se abstinuit a sacro ministerio exercendo, magnis conscientiae angoribus agitatus, ad episcopum accedit manifestans se non esse sacerdotem, utpote qui in ordinatione sacerdotali intentionem positivam habuit sacrum ordinem non recipiendi.

Episcopus eum, ut scrupulis conturbatum, reicit, et ei praecipit ut in munere cappellani, quo fungitur, permaneat; nam contra factum ordinationis sine ulla resistentia susceptae, nihil valent Lucii affirmationes.

Lucius vero, nullo modo amplius ad onera clericorum sustinenda se parem reputans, declarationem nullitatis et reductionem ad statum laicalem petit.

1. Planum est Lucium gravissime pecasse sic ad sacros ordines accedendo: 1° quia vocatione divina destitutus, accessit. 2° quia ficte accessit ad sacrum ritum suscipiendum; atque hoc peccatum speciem induit gravissimi sacrilegii. Nec ratio excusans valet, cum parentes eum non coegisse appareat ad ordines suscipiendos. Quare iure meritoque nunc magnis angoribus conscientiae agitatur. Qui angores non solum propter praeterita haec peccata supponimus suscitari sed, vel maxime, propter gravissimas consequentias quae postea sunt secutae. Per tres annos, muneribus sacerdotalibus vacavit, et quamvis « quantum potuit se abstinuit a sacro ministerio exercendo », procul dubio, in munere cappellani, sacrum, saltem frequenter, celebrare debuit, conscius se non esse sacerdotem et poe-

nitentiae sacramentum et extremam Unctionem aut min- travit ficte, aut causa fuit cur nonnulli saltem his sacr mentis privarentur.

Nunc vero poenitens, ut supponimus, ad episcopum accedit propriam timiditatem superando. Quare nostrum est, quid praestandum sit in casu, breviter proponere.

2. In primis autem, iudicium circa valorem ordinationis Lucii efformandum est.

Ad quod, reiecta, ut probabilite destituta, singulari sententia Card. *Gasparri* [1] cum communi et « certa » [2] sententia, tenemus invalide ordinari eum qui *ficte consentit*, seu qui interna et absoluta voluntate positive reunit ordines suscipere. Hic iure divino est incapax validae ordinationis [3].

Quod probatur primo, ex doctrina generali de necessitate intentionis, saltem habitualis, in subiecto sacramentorum adulto [4]. Secundo, ex praxi Ecclesiae circa Ordinis sacramentum [5]. Semper ut invalidam habuit illius ordinationem qui interna mentis intentione, ordinem acceptare recusavit. Confer, ad exemplum, Resp. S. O. 2 mart. 1842 [6].

---

[1] *Gasparri*, Tractatus canonicus de Sacra Ordinatione. vol. I, (Parisis 1893) n. 641.

[2] *Cappello* De Sacramentis, vol. II. Pars II. n. 361. *Wernz-Vidal* Ius canonicum, IV, I. n. 207.

[3] *Wernz-Vidal*, l. c.

[4] Cf. *Pesch* Prael. Theol. dogm. vol. 6; ed. 5ª prop. 28.

[5] Card. Gasparri (l. c.) Conatur vim argumenti elidere sequenti argumentatione: qui *accedit*, ait, eo quod accedit vult sacramentum, cum velit sacrum ritum, seu materiam et formam rite a ministro applicatam in se suscipere; quia vero *ficte* accedit non vult effectus, i. e. characterem et gratiam. Ergo cum sacramentum agat ex opere operato, secunda voluntas per primam eliditur. Proinde cum omnis qui accedit. velit accedere; vult etiam et sacramentum recipere. Ergo et characterem revera recipit.

Sed aequivocatio patet: is qui fictus accedit voluntatem habet utique accedendi et patiendi ut super ipsum sacri ritus ponantur, *at quatenus sunt actiones materiales*, non vero quatenus sunt *sacramentum*, i. e. signum *efficax* rei sacrae. Ergo, revera, fictus non vult sacramentum recipere, et duae voluntates bene componi possunt.

[6] Coll. de P. F. vol. I. n. 946. Font. C. I. C. IV n. 887.

Quoad ordinis vero exercitium, clare patet requiri ut *tea certo* constet de valore ipsius susceptionis. Ab eo .im effectus maximi momenti pro Ecclesiae vita dependent, ut est valor sacrificii missae et collationis sacramentorum.

Ideo praxis Ecclesiae imponit iterare ordinationes, saltem sub condicione, quotiescumque aliquod, quamvis leve, dubium circa ipsius valorem exoritur [7].

Quod si iteratio fieri nequeat, quia ex. c. subiectum in eam non consentit, ab exercitio ordinis, ut patet, est abstinendum, et consequenter recedendum est a quolibet munere, quod praedictum exercitium secumferat.

Et cum in his, quae potestatem ordinis exigunt, Ecclesia non possit, sua auctoritate supplere et efficere ut actus nullus, validus efficiatur, patet nemini licere non iam praecipere, sed nec permittere ut potestas ordinis nulla vel dubia ab aliquo exerceatur.

3. In casu autem nullitatis ob defectum intentionis, si hic defectus nullis exterius argumentis fuit manifestatus, conflictus haud levis inter forum internum et externum exurgit.

Ex una parte candidatus omnia explevit quae requiruntur ad hoc ut publice in facie Ecclesiae habeatur ut sacerdos; et de hoc multa sunt argumenta, quae simul *per se* ostendunt verum praestitisse consensum; ex altera vero parte affirmat se revera renuisse ordinationem suscipere.

In praesenti maxime Ecclesiae disciplina, candidatus ad ordines, non solum in ipsa ordinatione, sed saepius ante ipsam aperte liberam et internam voluntatem suscipiendi ordines palam proferre tenetur [8].

---

[7] Cfr. Resp. S. O. 28 nov. 1900 (Coll. de P. F. vol. II. n. 2096).

[8] Cf. Instruc. de scrutinio Ordinandorum S. C. de disc. Sacr. 27 dec., 1930 *Ench. cler.* n. 1279. « penitus candidatorum animus singulatim erit explorandus » (n. 1292) Ante primam tonsuram (et postea ante singulos Ordines maiores) candida-

Quapropter, nisi inopinato contingat aliquem mente perturbari ante sacrum Ordinem, magna calliditas requiritur simul ac conscientiae obduratio ad pertinaciter diu mentiendum, exterius affirmando, contra internam intentionem, liberam voluntatem suscipiendi ordines.

Ergo, cum certo ostendatur gravissimi mendacii reus, non est cur fides ei adhibenda sit, quando affirmat non *nunc* sed *tunc* se mentitum fuisse.

Ergo in foro externo, donec probet legitimis argumentis intentionis defectum, habebitur ut valide ordinatus.

Si tamen ipsi certe constat se intentione caruisse, cum sacerdos non sit, certissime patet ipsi abstinendum esse ab omnibus actibus qui potestatem ordinis exigunt. Et hoc antecedenter ad quamlibet auctoritatis sententiam.

Unde prudenter Codex statuit, ut actione instituta, non iam super ordinis validitate, sed etiam super obligationibus tantum ex ipsa sacra ordinatione exurgentibus, « clericus est ad cautelam ab exercitio ordinum prohibendus » Cfr. can. 1997.

Quae praescriptio, si agatur de nullitate ordinis, valet ipso iure divino non solum quando actio stricto sensu instituitur, sed statim ac constat aliquem serio ordinis nullitatem affirmare, vel de ipsius valore rationabiliter dubitare.

4. Itaque, qui prudenter dubitat, et a fortiori qui certus est, de invaliditate ordinis sacerdotalis, abstinere tenetur ab exercitio praedicti ordinis. Nefas est exponere periculo nullitatis Eucharistiae consecrationem, et aliorum sacramentorum confectionem.

Et in casu nullitatis ex defectu intentionis, ad hoc ut legitimus superior non solum permittat, sed et praecipiat cessationem ab exercitio ordinis, sufficit seria ordinati affirmatio, quamvis id iuridice probare non possit.

---

tus scriptam declarationem exarare debet qua significet « se libera omnino voluntate atque *spontanea*, primam tonsuram (vel Ordinem) postulare » n. 1284, 1293.

Et sic in parte, quae gravissima est, solvitur ad interim conflictus inter forum internum et externum: per cessationem scl. ab ordinis exercitio.

5. Quod si ordinatus renuat iterum, saltem sub condicione, ordinationem suscipere, manet solvendus conflictus circa obligationes ex ordinatione provenientes. Ad quod distinctione adhuc opus est.

Obligationes quae impleri nequeunt sine exercitio ordinis, urgeri non possunt, ut patet: ex. c. Missae celebratio. Quare munera quae ordinis exercitium postulant, ilico sunt dimittenda.

Obligationes vero quae ordinis exercitium non postulant, ut sunt officia generalia et specialia clericorum L. II, Part. I. t. III, C. I. Can., impleri per se possunt. Ergo videndum est num urgeri possint.

Evidenter non cessant, si valide et libere ordinatus est diaconus aut saltem subdiaconus, quod videtur accidisse cum nostro Lucio.

Ei ergo non manet nisi duplex solutio: 1ª Actionem ad declarationem nullitatis promovere ad norman can. 1993, et seq. coram S. C. de disciplina Sacramentorum, qua saltem probabiliter probata, haud difficile S. S. eum dispensabit ad omnibus obligationibus clericorum, caelibatu non excluso. Dato enim serio dubio de valore ordinationis sacerdotalis, etsi certo constet de valore ordinum praecedentium, cum ordinato, voluntate vacandi servitio divino destituto, pia mater Ecclesia dispensationem etiam a caelibatu, denegare non solet[9].

2ª solutio: Reductio ad statum laicalem, manente caelibatus obligatione. Nam si argumenta allata neque dubium de absentia intentionis suscitare valeant, tunc conflictus si intentio tamen contraria fuit, inter forum internum et externum est perfectus, cum Ecclesia in casu non dispenset.

---

[9] Cf. Instr. S. C. de Sacr. « Quam ingens » 27 dec. 1930, E. Cler. n. 1295.

6. Ergo Ecclesia talem virum ad exercendum sacerdotium non cogit, sed ab eo exigit implere obligationes, quas per actum publicum et sollemnem suscepit observandas, praesertim vero quae caelibatum respiciunt.

Neque hoc admirationem movere potest, cum omnia incommoda quae inde oriuntur uni ordinato imputanda sint. Non solum consensum finxit, sed ita finxit ut nullum fictionis externum argumentum protulerit.

Quae quidem valent non solum in casu quo valide ordinatus est subdiaconus et diaconus, sed etiam in illo casu in quo eamdem fictionem adhibuerit in his ordinibus suscipiendis.

Posito enim publice, titulo valido ad obligationes contrahendas, merito societas publica, ut est Ecclesia, exigit ut impleantur illae quibus sine detrimento iuris altioris satis fieri potest. Hoc accidit relate ad caelibatum, officium divinum, et aliarum omnibus clericis impositarum. Ergo in foro externo tenetur iis clericorum obligationibus.

7. At haec obligatio f. e. in praesumptione validitatis ordinationis fundata, in foro interno seu conscientiae cedit veritati. Quare cum revera in ordinibus maioribus non sit constitutus, ordinatorum obligationibus de facto non adstringitur.

Nam subiectum obligationis est *clericus, subdiaconus, presbyter;* talis autem nec subdiaconus nec presbyter est [10].

8. *Quomodo conflictus solvitur*? Solutio logica, quam ipsum naturale ius suadet, ea est, ut sic ordinatus reparet peccatum fictionis per iteratam et libere acceptatam ordinationem. Cum enim ipse suo mendacio talem statum induxerit, quo ius Ecclesiae et Ordinarii proprii violavit, et sibi gravissimum periculum peccandi creavit, tenetur, quantum potest, ab eo recedere. Unica via ipsi nunc possibilis est iterata ordinatio.

[10] Cf. *Salmanticenses*. Trac. 8. Cap. 6 n. 41-45. *Croix*. Lib. VI Part. 2. n. 2162.

At, fatendum est hanc viam inire saepe moraliter impossibile esse. Praeter quam quod de divina vocatione talis viri valde est dubitandum, nisi adsint extraordinaria conversionis argumenta, mala quae pro ipso et pro Ecclesia timenda sunt, suadent ut ab ea recedatur. Eiusmodi enim viri, non solum virtutibus sacerdotalibus destituti apparent, sed ex illorum contumaci mendacio, argumenta legitime sumuntur pro eorumdem vel mentali perturbatione vel conscientiae obduratione.

Unde acquiescendum est desiderio et petitioni illorum, qua ex parte petunt reductionem ad statum laicalem.

9. Hanc reductionem Ecclesia concedit, in gratiam illorum, qui invaliditatem ordinis probare nequeunt, aliunde impares revera se sentiunt ad officia sacerdotalia obeunda, ad normam can. 211 § 1, et 213 § 2, i. e. ad petitionem partis, gravibus de causis, per rescriptum Sanctae Sedis, manente *tamen caelibatus obligatione*, ceteris vero obligationibus dispensatis.

Momentum enim et gravitas obligationis caelibatus efficiunt, ut bonum publicum Ordinis sacerdotalis praevaleat privato bono, in casu; Ecclesia, ut ante sacerdotium plenam exigit libertatem et amplam concedit recedendi facultatem, sacerdotio suscepto, exigit caelibatus observantiam, et matrimonii celebrandi strictam prohibitionem sustinet.

10. Quibus positis patet quid dicendum sit in casu nostri Lucii.

1° Episcopus, Lucio serio asserenti, intentionis defectum, et iterationem ordinationis repugnanti, nullo modo potest imponere exercitium sacri ministerii, sed tenetur ilico eum ab omni munere quod potestatis ordinis requirat, removere, salva, ut patet, caritate et vitato scandalo.

2° Lucio nolenti in iteratam ordinationem consentire datur actio ad impugnandam validitatem ordinationis ut obtineat reductionem ad statum laicalem, cum

liberatione ab omnibus oneribus. Ergo ad normam can. 1993 § 1 et 1994, recurrat ad Sacram Congregationem de disciplina Sacramentorum, quae in casu est competens.

3° Si valeat defectum intentionis in suscipiendo sacerdotio legitime probare, ad normam Instr. S. C. de Sacr. 9 iunii 1931 (A. A. S. XXIII (1931) 457 seq.) saltem probabiliter, facile ab omnibus obligationibus, caelibatu non excepto, liberabitur.

4° Quod si hoc non fuerit assecutus, ei non manet nisi reductio ad statum laicalem, cum dispensatione ab omnibus clericorum officiis, *manente tamen caelibatus obligatione*.

5° Pro missis vero ex iustitia applicandis et non applicatis, vel per alium sacerdotem satisfaciat, si potest, vel ad S. Paenitentiariam recurrat.

U. Lopez, S. I.

MONUMENTA

1 - SS. D. N. Pius Pp. XII

Nuntius Radiophonicus d. 24 Dec. 1943

(*AAS* xxxv [26 Ian. 1943] p. 9).

... Il motto « Misereor super turbam » è per Noi una consegna sacra, inviolabile, valida e impellente in tutti i tempi e in tutte le situazioni umane, com'era la divisa di Gesù; e la Chiesa rinnegherebbe se stessa, cessando di essere madre, se si rendesse sorda al grido angoscioso e filiale, che tutte le classi dell'umanità fanno arrivare al suo orecchio. Essa non intende di prender partito per l'una o l'altra delle forme particolari e concrete, con le quali singoli popoli e Stati tendono a risolvere i problemi giganteschi dell'assetto interno e della collaborazione internazionale, quando esse rispettano la legge divina; ma d'altra parte, « colonna e base della verità » (1. Tim. 3, 15) e custode, per volontà di Dio e per missione di Cristo, dell'ordine naturale e soprannaturale, la Chiesa non può rinunziare a proclamare davanti ai suoi figli e davanti all'universo intero le inconcusse fondamentali norme, preservandole da ogni travolgimento, caligine, inquinamento, falsa interpretazione ed errore; tanto più che dalla loro osservanza, e non semplicemente dallo sforzo di una volontà nobile e ardimentosa, dipende la fermezza finale di qualsiasi nuovo ordine nazionale e internazionale, invocato con cocente anelito da tutti i popoli. Popoli, di cui conosciamo le doti di valore e di sacrificio, ma anche le angustie e i dolori, e ai quali tutti, senza alcuna ecce-

zione, in quest'ora d'indicibili prove e contrasti, Ci sentiamo legati da profondo e imparziale e imperturbabile amore e da immensa brama di portare loro ogni sollievo e soccorso che in qualsiasi modo sia in Nostro potere.

Rapporti internazionali e ordine interno delle nazioni

L'ultimo Nostro Messaggio natalizio esponeva i principi, suggeriti dal pensiero cristiano, per stabilire un ordine di convivenza e collaborazione internazionale, conforme alle norme divine. Oggi vogliamo soffermarCi, sicuri del consenso e dell'interessamento di tutti gli onesti, con cura particolare e uguale imparzialità sulle norme fondamentali dell'ordine interno degli Stati e dei popoli. Rapporti internazionali e ordine interno sono intimamente connessi, essendo l'equilibrio e l'armonia tra le Nazioni dipendenti dall'interno equilibrio e dalla interna maturità dei singoli Stati nel campo materiale, sociale e intellettuale. Nè un solido e imperturbato fronte di pace verso l'esterno risulta possibile di fatto ad attuarsi senza un fronte di pace nell'interno, che ispiri fiducia. Solo, quindi, l'aspirazione verso una pace integrale nei due campi varrà a liberare i popoli dal crudele incubo della guerra, a diminuire o superare gradatamente le cause materiali e psicologiche di nuovi squilibri e sconvolgimenti.

Duplice elemento della pace nella vita sociale

Ogni convivenza sociale, degna di tal nome, come trae origine dalla volontà di pace, così tende alla pace; a quella « tranquilla convivenza nell'ordine », in cui S. Tommaso (S. Th. 2a 2ae p. q. 29 a. 1 ad 1) vede l'essenza della pace. Due primordiali elementi reggono quindi la vita sociale: convivenza nell'ordine, convivenza nella tranquillità.

I. CONVIVENZA NELL'ORDINE

L'ordine, base della vita consociata di uomini, di esseri cioè, intellettuali e morali, che tendono ad attuare uno scopo consentaneo alla loro natura, non è una mera estrinseca connessione di parti numericamente diverse; è piuttosto, e ha da essere, tendenza e attuazione sempre più perfetta di una unità interiore, ciò che non esclude le differenze, realmente fondate, e sanzionate dalla volontà del Creatore o da norme soprannaturali.

Una chiara intelligenza dei fondamenti genuini di ogni vita sociale ha un'importanza capitale oggi più che mai, mentre l'umanità, intossicata dalla virulenza di errori e traviamenti sociali, tormentata dalla febbre della discordia di desideri, dottrine e intenti, si dibatte angosciosamente nel disordine, da essa stessa creato, e risente gli effetti della forza distruttrice di idee sociali erronee, le quali dimenticano le norme di Dio o sono ad esse contrarie. E poichè il disordine non può essere superato se non con un ordine, che non sia meramente forzato e fittizio (non altrimenti che l'oscurità coi suoi deprimenti e paurosi effetti non può essere bandita se non dalla luce, e non da fuochi fatui); la salvezza, il rinnovamento e un progressivo miglioramento non può aspettarsi e originarsi se non da un ritorno di larghi e influenti ceti alla retta concezione sociale; un ritorno che richiede una straordinaria grazia di Dio e una volontà incrollabile, pronta e presta al sacrificio, degli animi buoni e lungimiranti. Da questi ceti più influenti e più aperti per penetrare e ponderare la bellezza attraente delle giuste norme sociali, passerà e entrerà poi nelle moltitudini la convinzione della origine vera, divina e spirituale, della vita sociale, spianando in tal modo la via al risveglio, all'incremento e al consolidamento di quelle concezioni morali, senza cui anche le più orgogliose attuazioni rappresenteranno una Babele, i cui abitanti, se pure hanno mura comuni parlano lingue diverse e contrastanti.

Iddio prima causa ed ultimo fondamento della vita individuale e sociale

Dalla vita individuale e sociale conviene ascendere a Dio, Prima Causa e ultimo fondamento, come Creatore della prima società familiare, della società dei popoli e delle nazioni. Rispecchiando pur imperfettamente il suo Esemplare, Dio Uno e Trino, che col mistero dell'Incarnazione redense ed innalzò la natura umana, la vita consociata, nel suo ideale e nel suo fine, possiede al lume della ragione e della rivelazione un'autorità morale ed una assolutezza, travalicante ogni mutar di tempi; e una forza di attrazione, la quale, lungi dall'esser mortificata e scemata da delusioni, errori, insuccessi, muove irresistibilmente gli spiriti più nobili e più fedeli al Signore a riprendere, con rinnovata energia, con nuove conoscenze, con nuovi studi, mezzi e metodi, ciò che in altri tempi ed in altre circostanze fu tentato invano.

Sviluppo e perfezionamento della persona umana

Origine e scopo essenziale della vita sociale vuol essere la conservazione, lo sviluppo e il perfezionamento della persona umana, aiutandola ad attuare rettamente le norme e i valori della religione e della cultura, segnati dal Creatore a ciascun uomo e a tutta l'umanità, sia nel suo insieme, sia nelle sue naturali ramificazioni.

Una dottrina o costruzione sociale, che rinneghi tale interna, essenziale connessione con Dio di tutto ciò che riguarda l'uomo, o ne prescinda, segue falso cammino; e mentre costruisce con una mano, prepara con l'altra i mezzi, che presto o tardi insidieranno e distruggeranno l'opera. E quando, misconoscendo il rispetto dovuto alla persona e alla vita a lei propria, non le conceda alcun posto nei suoi ordinamenti, nell'attività legislativa e esecutiva, lungi dal servire la società, la danneggia; lungi

dal promuovere e animare il pensiero sociale e attuarne le aspettative e le speranze, le toglie ogni valore intrinseco, servendosene come di frase utilitaria, la quale incontra in ceti sempre più numerosi risoluta e franca ripulsa.

Se la vita sociale importa unità interiore, non esclude però le differenze, cui suffragano la realtà e la natura. Ma quando si tiene fermo al supremo regolatore di tutto ciò che riguarda l'uomo, Dio, le somiglianze non meno che le differenze degli uomini trovano il posto conveniente nell'ordine assoluto dell'essere, dei valori, e quindi anche della moralità. Scosso invece tale fondamento, si apre tra i vari campi della cultura una pericolosa discontinuità, appare una incertezza e labilità di contorni, di limiti e di valori, talchè solo meri fattori esterni, e spesso ciechi istinti, vengono poi a determinare, secondo la dominante tendenza del giorno, a chi spetti il predominio dell'uno o dell'altro indirizzo.

Alla dannosa economia dei passati decenni, durante i quali ogni vita civile venne subordinata allo stimolo del guadagno, succede ora una non meno dannosa concezione, la quale, mentre guarda tutto e tutti sotto l'aspetto politico, esclude ogni considerazione etica e religiosa. Travisamento e traviamento fatali, pregni di conseguenze imprevidibili per la vita sociale, la quale mai non è più vicina alla perdita delle sue più nobili prerogative di quando s'illude di poter rinnegare o dimenticare impunemente l'eterna fonte della sua dignità: Dio.

La ragione, illuminata dalla fede, assegna alle singole persone e particolari società nell'organizzazione sociale un posto fisso e nobile; e sa, per parlare solo del più importante, che tutta l'attività dello Stato, politica ed economica serve per l'attuazione duratura del bene comune; cioè, di quelle esterne condizioni, le quali sono necessarie all'insieme dei cittadini per lo sviluppo delle loro qualità e dei loro uffici, della loro vita materiale, intellettuale e

religiosa, in quanto, da un lato, le forze e le energie della famiglia e di altri organismi, a cui spetta una naturale precedenza, non bastano, e, dall'altro, la volontà salvifica di Dio non abbia determinata nella Chiesa un'altra universale società a servizio della persona umana e dell'attuazione dei suoi fini religiosi.

In una concezione sociale, pervasa e sanzionata dal pensiero religioso, l'operosità dell'economia e di tutti gli altri campi della cultura rappresenta una universale nobilissima fucina di attività, ricchissima nella sua varietà, coerente nella sua armonia, dove l'uguaglianza intellettuale e la differenza funzionale degli uomini conseguono il loro diritto ed hanno adeguata espressione; in caso diverso si deprime il lavoro e si abbassa l'operaio.

Ordinamento giuridico della società e suoi scopi

Affinchè la vita sociale, quale è voluta da Dio, ottenga il suo scopo, è essenziale un ordinamento giuridico, che le serva di esterno appoggio, di riparo e protezione; ordinamento la cui funzione non è dominare, ma servire, tendere a sviluppare e accrescere la vitalità della società nella ricca molteplicità dei suoi scopi, conducendo verso il loro perfezionamento tutte le singole energie in pacifico concorso e difendendole, con mezzi appropriati ed onesti, contro tutto ciò che è svantaggioso al loro pieno svolgimento. Un tale ordinamento, per garantire l'equilibrio, la sicurezza e l'armonia della società, ha anche il potere di coercizione contro coloro, che solo per questa via possono essere trattenuti nella nobile disciplina della vita sociale; di questo diritto un'autorità, veramente degna di tal nome, non sarà mai che non senta l'angosciosa responsabilità di fronte all'Eterno Giudice, al cui tribunale ogni falsa sentenza, e soprattutto ogni sconvolgimento

delle norme da Dio volute, riceverà la sua immancabile sanzione e condanna.

Le ultime, profonde, lapidarie, fondamentali norme della società non possono essere intaccate da intervento d'ingegno umano; si potranno negare, ignorare, disprezzare, trasgredire, ma non mai abrogare con efficacia giuridica. Certamente, col tempo che volge, mutano le condizioni di vita; ma non si dà mai manco assoluto, nè perfetta discontinuità tra il diritto di ieri e quello di oggi, tra la scomparsa di antichi poteri e costituzioni e il sorgere di nuovi ordinamenti. Ad ogni modo, in qualsiasi cambiamento o trasformazione, lo scopo di ogni vita sociale resta identico, sacro, obbligatorio: lo sviluppo dei valori personali dell'uomo, quale immagine di Dio; e resta l'obbligo di ogni membro dell'umana famiglia di attuare i suoi immutabili fini, qualunque sia il legislatore e l'autorità, a cui ubbidisce. Rimane quindi sempre e non cessa per opposizione alcuna anche il suo inalienabile diritto, da riconoscersi da amici e nemici, ad un ordinamento e una prassi giuridica, che sentano e comprendano esser loro essenziale dovere di servire al bene comune.

L'ordinamnto giuridico ha inoltre l'alto e arduo scopo di assicurare gli armonici rapporti sia tra gli individui, sia tra le società, sia anche nell'interno di queste. A ciò si arriverà, se i legislatori si asterranno dal seguire quelle pericolose teorie e prassi, infauste alla comunità e alla sua coesione, le quali traggono la loro origine e diffusione da una serie di postulati erronei. Tra questi è da annoverare il positivismo giuridico, che attribuisce un'ingannevole maestà alla emanazione di leggi puramente umane, e spiana la via ad una esiziale distacco della legge dalla moralità; inoltre la concezione, la quale rivendica a particolari nazioni o stirpi o classi l'istinto giuridico, quale ultimo imperativo e inappellabile norma; infine quelle varie teorie, le quali, diverse in sè e procedenti da vedute ideologiche contrastanti, si accordano però nel

considerare lo Stato o un ceto, che lo rappresenti, come entità assoluta e suprema, esente da controllo e da critica, anche quando i suoi postulati teorici e pratici sboccano e urtano nell'aperta negazione di dati essenziali della coscienza umana e cristiana«

Chi consideri con occhio limpido e penetrante la vitale connessione tra genuino ordine sociale e genuino ordinamento giuridico, e tenga presente che l'unità interna nella sua multiformità dipende dal predominio di forze spirituali, dal rispetto della dignità umana in sè e negli altri, dall'amore alla società e agli scopi da Dio ad essa segnati, non può meravigliarsi sui tristi effetti di concezioni giuridiche, le quali, allontanatesi dalla via regale della verità, procedono sul terreno labile di postulati materialistici; ma scorgerà subito la improrogabile necessità di un ritorno ad una concezione spirituale ed etica, seria e profonda riscaldata dal calore di vera umanità e illuminata dallo splendore della fede cristiana, la quale fa mirare nell'ordinamento giuridico una rifrazione esterna dell'ordine sociale, voluto da Dio, luminoso frutto dello spirito umano, anch'esso immagine dello spirito di Dio.

Su questa concezione organica, la sola vitale, in che la più nobile umanità e il più genuino spirito cristiano fioriscono in armonia, sta scolpita la sentenza della Scrittura, illustrata dal grande Aquinate: «Opus iustitiae pax» (S. Th. 2a 2ae p. q. 29 a. 3), che si applica così al lato interno, come al lato esterno della vita sociale.

Essa non ammette nè contrasto, nè alternativa: amore o diritto, ma la sintesi feconda: amore e diritto.

Nell'uno e nell'altro, entrambi irradiazioni dello stesso spirito di Dio, sta il programma e il suggello della dignità dello spirito umano; l'uno e l'altro a vicenda s'integrano, cooperano, si animano, si sostengono, si danno la mano nel cammino della concordia e della pacificazione, mentre il diritto spiana la via all'amore, l'amore mitiga il diritto e lo sublima. Entrambi elevano la vita umana

in quella atmosfera sociale, dove, pur tra le manchevolezze, gli impedimenti e le durezze di questa terra, si rende possibile la fraterna convivenza. Ma fate che il cattivo spirito di idee materialistiche domini; che la tendenza al potere e al prepotere concentri nelle sue rudi mani le redini degli eventi; voi allora vedrete apparirne ogni giorno più gli effetti disgregatori, scomparire amore e giustizia; tristo preannunzio di minaccianti catastrofi su una società, apostata da Dio.

II. CONVIVENZA NELLA TRANQUILLITA'

Il secondo elemento fondamentale della pace, verso cui tende quasi istintivamente ogni società umana, è la tranquillità. O beata tranquillità, tu non hai nulla di comune con il fissarsi duro e ostinato, tenace e infantilmente caparbio in ciò che è; nè con la riluttanza, figlia di ignavia e d'egoismo, a porre la mente nei problemi e nelle questioni, che il volgere dei tempi e il corso delle generazioni coi loro bisogni e col progresso fanno maturare, e traggon seco come improrogabili necessità del presente. Ma per un cristiano, cosciente della sua responsabilità anche verso il più piccolo dei suoi fratelli, non vi è tranquillità infingarda, nè si dà fuga, ma lotta, ma azione contro ogni inazione e diserzione nel grande agone spirituale, dove è proposta in pallio la costruzione, anzi l'anima stessa della società futura.

Armonia fra tranquillità e operosità

Tranquillità nel senso dell'Aquinate e ardente operosità non contrastano, ma si accoppiano piuttosto in armonia per colui che è compreso della bellezza e della necessità del sostrato spirituale della società e della

nobiltà del suo ideale. E proprio a voi giovani, inclini a volgere le spalle al passato e rivolgere al futuro l'occhio delle aspirazioni e speranze, diciamo, mossi da vivo amore e da paterna sollecitudine: esuberanza e audacia da sè non bastano, se non siano, come bisogna, poste al servizio del bene e di una bandiera immacolata. Vano è l'agitarsi, l'affaticarsi, l'affannarsi senza riposarsi in Dio e nella sua legge eterna. Conviene che siate animati dal convincimento di combattere per la verità, e di farle dedizione delle proprie simpatie ed energie, degli aneliti e dei sacrifici: di combattere per le eterne leggi di Dio, per la dignità della persona umana, e per il conseguimento dei suoi fini. Dove uomini maturi e giovani, sempre ancorati nel mare della eternamente viva tranquillità di Dio, coordinano le diversità di temperamento e di attività in genuino spirito cristiano, là, se l'elemento propulsore si accoppia con l'elemento infrenatore, la differenza naturale tra le generazioni non diverrà mai pericolosa, ma condurrà anzi vigorosamente all'attuazione delle leggi eterne di Dio nel mutevole corso dei tempi e delle condizioni di vita.

Il mondo operaio

In un campo particolare della vita sociale, dove durante un secolo sorsero movimenti e aspri conflitti, si trova oggi calma, almeno apparente; nel mondo, cioè, vasto e sempre crescente del lavoro, nell'esercito immenso degli operai, dei salariati e dei dipendenti. Se si considera il presente, con le sue necessità belliche, come un dato di fatto, questa tranquillità potrà dirsi esigenza necessaria e fondata; ma se si guarda lo stato odierno dal punto di vista della giustizia, di un legittimo e regolato movimento operaio, la tranquillità non resterà che apparente finchè tale scopo non sia raggiunto.

Mossa sempre da motivi religiosi, la Chiesa condannò

i vari sistemi del socialismo marxista e li condanna anche oggi, com'è suo dovere e diritto permanente di preservare gli uomini da correnti e influssi, che ne mettono a repentaglio la salvezza eterna. Ma la Chiesa non può ignorare e non vedere, che l'operaio, nello sforzo di migliorare la sua condizione, si urta contro qualche congegno, che lungi dall'essere conforme alla natura, contrasta con l'ordine di Dio e con lo scopo che Egli ha assegnato per i beni terreni. Per quanto fossero e siano false, condannabili e pericolose le vie, che si seguirono; chi, e soprattutto qual sacerdote o cristiano, potrebbe restar sordo al grido, che si solleva dal profondo, e il quale in un mondo di un Dio giusto invoca giustizia e spirito di fratellanza? Ciò sarebbe un silenzio colpevole e ingiustificabile davanti a Dio, e contrario al senso illuminato dell'apostolo, il quale, come inculca che bisogna essere risoluti contro l'errore, sa pure che si vuol essere pieni di riguardo verso gli erranti e con l'animo aperto per intenderne aspirazioni, speranze e motivi.

Dio, benedicendo i nostri progenitori, disse loro: « Crescete e moltiplicatevi e riempite la terra e soggiogatela » (Gen. 1, 28). E al primo capo di famiglia diceva poi: « Nel sudore della tua fronte ti ciberai di pane » (Gen. 3, 19). La dignità della persona umana esige dunque normalmente come fondamento naturale per vivere il diritto all'uso dei beni della terra; a cui risponde l'obbligo fondamentale di accordare una proprietà privata, possibilmente a tutti. Le norme giuridiche positive, regolanti la proprietà privata, possono mutare e accordare un uso più o meno circoscritto; ma se vogliono contribuire alla pacificazione della comunità, dovranno impedire che l'operaio, che è o sarà padre di famiglia, venga condannato ad una dipendenza e servitù economica, inconciliabile con i suoi diritti di persona.

Che questa servitù derivi dal prepotere del capitale privato o dal potere dello Stato, l'effetto non muta; anzi,

sotto la pressione di uno Stato, che tutto domina e regola l'intera vita pubblica e privata, penetrando fino nel campo delle concezioni e persuasioni e della coscienza, questa mancanza di libertà può avere conseguenze ancora più gravose, come l'esperienza manifesta e testimonia.

(*Continuabitur*)

Annotationes

Assertum primum: Hominum socialis vita, quae in spatio et tempore et secundum indolem indigentiasque naturae ex anima et corpore compositae degitur, est *spiritualis* vita, sive haec vita circa bona materialia-sensibilia sive circa bona non-materialia habetur.

« Dalla vita individuale e sociale conviene ascendere a Dio, Prima Causa e ultimo fondamento come Creatore della prima società coniugale, fonte della società familiare, della società dei popoli e delle nazioni. Rispecchiando pur imperfettamente il suo Esemplare, Dio Uno e Trino, che col mistero dell'Incarnazione redense ed innalzò la natura umana, la vita consoziata, nel suo ideale e nel suo fine, possiede al lume della ragione e della rivelazione un'autorità morale ed una assolutezza, travalicante ogni mutar di tempi;... ».

Sequelae negativae: *a*) Hominum socialis vita ad meros instinctus et sensuales indigentias ut ad suam ultimam causam reduci nequit, uti Positivismus sive rationalisticus sive irrationalisticus vult. - *b*) Hominum vita socialis non est effectus virium productivarum materiae (Marxismus). - *c*) Hominum vita socialis non est mera series formarum sese sequentium in tempore ita, ut quaeri nec possit nec debeat, quidnam vita socialis ut talis sit (Historismus).

Sequelae positivae: Omnia, quae vita socialis ut vita intime spiritualis continet, sive sunt mera facta sive sunt motiones vitales aut ex corpore aut ex anima provenientes, essentialibus et finalibus determinationibus constituuntur et solum inde intelligibilia fiunt. Proin non sufficiunt nec aliqua Sociologia, ut scientia empirica de vita sociali, nec aliqua philosophia socialis, quae aut modo positivistico solum facta colligunt et externe classificant (generalisant), aut ut medio cognitionis primarie alogicae aliqua intellectione (intuitione) concreta et comprehensiva-totali (germanice: « verstehen ») utuntur, sicuti « philosophia vitae » et « philosophia exsistentialis » volunt.

Assertum secundum. Persona humana, quae pro spiritualitate sua constituit « esse in se et sibi non solum realiter, sed etiam intentionaliter », et consequenter est excellentiori modo bonum sibi et alteri et interne unumquid indefinitae perfectibilitatis, seu, quod idem est, homo ut imago Dei est radix et finis sociabilitatis humanae.

« Origine e scopo essenziale della vita sociale vuol essere la conservazione, lo sviluppo e il perfezionamento della persona umana, aiutandola ad attuare rettamente le norme e i valori della religione e della cultura, segnati dal Creatore a ciascun uomo e a tutta l'umanità, sia nel suo insieme, sia nelle sue naturali ramificazioni ».

Item, ut patet, pro ordine supernaturali: « ... e, dall'altro la volontà salvifica di Dio non abbia determinata nella Chiesa un'altra universale società a servizio della persona umana e dell'attuazione dei suoi fini religiosi ».

Sequelae negativae: *a*) Sociabilitas humana non potest cum Hegel et Idealismo metaphysico reduci ad continuum processum objectivisationis (universalisationis) « spiritus subjectivi » teleologice modo dialectico tendentem in realisationem « spiritus absoluti » seu ideae universalissimae. — *b*) Sociabilitas humana non potest cum M. Scheler aut cum O. Spann reduci ad aliquod fluidum spirituale, quod singulos homines supercomprehendit et informando demum ad actus personales habilitat. — *c*) Sociabilitas humana nequit cum Idealismo transcendentali Neokantiano (M. Adler) reduci ad functionem « conscientiae transcendentalis », magis proprie ad aliquam categoriam aprioristicam « socialis unionis ». — *d*) Sociabilitas humana non potest reduci ad causalitatem mechanice efficientem elementorum circumstantium (« milieu »), quae continuo eosdem homines premunt (Durkheim, omnes theoriae « du milieu » necnon theoria de « spatio vitali » a R. Kjéllen primo evoluta, etsi influxum spatii (soli) in sociabilitatem magis biologice, quam mechanice interpretans. — *e*) Sociabilitas humana non potest cum Pareto ad modum ali-

cuius « Physicae Socialis » explicari, sc. ut effectus virium humanarum, origine quidem irrationalium, tamen quantitative mensurabilium et pro sua natura attractiva et repulsiva omnes relationes sociales fundantium. — *f*) Sociabilitas humana non potest reduci ad aliquam internam necessitatem, quae ad modum legis totum processum evolutionis humanae speciei in tempore regit (Comte; theoria Marxistarum de pugna classium). — *g*) Sociabilitas humana non potest reduci ad aliquod ens collectivum (natio, stirps, proletariatus), quod ut ens vivum quasi-substantiale fingitur, cuius singuli homines sunt merae immembrationes (Moderna systemata sic dicta anti-liberalia et anti-individualistica). — *h*) Sociabilitas humana non potest reduci ad evolutionem creatricem vitae ut talis, sc. quia sine societate genus humanum exsistentiam servare non possit (Bergson). — *i*) Sociabilitas humana non potest reduci plus minusve psychologistice ad certas motivationes sive egosticas sive altruisticas, quas singuli in suis actibus habent (Non pauci Sociologi et Oeconomistae moderni). — *k*) Sociabilitas humana non potest reduci ad quandam primaevam structuram ad modum organismi vitalis, quam vita humanae speciei sive naturalis sive supernaturalis habeat ita, ut singuli — undecumque non nisi membra organismi — magis passive a totalitate organismi portentur quam ut active personali dominio sui socialem vitam constituant (Scholae Organicistarum in Sociologia; quaedam theologemata de Corpore Christi Mystico seu de Ecclesia).

Sequelae positivae: *a*) Dignitas et momentum humanae personae, quod non satis efferri potest, siquidem netaphysica in summo ente spirituali *et* personali terminat. (cf. S. Th. I. II. Prologus). — *b*) Ratio « partis » quae homini relate ad totum Universi aut ad aliquod speciale totum in Universo convenit, non dicit in homine rationem « medii » ad finem. Cum nempe persona humana ut persona, etsi finita, sit sibi ipsi finis et numquam medium, gloria Dei, quae hominis ut partis Universi est finis exter-

nus, etiam est hominis ut personae (imaginis Dei) bonum *internum* perfectissimum, et quidem ita, ut perfecta realisatio primae ordinationis in gloriam Dei essentialiter a perfecta realisatione secundae ordinationis in gloriam Dei dependeat. Si ergo axioma « pars in totum ordinatur » ullum quid de subjectione hominis sub fine sive Universi sive particularis communitatis enuntiat, certe illa subjectio ea, quae essentialiter personae humanae bona et finem constituunt, immediate restringere nequit, immo illaesa supponit. Aliis verbis: non potes similitudinem divinae perfectionis perficiendo communitatem in Universo diffundere et extendere velle, si propter hoc immediate laedis essentialia constitutiva personae seu illam similitudinem divinae perfectionis *singularem*, quae in persona, et quidem *solum* ibi, nempe » intensiva et collective « invenitur (cf. S. Th. I. qu. 93, art. 2, ad 3). — *c*) Data persona humana ut radice et fine sociabilitatis humanae inter varias philosophicas notiones *iuris* illa excellit, secundum quam jus est potestas moralis in rem suam, seu excellit jus « subjectivum » prae jure « objectivo » (jus est id, quod a lege praescribitur). — *d*) Omnia elementa illa, quae upra ut ultimam causam sociabilitatis reiecimus, recte causae materiali vitae socialis adnumeranda ibique bene ponderanda sunt.

Assertum tertium. Structura interna vitae socialis humanae consistit coniunctione hominum ,quatenus suis actibus personalem perfectionem propriam simul cum toto bono humano in ipsa personalitate intentionaliter fundato evolvunt.

Vide assertum praecedens. Porro: « Se la vita sociale importa unità interiore, non esclude però le differenze, cui suffragano la realtà e la natura. Ma quando si tiene fermo al supremo regolatore di tutto ciò che riguarda l'uomo, Dio, le somiglianze non meno che le differenze degli uomini trovano il posto conveniente nell'ordine assoluto dell'essere, dei valori, e quindi anche della moralità. Scosso invece tale fondamento,

si apre tra i vari campi della cultura una pericolosa disconuità, appare una incertezza e labilità di contorni, di limiti e di valori, talchè solo meri fattori esterni, e spesso ciechi istinti, vengono poi a determinare, secondo la dominante tendenza di giorno, a chi spetti il predominio dell'uno o dell'altro indirizzo ».

Sequelae negativae: *a*) Structura mechanica socialis vitae non est admittenda, sc. theoria, quae in consociatione humana nil aliud videt nisi factum congregationis hominum ad modum atomorum juxta se invicem aut post se invicem positorum, etiam si ordo et unitas ultimatim ad suppositionem alicuius contractus originarii reducitur (Postivismus rationalisticus). — *b*) Falsa structura interna vitae socialis reicitur, sc. ubi vitalis dynamismus alicuius communitatis supremae (nationis, stirpis, proletariatus) ut factum primaevum habetur, qui dynamismus proin totam structuram internam vitae socialis totaliter formans pervadensque constituat (Positivismus irrationalisticus. — *c*) Reiciuntur, qui structuram vitae socialis ex unionibus et institutionibus indolis *organisatoriae* seu ex ordine externo oriri faciunt et quidem ita, ut praeter ordinem externum ordinem internum socialis vitae non admittant, aut negent ordinem externum intrinsece necessario *sequi* ordinem internum, cuius sit necessaria efformatio ad extra (organisatio), cum de vita sociali entium compositorum, non pure spiritualium agatur. Ita: qui structuram socialis vitae eiusque causam formalem reducunt ad institutionem ordinis juridici (H. Kelsen, R. Stammler, uterque utens formalismo Kantiano), ad Statum (societatem civilem) ut ad potentiam (vim) concentratam (C. Schmitt), ad formas organisatorias in genere uti Bolschewista A. Bogdanow in sua « Tectologia ». — *d*) Reiciuntur qui identificant vel confundunt ordinem internum socialis vitae cum ordine externo seu, quod idem est, non distinguunt inter bona (valores), circa quae et ob quae vita socialis constituitur et interne structuratur vel variis unionibus diversificatur, et bonum *organisatorium* vitae socialis sive totalis sive

particularis seu, quod idem est, confundunt « bona communia » et « bonum commune » non attendentes, « bona communia » sc. objectivos fines socialis vitae, e. g. in oeconomia, in scientia, in artibus, in religione, trahenda esse ad structuram internam socialis vitae, « bonum commune » vero constituere finem objectivum ordinis externi illius vitae, hinc dicere finalitatem *organisatoriam*, quae proin necessario supponat et sequatur id, quod organisandum sit, sc. vitam socialem eiusque structuram internam cum « bonis communibus » (valoribus) et variis unionibus circa illa intentionaliter habitis. *e*) Relciuntur, qui socialem aequalitatem et diversitatem hominum et coetuum ultimatim in structura interna socialis vitae non fundant, sed mechanice aut supponentes atomisticam et mere quantitativam conceptionem hominis aut omnem diversitatem reducentes ad causas externas, mechanice et quantitative efficientes, sive sit vis oeconomica ex proprietate vel proventu annuo proveniens, sive sit vis organisatoria in institutionibus politicis, iuridicis aut coalitionis formis sita.

f) Reiciuntur, qui structuram internam socialis vitae negantes, periculosae discontinuitati et labilitati hominum conviventium viam sternunt. Negata enim objectiva interna structura vitae socialis subjectivismo et relativismo valoris circa bona, quae appetuntur, favetur: porro structura ipsa, quae formaliter dicit « unitatem ordinis » seu unitatem in pluralitate, et quidem socialis vitae ut spiritualis, facile cedit aut individualismo atomistico aut centralistico; hinc destruitur illa « subsidiaritas », quae secundum Enc. « Quadragesimo anno » metaphysice omni activitati sociali convenit et quidem ita, ut in servitio humanae personae activitas minorum et inferiorum communitatum ab activitate maiorum et altiorum communitatum solum secundum veram necessitatem suppleri debeat. - *g*) Reiciuntur, qui internam harmoniam (pacem, tranquillitatem) naturae vitae socialis contradicere dicunt; qui proin vitam socialem in continua pugna, in continua vitali oppositione

contrariorum consistere volunt, aut solum mechanicam, externam harmoniam intrinsece possibilem esse praetendunt, sive illa harmonia a coactione potentioris proveniat sive merum mechanicum aequilibrium sit, ubi labilitas vix larvetur. Hi omnes offendunt contra S. Thomam, qui a S. Augustino edoctus pacem, tranquillitatem ordinis, finem socialis vitae esse confirmat. Jamvero interna ratio huius doctrinae est in hoc, quod structura interna socialis vitae cum bonis communibus objectivis habetur, quae ut « fines operis » quamcumque procesutionem « finium operantis », etiamsi vitalissimam, et pro rerum et hominum adiunctis alliciendo fructificant, et purificando pacificant.

Sequelae positivae: *a*) Agnoscenda sunt objectiva « bona communia » (valores communes), quae teleologice structuram internam socialis vitae constituunt et pro eius spiritualitate in « unitatem ordinis », sc. unius in multis, redigunt. Primum inter illa « bona communia » objectiva est personalitas humana ipsa eiusque perfecta evolutio, in qua est, uti supra diximus, omnis hominis ut imaginis Dei finis internus. Hic valor non solum est primus, sed etiam fundamentum aliorum « bonorum communium » (variorum valorum culturae et religionis) hoc sensu, quod omnia illa alia « bona communia » et uniones illis correspondentes ad servitium humanae personae ipsiusque evolutionis destinantur, cum humana persona perficienda intentionaliter in illa alia bona realisanda secundum ipsorum objectivum valorem et secundum ipsorum objectivam interdependentiam feratur. – *b*) Agnoscendae sunt institutiones et uniones indolis *organisatoriae*, quibus relationes inter personas et physicas et morales ex structura interna vitae socialis resultantes in externum ordinem rediguntur. Hoc intrinsece necessarium est, quia agitur de vita sociali entium humanorum, i. e. ex anima et corpore compositorum et in spatio et tempore degentium. Tales institutiones socialis vitae humanae sunt: ordo juridicus et naturalis et positivus; institutio proprietatis privatae, ut fundamentum ex-

terni ordinis inter homines, in quantum ipsorum vita socialis sine comuni relatione ad usum rerum materialium procedere nequit. Tales uniones, sc. indolis organisatoriae, sunt: Familia societate coniugali nixa, quae condignae er fructuosae procreationi et educationi novarum personarum formam ordinantem et firmantem dat; Status, qui, propter securam et prosperam realisationem structurae internae socialis vitae, homines in ambitu quoad numerum et territorium amplissimo externe unit et ordinat; Communitas localis, quae relationes inter homines ratione vicinitatis loci intra structuram internam vitae socialis provenientes propria autonomia ordinat; Communitas professionalis (corporatio), quae relationes inter homines ratione communis professionis intra structuram internam socialis vitae provenientes propria autonomia ordinat; Societas internationalis vel societas omnium Statuum, quae propria autonomia externe ordinat relationes inde resultantes, quod structura interna socialis vitae essentialiter est omnibus et ubique eadem, immo internationali cooperatione indefinite perfectibilis realisationis est capax; Ecclesia ut societas externa, in quantum genericum conceptum unionis indolis organisatoriae verificat et verificare debet; denique societates liberae. Adnotetur Familiam et Statum esse uniones indolis organisatoriae stricte naturaliter necessarias, dum communitas ratione vicinitatis loci, communitas ratione communis professionis et societas internationalis illam necessitatem organisationis socialis vitae sub respectu perfectionis compleant. — c) Consequitur « bonum commune », quod est finis objectivus omnium unionum indolis organisatoriae, dicere sensu statico aptitudinem talium unionum organisantium *ut organisantium*, sc. illas convenienter externe ordinare realisationem structurae internae socialis vitae, quam includunt et organisant; sensu vero dynamico « bonum commune » dicere complexive continuam activitatem organisatoriam, quae pro sua parte convenientem realisationem structurae internae socialis vitae

possibilem reddat, facilitet, fructificet; haec functio organisatoria et contributio ad « bonum commune » etiam mera externa observatione vel non-observatione normarum organisatoriarum impleri vel negligi potest. Porro consequitur numquam posse immediate ex ratione « boni communis » id, quod structura interna socialis vitae essentialiter continet, determinari aut negligi aut mutari; nam hoc per impossibile diceret rationem organisandi ut talem id determinare, quod ut organisandum iam ex conceptu suo praecedat, nempe structura interna socialis vitae cum objectivis « bonis communibus » (persona cum valoribus culturae et religionis). Ergo nequit e. g. Status immediate propter « bonum commune », sc. propter proprium suum finem, quoad essentialia determinare, quae sint « bona communia », quae et quo ordine sint colenda. Item repugnat ex conceptu suo Status sic dictus « laicista » seu natura sua indifferens erga « bona communia » (valores), quae structura interna socialis vitae objective continet. Nam hoc diceret Statum, ut unionem organisatoriam, esse finem in se, cum omnis forma organisatoria sit propter organisandum et illud sequatur, immo in nostro casu stricta necessitate sequatur. A fortiori nequit immediate ex ratione « boni communis », seu ex functione intime organisatoria, directe destrui id, quod essentialiter structuram internam vitae socialis constituit, e. g. persona humana cum suis finibus essentialibus. Nam hoc per impossibile diceret organisando id delere, quod essentialiter organisari debeat. Unde actio directe hominem occidens, ipsius integritatem corporalem delens, matrimonium prohibens numquam potest pro auctoritate publica Status immediate ex functione administrandi « bonum commune », ergo ex aliqua functione intime organisatoria circa vitam socialem, iustificari. Praeterea hoc esset idem ac dicere principium autoconservationis societatis *per se* sufficere, ut Statui, propter periculum et nocumentum a societate avertendum, liceret actiones *directe* invasivas in personam cum suis finibus essentialibus

ponere. Denique hoc esset idem ac dicere functionem organisatoriam administrandi « bonum commune » immediate conferre communitati statali tantum dominium super personam, quo saltem quoad physicam exsistentiam quaestione dominii super conscientiam transmissa -- maius cogitari nequeat. Hoc vero contradicit naturae intime servienti omnis communitatis necnon Status relate ad personam secundum structuram internam socialis vitae. Hinc ad iustificandas supralictas actiones recurrendum est non immediate ad potestatem propriam auctoritatis publicae, quatenus functionem intime organisatoriam administrandi « bonum commune » exercet, sed ad potestatem immediate « vicariam Dei », quatenus auctoritas publica locum tenet Dei vindicantis actuatam et proportionate graviter culpabilem laesionem ordinis moralis absoluti; utique, si talis vindicta et tutela ordinis moralis absoluti necessaria est pro externa conviventia hominum et in quantum necessaria est. Resultat omnes actiones supradictas semper et in omni casu suum titulum immediatum iustificationis habere in proportionata gravi *culpa morali* hominis et numquam posse exerceri circa nocentes, nedum innocentes, sub quovis titulo *immediato* administrandi « bonum commune ». Haec explicatio intimam rationem poenae, nempe vindicativam, etiam pro poenis a potestate humana inflictis retinet; dein evitat conceptionem Aristotelis, non raro etiam in S. Thomam influentem de fine Status, quem Stagirita primarie in scopo ethico-paedagogico circa cives videre pronus est. Hoc enim provenit inde, quod Aristoteles Statum ut unionem organisatoriam ad socialis vitae internam structuram - utrumque non distinguendo — non refert, Statum cum structura socialis vitae, saltem pro casu ideali, identificat et « bonum commune » (finem Status) omnia « bona communia » usque ad summum bonum virtutis (honestatis), ergo « totum bonum humanum », *continere* affirmat. Aliis verbis: in Aristotele desideratur explicita cognitio internae structurae socialis vitae, ultimatim quia

conceptio metaphysica personae, prout netaphysicae scientiae vitae socialis convenit, desideratur.

Assertum quartum. Institutiones necessariae ordinis externi (organisationis) socialis vitae humanae sunt ordo iuridicus et ordo proprietatis privatae. Altera fundamentaliter ordinat relationes sociales resultantes inde, quod unicuique personae sive physicae sive morali libertas actionis secundum proprium finem essentialem competit; altera fundamentaliter ordinat relationes sociales resultantes inde, quod res materiales sunt hasis necessaria vitae socialis.

« Affinchè la vita sociale, quale è voluta da Dio, ottenga il suo scopo, è essenziale un ordinamento giuridico, che le serva di esterno appoggio, di riparo e protezione; ordinamento la cui funzione non è dominare, ma servire, tendere asviluppare e accrescere la vitalità della società nella ricca moltiplicità dei suoi scopi, conducendo verso il loro perfezionamento tutte le singole energie in pacifico concorso e difendendo con mezzi appropriati ed onesti, contro tutto ciò che è svantaggioso al loro pieno svolgimento. Un tale ordinamento, per garantire l'equilibrio, la sicurezza e l'armonia della società, ha anche il potere di coerzione ... ».

De proprietate privata: « La dignità della persona umana esige dunque normalmente come fondamento naturale per vivere il diritto all'uso dei beni della terra: a cui risponde l'obbligo fondamentale di accordare una proprietà privata, possibilmente a tutti ».

Sequelae negativae: *a*) Ordo iuridicus non est quasi vestis, quae hominum sociali vitae ab extrinseco advenit, sed est necessaria efformatio (organisatio institutiva) structurae internae socialis vitae, quae et quatenus est quidem vita spiritualis, at entium ex anima et corpore compositorum et necessario in spatio et tempore degentium. Hinc reiciendus est Positivismus juridicus, qui internam et essentialem structuram socialis vitae negans, fontem ordinis iuridici ab extrinseco petit, sc. ex suppositione contractus socialis primaevi, quo non solum societas adaequate causatur, sed etiam potestas publica, et quidem ut essentia-

liter et primarie legifera, per positionem legum ius adaequate causans. Proin sensu positivistico intellecta falsa definitio est: ius est id, quod a lege praescribitur; insuper philosophice repugnat ex mero facto ut tali, sc. ex mera legis positione, ut tali, oriri normam, i. e. aliquid *debere* fieri,, praetermittendo periculum tyrannicae maiestatis absolutae legislatoris seu, rectius, legis ut sic. — *b*) Idem reicitur Positivismus iuridicus, qui unitatem internam ordinis iuridici destruit, cum huius unitatis ontologicum fundamentum, nempe structuram internam socialis vitae, non agnoscat. Hoc enim sublato aut restat solum unitas externa ordinis iuridici, in mera quam maxima logica cohaerentia (systematisatione) singularum iuris normarum consistens, aut ille logicismus in falsam unitatem internam redigitur, derivando ad modum formalismi aprioristici Kantiani totum mundum iuridicum ut unum a logica spontaneitate alicuius « conscientiae transcendentalis » (Kelsen). Elucet utramque speciem logicismi in normas iuridicas ipsarumque applicationem talem tendentiam in abstractionem (generalisationem), rigiditatem et uniformitatem inferre, ut quidem vitae iuridicae logica claritas et securitas creetur, simul vero quam maxima distantia ordinis iuridici a concreta, semper individuata et qualitative multiplici realitate vitae socialis causetur, insuper propter indolem rigidam, ne dicam mechanicam, aliqua vera deficientia in adjunctis sic dictis anormalibus societatis. Claritas vera et securitas ordinis iuridici iuncta simul cum capacitate adaptationis, prout indoles realitatis modo insinuata requirit,, solum ibi stabiliuntur, ubi ordinis iuridici fons in interna vitae socialis structura habetur; nam illa structura relationes stricte immutabiles, sed natura sua relationibus concretis mutabilibus semper applicandas et applicabiles continet. Proin negato hoc fundamento ontologico internae unitatis ordinis iuridici, de vero aequilibrio, de vera harmonia vitae iuridicae actum est; insuper etiam de vera continuitate, cum Positivismus iuridicus ut systema casui, ubi

quacumque de causa ordo iuridicus positivus (positus) valere desinit, vix providere possit. Denique Positivismus deficientia internae unitatis iuris etiam inde laborat, quod iuris privati et publici nec veram distinctionem nec unitatem fundare potest; deest enim agnitio personae ut radicis *omnis* sociabilitatis et ut originis et finis *omnimodae* socialis vitae, uti structura interna huius vitae exhibet. — *c*) Praeter illum Positivismum iuridicum indolis rationalisticae, etiam ordinis iuris conceptio irrationalistica ut Positivismus reicitur. Haec quoque negat enim fundamentum ordinis iuris in vera structura interna socialis vitae situm. Substituendo arbitrarie *ponit*, uti jam in Thesi Tertia dictum est, aliquam unionem socialem (stirpem, nationem, proletariatum) ut fundamentum et fontem non solum omnis vitae socialis (omnium bonorum communium), sed etiam omnis *ordinis* socialis, hinc etiam ordinis iuridici. Unde lex creans ius est legitima, si vitali tendentiae communitatis fundamentalis convenit, quae ut quasi substantialis collectivitas impulsu continuo irrationalis vitalitatis unitur et movetur, et quidem semper unitur in unitate quam maxime concreta et movetur ad realitatem quam maxime concretam. Unde ille Positivismus iuridicus alta voce seipsum laudare solet, quod ordinem iuridicum numquam a concreta realitate distantem et etiam in societatis adiunctis anormalibus semper capacem gignat. Iamvero deest interne fundata securitas, deest internum aequilibrium vitae iuridicae, desunt denique elementa, quae ordinem iuridicum unitate vere interna ornant; superest quaedam species pragmatismi irrationalistici. Accedit, quod ius privatum a iure publico facile absorbetur et absolutum dominium iuridicum collectivitatis dynamice vitalis ipsiusque finis super omnes et omnia exstruitur, cuius instrumentum est potestas publica intime et primarie executiva, pro qua potestas legifera et iudicialis solum dependentes functiones sunt. Accedit porro, quod radicitus inaequalitas iuris inter homines habetur, prout commu-

nitatis fundamentalis membra sunt vel non. Haec omnia ex negata interna structura vitae socialis proveniunt. Ob hanc rem denique etiam claritas et identica intelligibilitas normarum iuris labilitati et indeterminationi, praesertim in sphaera applicationis, cedit, cum intellectus proprio et independente objecto carens alicuius « sentimenti concreti » (stirpis, nationis, proletariatus) merum instrumentum sit.

Sequelae positivae: a) Momentum ordinis iuridici pro vita sociali non satis efferendum; nam quaevis vera relatio iuridica servit libertati, unicuique personae sive physicae sive morali secundum proprium finem essentialem competenti; hinc organisando, realisationi structurae internae socialis vitae servit. Proin ordo iuridicus est fructus spiritus, sicuti illa structura ipsa. b) Unde resultat caritatem et ius ex sese nequaquam opponi. Nam etiam ordinata caritas structuram internam socialis vitae servare debet. Immo inordinata caritas in laesione huius structurae consistit et semper laesionem juris secum fert; exemplum habes in nationalismo.

Sequelae negativae (quoad proprietatem privatam): a) Reiciuntur illi, qui negant aut praetermittunt res materiales veram basim vitae socialis ut talis non esse, nisi retenta et servata structura interna huius vitae. Unde falso modo fundamentalem ordinem usus rerum materialium in institutione proprietatis privatae ponunt, aut falso istam institutionem prorsus superfluam esse dicunt. Ad primam speciem pertinent illi, qui ius proprietatis privatae illimitatum statuunt; porro illi, qui dominium « altum » super res materiales penes Statum (societatem civilem) esse affirmant, penes alios vero solum dominium (proprietatem) derivatum seu mandatarium. Iamvero structura interna socialis vitae cum suis variis finibus obiectivis, praesertim cum obiectivo fine vitae oeconomicae, etiam iuri proprietatis privatae certos limites necessario designat. Item ista structura, etiam sub respectu

usus rerum materialium servanda et realisanda, veros proprietarios, non meros dominos ex mandato Status postulat, cum solum illa forma ordinis externi cum structura interna socialis vitae ipsiusque libera, secura et continua realisatione totali rationabiliter congruat.

Accedit, quod illa falsa thesis de dominio alto Status quoad usum rerum materialium in sociali vita organisandum cum his, quae in Tertia Thesi de vero loco Status intra structuram vitae socialis generatim et intra formas sociales organisatorias speciatim dicta sunt, componi nequit. Denique aliud quid est dominium iurisdictionis (non proprietatis), quod Statui sub ratione sui proprii finis organisatorii, nempe « bonum commune » administrandi, super proprietatem privatam eiusque usum, maxime super commercium rerum donatione aut commutatione efficiendum, certo competit. Notum est talem potestatem iurisdictionis usque ad mutandam distributionem proprietatis privatae, immo usque ad expropriationem (certe non sine compensatione proportionata) se extendere, dummodo vera necessitas « boni communis », i. e. vera necessitas organisandi realisationem structurae internae socialis vitae, hoc postulet neque aliud medium habeatur (cf. Enc. « Rerum novarum » et « Quadragesimo anno »). — Ad secundam speciem pertinent illi, qui institutionem proprietatis privatae intra sanam structuram socialis vitae aut parvi pendunt aut negant. Parvipendentes sunt, qui usui rerum materialium ut basi vitae socialis satis provisum esse putant, si quocumque modo apto productio et distributio rerum, sive mediorum productionis sive consumptionis, perfecte organisatur ita, ut unicuique ea, quibus indiget, praesto sint. Unde inclinant praesertim hodie, ubi condiciones bellicae momentum bonae organisationis iterum demonstrant, basim vitae socialis ex parte rerum materialium ita ordinando constituere, ut organisatio centralisata totum populum, immo secundum non

paucos totum globum terrae comprehendat; e. g. provideatur securitati vitae materialis omnium per centralisatam et obligatoriam assecurationem publicam; introducatur aliqua centralisata, totum globum pervadens, organisatio vis electricae aut mediorum transportationis; similiter pro aliis rebus. Iamvero, etiam qui minime necessitatem cooperationis inter singulos homines et inter singulos populos negat, non potest non videre modo dictum technicismum organisatorium intrinsece necessariam relationem omnis formae organisatoriae ad veram structuram vitae socialis, cui servire debet, praetermittere. Proin non quomodocumque basi vitae socialis in rebus materialibus sitae organisatione providetur, sed solum talibus formis organisationis, quae internam structuram vitae socialis non modo non laedunt, sed promovent. Modo dicti vero ordines organisatorii offendunt e. g. contra personalem responsabilitatem omnis hominis adulti pro sua sorte terrestri, etiam materiali, contra libertatem, qua omnis homo, necnon paterfamilias, in assequendis suis finibus essentialibus gaudet, contra libertatem et independentiam externam, etsi relativam, cui singuli Status propter suum finem proprium administrandi « bonum commune » renuntiare nequeunt. Ad secundam speciem pertinet quoque omnis forma systematici collectivismi in Tertia Thesi proposita. Cum enim immerito veram structuram internam socialis vitae negent, etiam immerito institutionem proprietatis privatae negant aut saltem enervant.

Sequelae positivae (quoad proprietatem privatam): a) Institutionis proprietatis privatae concreta forma et configuratio ex moribus et legibus positivis resultans inde mensuratur, num basim vitae socialis in usu rerum materialium sitam fundamentaliter ita ordinet, ut saltem ex hac parte structura interna huius vitae *totaliter* et *perfecte* realisetur. b) In quantum illa ordinatio ad pacem, sc. ad internum ordinem cum tranquillitate, confert, talis

concentrario proprietatis et dominii inde consequentis penes privatos et penes Status evitari debet, qua exsistente libertas essentialis singulorum et unionum intra structuram internam socialis vitae periclitatur. Unde sufficiens diffusio proprietatis privatae ipsiusque conservatio postulanda est. c) Cum structura interna socialis vitae non nisi labore seu praestationibus singulorum hominum et singularum unionum realisari possit, debet illud principium in « Rerum novarum » stabilitum attendi et in actum deduci, sc. fructum laboris (industriae) naturalem esse proprietatem privatam, praesertim penes patremfamilias. Unde resultat laborem dependentem sub hoc respectu esse sufficienter et insuper secundum individualem valorem remunerandum et illum laborem, qui cum propria proprietate et per propriam proprietatem procedit, sc. laborem personalem independentem, esse protegendum et ampliandum. c) Media ad hunc finem sunt omnimoda formatio religiosa-moralis et intellectualis hominum, maxime professionalis; evolutio aptarum formarum cooperationis sive iuris publici sive privati; ex parte Status politica in rebus oeconomicis, quae usum proprietatis privatae, praesertim in forma « capitalis », fini obiectivo vitae oeconomicae socialis subordinat, sc. continuae realisationi prosperitatis materialis populi ut fundamenti reliquae vitae culturalis et religiosae. Hoc requirit imprimis, mediante institutione proprietatis privatae, talem coordinationem activitatis omnium, ut omnes possibilitates productivae, quas naturaliter territorium praebet, harmonice et proportionate evolvantur, semper structurae internae socialis vitae *totaliter* servandae retento respectu. Hisce servatis, libera concurrentia non solum non est prohibenda, sed fovenda; insuper liberum commercium et personarum et rerum, etiam limites politicos transcendens, a restrictionibus liberandum est (cf. etiam, quae *hic* de allocutione Pont. de re sociali, Pent. 1941 habita,

dicebantur: « Periodica » fasc. III (1941) pag. 242-250, praesertim 249-250). d) Inculcatur solum evolutionem institutionis proprietatis privatae eiusque verae functionis intra perfectam et continuam realisationem internae structurae socialis vitae viam inter Scyllam Individualismi et Charybdim Collectivismi sternere, ut SS. D. N. principia philosophiae socialis et doctrinam Ecclesiae sequens monere non desinit. (*Continuabitur*)

G. Gundlach, S. I.

2 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

DECRETUM

(*AAS* XXXIV [dec. 1943] p. 382)

INDULGENTIA PLENARIA CONCEDITUR PIAM INVOCATIONEM RECITANTIBUS AEREARUM INCURSIONUM TEMPORE

Ssmus. D. N. Pius div. Prov. Pp. XII, paterna caritate gregis Sibi commissi saluti semper intentus, preces quorumdam fidelium, qui hisce temporibus ob aëreas incursiones in vitae discrimine versantur, libenter accipiens, in Audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori die 19 vertentis mensis concessa, benigne elargiri dignatus est ut christifideles omnes qui, quotiescumque civitates aliaque aëreae incursiones aggrediuntur, saltem contriti cum vero amoris in Deum et suorum peccatorum doloris actu, invocationem « Iesu, miserere mei », quavis lingua redditam (v. g. Gesù mio, misericordia Mon Jésus, miséricorde - My Jesus, mercy Mein Jesus, Barmherzig-

keit), devote recitaverint, Indulgentiam plenariam consequi valeant.

Praesenti valituro tantum hoc bello perdurante. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, e S. Paenitentiaria Apostolica, die 23 Decembris 1942.

† N. Card. CANALI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

Annotationes

I

Praeclarum certe donum quod suis maxime afflictis filiis concedit paterna caritas Summi Pontificis, preces quorundam fidelium libenter accipiens.

Decretum planum est neque ulla interpretatione indiget. Ut bene advertit *nota* post Decretum in *L'Osservatore Romano*, 24 *Dic.* 1942 posita, indulgentia plenaria lucrifieri solummodo potest tempore actualis incursionis aëreae, nec sufficit simplex transitus navium aërearum inimicarum, nec signum proximitatis earum tubis sibilantibus datum. Requiritur enim grave et imminens periculum mortis, indiscriminatim saltem omnes afficiens, licet revera relative pauci sint qui ob tales incursiones pereant.

Condiciones quae pro lucrandis indulgentiis plenariis ordinario praescribuntur et quae verbis « suetis condicionibus » designantur, sunt: confessio, communio, oratio (vocalis, arbitrio fidelium deligenda, nisi peculiaris aliqua assignetur), et visitatio alicuius ecclesiae aut oratorii publici (« Preces et Pia Opera... », Praenotanda, n. 4). Saepe, quando confessio et communio, etc. fieri nequeunt. exigitur ut fideles sint saltem corde contriti; secus enim nullam indulgentiam lucrari valerent. In nostro casu requi-

ritur tantummodo ut « saltem contriti cum vero amoris in Deum et suorum peccatorum doloris actu, invocationem « Iesu, miserere mei » devote recitaverint ». Quibus positis, eo ipso indulgentia plenaria acquiritur, nec opus est ut postea, qui supervixerint, alia opera consueta compleant.

Quid vero si pluries in die incursiones repetantur?

Iuxta can. 928, § 1 « Indulgentia plenaria, nisi aliud expresse cautum sit, acquiri potest semel tantum in die, etsi idem opus praescriptum pluries ponatur ».

Censemus vero tenore ipso Decreti aliud pro casu nostro expresse cautum esse, saltem aequivalenter. Unica enim condicio, quae relate ad tempus exprimitur in concessione haec est: « Quotiescumque civitates aliaque loca aëreae incursiones aggrediuntur ». Si ergo haec condicio verificetur, sive sit semel sive pluries in die, toties poterit indulgentia acquiri. Sufficit ergo ut agatur de incursionibus revera diversis, non autem de una eademque diutius prolongata.

II

De indulgentia plenaria Crucifixis annexa, toties lucranda quotiens fideles eos osculati fuerint [1]

Iam a pluribus annis et multis in locis sparsa est notitia gratiae singularissimae quibusdam Crucifixis concessa, ut dicebatur, a S. Sede, vi cuius omnes et singuli fideles indulgentiam plenariam consequuntur toties quoties Crucifixos speciatim benedictos osculati fuerint. Facultas autem eos sic benedicendi ferebatur concessa a Summis Pontificibus his postremis decenniis uni vel alteri sacerdoti, vivae vocis oraculo.

[1] Vide textum Declarationis in *Periodica* XXXI, p. 390.

Iam vero, circa assertum privilegium tres declarationes prodiere: prima a S. Officio (quod eo tempore rem de Indulgentiis gerebat), die 10 Iunii 1914; secunda et tertia a S. Paenitentiaria (quae S. Officio hoc in munere successit), 23 Iunii 1929, et novissima 22 Septembris 1942. Duae primae referuntur ad omnes fideles in genere, postrema, ad solos infirmos.

Operae pretium erit unam saltem ex his declarationibus ad verbum referre, ut earum vis et intentio clarius prospiciatur.

Ait igitur S. Officium, anno 1914: (*AAS*, v. VI, p. 347)

« Supremae sacrae Congregationi S. Officii relatum est sacerdotes quosdam consuevisse benedictione donare Crucifixos, asserentes iisdem applicare plenariam indulgentiam, toties a fidelibus lucrandam, quoties osculum alicui ex praedictis Crucifixis infixerint; id vero apostolica auctoritate. Quum non sit de Romanae Ecclesiae consuetudine in facultatibus indulgentias applicandi quosdam limites discretionis excedere, ad mentem decreti S. Indulgentiarum Congregationis d. d. 10 Augusti, anno 1899, in quo aliquot exhibentur regulae [2] « quibus prae oculis habitis, nedum locorum Ordinariis, sed et ipsis christifidelibus facilis aperiretur via ad dignoscendum quodnam sit ferendum iudicium de aliquibus indulgentiis quae passim in vulgus eduntur dubiamque prae se ferunt authenticitatis notam », visa est asserta facultas aut mere dictitata, aut praepostera interpretatione accepta ».

« Hisce considerationibus permoti Emi. ac Revmi. Patres Cardinales generales Inquisitores, feria IV, die 10 Iunii, anno 1914, censuerunt esse de hac re Sanctissimum consulendum: Sanctitas porro Sua, in audientia feria V

---

[2] Ex novem regulis a S. Congr. Indulg. datis solum VI quandam similitudinem habet cum re de qua agitur. Ait enim: « *Suspectae habeamur Indulgentiae quae asseruntur concessae recitantibus pauca dumtaxat verba: exceptis Indulgentiis in articulo mortis* ».

subsequenti, die 11 Iunii, eodem anno, R. P. D. sancti Officii Commissario impertita, mentem suam benigne aperire dignata est, et mandavit sequens expedire decretum:

« Facultas benedicendi Crucifixos cum indulgentiae plenariae applicatione, toties quoties nuncupatae, sive personaliter a Summo Pontifice, sive quomodocumque ab Apostolica Sede, per tramitem cuiuslibet Officii vel personae obtenta, ita et non aliter est intelligenda, ut quicumque christifidelis in articulo mortis constitutus aliquem ex huiusmodi Crucifixis benedictis, etiamsi illi non pertineat, osculatus fuerit, vel quomodocumque tetigerit, dummodo confessus et sacra Communione refectus, vel si id facere nequiverit saltem contritus, Ssmum Iesu nomen, ore, si potuerit, sin minus corde, devote invocaverit, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienter susceperit, plenariam indulgentiam acquirere valeat. Contrariis quibuscumque non obstantibus ».

Decretum S. Paenitentiariae 23 Iun./29, postquam mentionem facit huius Decreti S. O., addit: « constat tamen, ex certis fontibus, non deesse sacerdotes hac facultate auctos, qui talem benedictionem impartire praesumant cum effectu ut omnes et singuli fideles indulgentiam plenariam toties quoties consequantur ».

« Timens ne forte decursu temporis, vel etiam ex peculiari aliqua, quam nonnulli iactitant, concessione, Decreto S. Officii quidquam derogatum fuerit... « Card. Paenitentiarius Maior Sanctissimum directe consuluit, et S. Pontifex respondit mentem suam esse ut praefatum Decretum S. O. in pleno suo robore permaneret; et declarationem denuo evulgari mandavit » (AAS, XXI, p. 510).

In novissima declaratione huius anni quaestio restringitur ad fideles infirmos; fortasse quia scribentibus pro declaratione ad S. Paenitentiariam, nimium videbatur pri-

vilegium si ad omnes omnino fideles indulgentia plenaria extenderetur.

« Aliquo iam tempore (AAS XXXI, v., p. 303) — ita incipit Responsum — magna cum fidelium admiratione, Crucifixi imagines praebentur, quibus asseveratur indulgentiam plenariam adnexam esse, ab infirmis lucrandam quotiescumque iidem, corde contrito et amoris dolorisque actum elicientes, unum ex hisce Crucifixis osculaverint; quos quidem dicunt ab aliquo Praelato, ex peculiari a Summo Pontifice accepta facultate, fuisse benedictos ».

« Quamobrem Sacrum Tribunal petentibus utrum haec gratia reapse, ut exponitur, concessa fuerit, necessarium duxit, ad falsam interpretationem praecavendam, duo memorata Decreta in memoriam revocare; « atque iterum declarat Crucifixos, qui nostris etiam hisce temporibus eiusmodi gratia ditati distribuuntur, ad normam harum Declarationum benedictos censendos esse; ita ut indulgentia plenaria solummodo in articulo mortis lucrifieri possit, necessariis habitis conditionibus ».

Et S. Pontifex, die 4 Iulii 1942, declarationem S. Paenitentiariae Ap. approbavit, confirmavit et publicandam mandavit.

N. Card. Canali, Paenit. Maior

S. Luzio, *Regens*

His authenticis declarationibus causa finita dicenda est. Uti falsum igitur tenendum est indulgentiam illis Crucifixis annexam, posse toties quoties acquiri; nam solummodo valet pro mortis articulo, positis debitis conditionibus, quae in primo Decreto declarantur. Hoc enim clarissime sonant publicae illae ac sollemnes declarationes toties repetitae.

Quibus non obstantibus, pauci quidam et egregii viri asserebant, uti fertur, posse se adhuc, ex licentia S. Pon-

tificis, parce tamen et caute adhibenda, Crucifixos ea benedictione munire. Quod S. Pontifex, pro sua omnimoda potestate, possit, etiam contra Decreta publica et a se approbata, aliquid concedere, dubium non est. Ex alia autem parte durum valde esset affirmare paucos illos ac magnae sanctitatis viros, qui benedictionem Crucifixis toties quoties adiungebant, vel non intellexisse vim privilegii quod asserebant sibi a Papa concessum, vel — multo adhuc minus -- perrexisse in benedictione concedenda scientes hoc esse contrarium voluntati S. Pontificis.

Si autem vera sint asserta et revera hi selecti viri potuerint in usu facultatis sibi concessae perseverare, admittere possumus Summum Pontificem ita egisse, ut ex una parte lex publica in suo vigore permaneret, et ex alia paucas illas exceptiones non retractaret, sed sineret ut paulatim sine rumore extinguerentur, sicut de facto iam, partim saltem, accidit, ob mortem unius vel alterius ex his qui privilegiati dicebantur.

I. M. Restrepo, S. I.

3 - Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos

(*AAS* xxxiv [1 aug. 1942] p. 241).

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. - DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS

D. An vi canonis 81, conlati cum canone 1045, Ordinarius dispensare valeat ab impedimentis matrimonialibus

intra fines eiusdem canonis 81, etsi nondum omnia parata sint ad nuptias.

R. Affirmative.

II - DE INCARDINATIONE RELIGIOSI SAECULARIZATI

D. Utrum verba canonis 641 § 2: *Episcopus potest probationis tempus prorogare*, intelligenda sint tantum de prorogatione expressa, an etiam de prorogatione tacita.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

III — DE IURE ACCUSANDI MATRIMONIUM

D. Utrum, secundum canonem 1971 § 1 n. 1 et responsum diei 17 iulii 1933 ad II, inhabilis ad accusandum matrimonium habendus sit tantum coniux, qui sive impedimenti sive nullitatis matrimonii causa fuit et directa et dolosa, an etiam coniux qui impedimenti vel nullitatis matrimonii causa exstitit vel indirecta vel doli expers.

R. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 27 mensis Iulii, anno 1942.

M. Card. Massimi, *Praeses.*

L. ✠ S.

I. Bruno, *Secretarius.*

Annotationes

I

Primum responsum quod dedit Comm. Cod. die 27 iulii 1942 memorat duos canones, sc. 81 et 1045. Canone 81 statuitur in Codice norma generalis ad dignoscendam potestatem, quae competit Ordinariis infra R. Pontificem circa

dispensationes a legibus generalibus Ecclesiae. Potest in universum dici Ordinarios, semper ac agatur de dispensationibus, quae a Sede Apostolica concedi solent, habere vi huius canonis facultatem dispensandi a legibus generalibus Ecclesiae in casibus urgentibus. Sed, ut declaratur ibidem, extra casus urgentes nulla alia potestas quoad dispensationes praedictas competit Ordinariis, nisi quae eisdem fuerit explicite vel implicite concessa.

Habetur explicita concessio potestatis dispensandi, cum datur verbis aliisve signis directe vel indirecte, sed distincte, illam potestatem exprimentibus [1]; implicita vero concessio adest, si communicatio potestatis, licet non exprimatur directe, includitur tamen in verbis adhibitis. Pluries conceditur in Codice Ordinariis expresse potestas dispensandi a quibusdam legibus generalibus [2]; praeterea in Facultatibus habitualibus, Ordinariis locorum per tramitem S. C. Consistorialis concedi solitis, haec potestas dispensandi ad alias quoque leges explicite extenditur [3]. Habetur ut implicite concessa Ordinariis facultas dispensandi a legibus pontificiis, quae contineant clausulam « nisi dispensetur »; haec enim verba debent referri ad Ordinarios, nisi contrarium ex textu vel aliunde clare constet. Item si potestas obtenta nequit ad effectum deduci absque dispensandi facultate, haec inclusa censetur in priore concessione [4].

Etsi in canone 81 agatur in genere de potestate, quae competit Ordinariis dispensandi a quibuslibet legibus generalibus Ecclesiae in casibus urgentibus, consulto tamen restringimus hoc loco quaestionem ad dispensationes matrimoniales, cum de his tantum agatur in responso quod commentandum venit. Quaeri potest ante omnia quaenam sint dispensationes a Sede Apostolica in re matrimoniali

---

1 Cfr. Michiels, *Normae generales*, II, p. 481.
2 Cfr. Verm.-Cr., *Epit. i. c.* I, n. 191.
3 Cfr. Verm.-Cr., *l. c.* I, p. 654.
4 Cfr. Michiels, *o. c.* II, p. 482; Cappello, *Summa i. c.*, I, 127 ad 6.

concedi solitae. Ut patet, quaestio potest institui de solis impedimentis iuris ecclesiastici. Inter haec vero adsunt nonulla impedimenta, in quibus Sedes Apostolica vel non dispensat unquam vel non nisi raro et aegre; huiusmodi sunt certo impedimenta exorta ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, cum haec excludantur expresse etiam ab amplissima potestate dispensandi concessa Ordinariis pro casu quo urgeat mortis periculum. Ceterum, ex stylo Curiae Romanae dignosci debebit quaenam sint actu dispensationes quae non solent concedi, cum ille stylus sit etiam mutationibus obnoxius. Quaenam debeant dici in concreto dispensationes *nunc* in re matrimoniali non concedi solitae, fuse exponitur ab auctoribus [5].

Quando vero asseri poterit adesse casum urgentem? Huic quaestioni respondetur sequentibus verbis in ipso canone 81 contentis, sc. « si recursus ad Sanctam Sedem sit difficilis et simul in mora sit periculum gravis damni ». Agitur in primis de recursu peragendo per medium ordinarium, i. e. per litteras [6]. Difficultas exoriri potest tum ex distantia locorum, tum ex aliis adiunctis, quae vel permanenter subsistunt vel quasi transeunter et inopinato superveniunt. In duobus primis casibus providebit verisimiliter S. Sedes bono animarum per facultates habitualiter delegatas [7]. Secus in promptu erit etiam pro his casibus canon 81, cuius applicatio necessaria evadet in postremo casu. Sane, difficultati recursus faciendi debebit accedere semper probabile periculum gravis damni in mora. Sufficit ut timor adsit, solidis rationibus innixus, gravis damni cuiuslibet ordinis. « Sine *probabili* gravis mali periculo, dicitur in c. 1045 § 1; eodem modo debet intelligi illud « periculum gravis damni » quod habetur in c. 81. Iudicium tam circa

---

[5] Cfr. v. g. CAPPELLO, *De Matrimonio*, Pars prima, n. 224; MICHIELS, *o. c.* II, p. 484.

[6] Cfr. *A. A. S.* XIV (1922) p. 662 ad V.

[7] Cfr. *A. A. S.* X (1918) pp. 190 et 363.

probabilitatem quam circa gravitatem damni spectat ad ipsum Ordinarium.

Potest quandoque contingere ut periculum gravis damni rationabiliter timeatur etiam in ipsa mora, quae generatim requiritur ad recursum, de se facilem, perficiendum. Nullum dubium quin etiam tunc adimpleantur condiciones requisitae pro legitimo usu canonis 81, cum in complexu circumstantiarum casus concreti revera sit difficile, si non impossibile, perficere recursum ea celeritate, quae necessaria videtur ad vitandum periculum gravis damni. Sufficit enim ad legitimam applicationem facultatis extraordinariae concessae in canone 81, ut matrimonium differri non possit sine probabili gravis mali periculo, usque dum a Sancta Sede dispensatio obtineatur[8]. Condicio difficultatis in recursu faciendo ideo, ut videtur, est expresse in canone commemorata, quia *generatim* periculum gravis damni exorietur non ex necessitate dispensationem *quamprimum* concedendi, sed ex eo quod nequeat ea nimium differri, i. e. *ex longiore solito mora* ad recursum perficiendum requisita, ob difficultatem commercii epistolaris cum Sede Apostolica actu existentem. Quod ergo iure praesumitur plerumque locum habere posse, id expresse commemoratur in canone, licet de se, quoad praxim spectat, satis fuisset de solo periculo gravis damni mentionem facere.

Venit iam considerandus canon 1045, de quo etiam sermo est in responso Comm. Codicis. Vi huius canonis gaudent Ordinarii locorum facultate dispensandi ab omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, quoties impedimentum detegatur, cum iam omnia sint parata

---

[8] Cfr. Michiels *o. c.* II, p. 485; Cappello, *Summa i. e.* I, n. 125 ad 2°.

ad nuptias, nec matrimonium sine probabili gravis mali periculo differri possit, usque dum a Sancta Sede dispensatio obtineatur. Ex authentica declaratione constat dicendum esse impedimentum delegi, cum iam omnia sint parata ad nuptias, si tunc solum ad notitiam parochi aut Ordinarii sit delatum [9].

Negari nequit haberi in hoc canone applicationem partialem, i. e. quoad dispensationes matrimoniales, normae generalis in canone 81 traditae. Latius ergo patet canon 81, cum simpliciter tradat normam ad dispensationes dandas ab Ordinariis a quibuslibet legibus generalibus Ecclesiae. Sub alio vero respectu, ut recte notat Cappello [10], latius patet canon 1045 §§ 1, 2 — et solum de his paragraphis loquimur, quia in responso Comm. Codicis non agitur nisi de potestate Ordinariorum — cum comprehendat etiam dispensationes quae a Sede Apostolica concedi non solent, v. g. super impedimento publico criminis, utraque vel alterutra parte machinante.

Discrepantia haud levis erat inter auctores, cum de relatione inter cc. 81 et 1045 pressius determinanda agerent. Estne habendus, quaerebatur, canon 1045 ut determinatio restrictiva, in ordine dispensationum matrimonialium, potestatis concessae Ordinariis in canone 81 pro casibus urgentibus?

Affirmative respondebant huic quaestioni nonnulli auctores. « Generalis illius concessionis applicatio, aiebat De Smet [11], respectu dispensationum matrimonialium intelligenda videtur taxativa, adeo ut potestas dispensandi in casu urgenti, super impedimentis matrimonii extendi nequeat ultra limites canonis 1045 ». Cum vero ex alia parte clausula « cum iam omnia sunt parata ad nuptias », contenta in canone 1045 § 1, sit secundum eum habenda velut

---

[9] Cfr. *A. A. S.* XIII (1921) p. 178 ad IV.

[10] Cfr. Cappello, *De Matrimonio*, Pars prima, n. 235 ad 1° et 2°.

[11] Cfr. De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio*, p. 646.

condicio sine qua non, deduci videtur ex interpretatione data Ordinarium, etsi timor fundatus periculi gravis damni adsit, non posse concedere dispensationem matrimonialem, si nondum sunt omnia parata ad nuptias.

Ad hoc incommodum, certe non levis momenti, vitandum, De Smet sic explicat clausulam praedictam, ut parum omnino exigat ad adimplenda ea quae ibi praescribuntur. « Ad hoc autem ut omnia censeantur ad nuptias parata, ait, sufficit ut dies fuerit statutus, aut invitationes sint missae, aut banna coeperint proclamari » [12]. Hanc latam interpretationem datam clausulae, quae habetur ut condicio sine qua non, fuse valideque impugnat Cappello [13].

Eidem quaestioni supra propositae negative respondebant plures auctores, secundum quos potestas dispensandi ab impedimentis matrimonialibus in casibus urgentibus competebat Ordinariis locorum, non solum vi canonis 1045, quem sensu restricto intelligere videntur, sed etiam vi canonis 81 intra fines ibidem statutos [14]. Alii demum, media via incedentes, asserebant verba illa « cum iam omnia sunt parata ad nuptias » non habere sensum exclusivum, sed indicativum tantum, quatenus exhibent peculiaria adiuncta in quibus haberi solet casus gravis et urgentis necessitatis [15]. Secundum hanc sententiam, possunt locorum Ordinarii vi canonis 1045 dispensationem matrimonialem concedere in quolibet casu gravis et urgentis necessitatis; ideo fautores huius sententiae, cum de relatione inter cc. 81 et 1045 §§ 1, 2 loquuntur, logice omnino

---

Etiam Vidal, *Ius matrimoniale*, n. 413, nota 61, negat pro casu, in quo dispensatio iam postulata fuerit a S. Sede, posse Ordinarium, superveniente gravi necessitate, dispensationem concedere vi canonis 81, si omnia non sint parata ad nuptias.

[12] Cfr. De Smet, *l. c.* p. 647, nota 2.

[13] Cfr. Cappello, *De Matrimonio*, Pars prima, n. 232 ad 3.

[14] Cfr. Michiels, *o. c.* p. 486; Cappello, *De Matrimonio*, editio 3ª, nº 234 ad 13º, sed in editione 4ª, nº 235 ad 4º paulo aliter loquitur; Sosius D'Angelo, *Apollinaris*, I (1928) p. 261, qui tamen requirit ut prudenter praevideatur difficultatem recursus perficiendi per mensem esse duraturam.

[15] Cfr. Cappello, *De Matrimonio* , Pars prima, n. 233 ad 5.

asserunt potestatem dispensandi concessam a canone 81 totam contineri penitusque absorberi, quoad impedimenta matrimonialia, a canone 1045 [16]. Si praxis respicitur, haec sententia fere confundi videtur cum illa alia, quae utriusque canonis usum, intra limites in eisdem praescriptos, propugnat. Parva tamen differentia assignari poterit in eo quod canon 1045, ita amplissime intellectus, permitteret in quolibet casu urgenti dispensationem ab omnibus impedimentis iuris ecclesiastici, exceptis duobus ibidem memoratis.

Nunc autem ex responso authentico Comm. Codicis habetur Ordinarios [17] posse vi canonis 81 ac intra fines, ibidem descriptos, dispensare ab impedimentis matrimonialibus. Haec conciliatio utriusque canonis illud habet commodi, sc. quod nullam vim inferat obviae clausularum significationi et praeterea gravibus necessitatibus occurrentibus sufficienter provideat. Responsum Commissionis non respicit, saltem directe, controversiam circa naturam iuridicam eorum, quae per clausulam « cum omnia parata sunt ad nuptias » exprimuntur. Nihilominus, qui in eis condicionem sine qua non videbant, fortasse non dubitabunt aliquod argumentum in favorem suae sententiae ex hoc responso Commissionis deducere. Admittitur enim expresse usus utriusque canonis quoad dispensationes matrimoniales; asseritur praeterea applicationi canonis 81 locum dari, cum nondum sint omnia parata ad nuptias; iam vero cum pro usu potestatis contentae in canone 81 requiratur semper gravis necessitas, sequi videtur clausulam « cum omnia parata sunt ad nuptias » non aequiva-

---

[16] Cfr. Cappello, *l. c. n.* 235 ad 4°; Oesterle, *Consultationes de iure matrimoniali*, p. 128, nota 70.

[17] Licet in Responso Comm. Cod. agatur de Ordinariis in genere, — fortasse quia directe respicitur tantum c. 81, in quo omnes Ordinarii considerantur — hoc tamen loco sub tali nomine generico non venire nisi Ordinarios locorum patet tum ex subiecta materia, tum ex citatione canonis 1045, in cuius paragraphis prima et secunda de solis Ordinariis locorum fit sermo.

lere simpliciter cuilibet gravi necessitati, sed specialem quandam necessitatem significare.

Si autem quaeratur cur legislator in § § 1, 2 canonis 1045 illam circumstantiam « quoties impedimentum detegatur, cum iam omnia sunt parata ad nuptias » adiecerit, responderi posset hanc restrictionem explicari ex maiore extensione ibidem data quoad impedimenta dispensabilia, cum tantum duo excipiantur. Adde quod videatur illuc potissimum tendere legislator in canone 1045, sc. ut describat adiuncta, in quibus *parochi* et confessarii possint ab impedimentis matrimonialibus dispensare. Praecipua adiuncta exponit in § 1 eisque nova adiungit in § 3, cuius clausula initialis « in eisdem rerum adiunctis » videtur prodere rationem cur in prima paragrapho illa adiuncta inclusa fuerint. Non intendebatur ergo restringere potestatem qua Ordinarius gaudebat iam vi canonis 81, sed circumstantias clare determinare, in quibus parochi et confessarii possent concedere dispensationes matrimoniales. Illa autem verba « sed solum pro casibus occultis, in quibus *ne loci quidem Ordinarius adiri possit*, opportunam praebebant occasionem loquendi primo loco de potestate Ordinarii loci, atque hac ratione includuntur in uno eodemque canone omnia, quae fieri debent in circumstantiis plerumque inducentibus casum urgentis necessitatis.

II

Vi canonis 641 § 1 religiosus in sacris constitutus, qui ex praescripto canonis 585 propriam dioecesim amiserit, ob vota perpetua emissa, nequit extra religionem sacros ordines exercere, donec Episcopum benevolum receptorem invenerit, aut Sedes Apostolica aliter providerit. Ut ex § 2 eiusdem canonis constat, potest Episcopus benevolus religiosum recipere vel pure et simpliciter vel pro experimento ad triennium.

Quo pacto haec ad praxim deduci soleant docet nos duplex formula, qua uti solet S. Congregatio de Religio-

sis in concedenda religiosis in sacris constitutis facultate derelinquendi religionem [1]. In utraque formula committitur Episcopo benevolo potestas concedendi religioso gratiam expetitam. Episcopus qui pure et simpliciter velit religiosum recipere, potest indultum saecularizationis statim concedere per decretum in scriptis exaratum, quo exsecutioni mandetur rescriptum S. Congregationis. Per huiusmodi decretum religiosus manet etiam incardinatus dioecesi Episcopi receptoris.

Si vero Episcopus receperit religiosum pro experimento ad triennium, solum indultum exclaustrationis pro tempore probationis dare potest. Hinc est quod religiosus, forte dimissus ab Ordinario tempore probationis, praemonitis Superioribus, teneatur redire ad claustra; nondum enim indultum saecularizationis obtinuerat.

Experimentum cessare poterit, ubi primum Episcopus benevolus definitive receperit religiosum, quo ex facto huius et saecularizatio et incardinatio necessario sequentur. Experimentum vero triennale, de quo in prima parte § 2 huius canonis, poterit ab Episcopo prorogari, qui tamen, statim ac alterum triennium elapsum fuerit, habebit ipso iure suae dioecesi incardinatum religiosum receptum ad experimentum, quem antea non dimiserit. Tempus experimenti computandum erit a die, quo rescriptum pontificium exsecutioni mandatum fuerit per concessionem indulti exclaustrationis.

Difficultas aderat in determinando modo quo tempus probationis ab Episcopo prorogari debebat. Si prorogatio expresse indicebatur, praescripta Codicis facilis applicationis evadebant. Poterat autem contingere non raro ut Episcopus, primo triennio elapso, nec de receptione definitiva nec de prorogatione experimenti quidquam expresse statuerit. Quaenam erat in hoc casu condicio iuridica religiosi ad triennale experimentum admissi? Eratne iam

[1] Cfr. *Periodica*, XXI (1932) p. 183; SCHAEFER, *De Religiosis*, p. 963 ad 2.

considerandus veluti ipso facto dioecesi incardinatus et consequenter saecularizatus? Alii aliter respondebant huic quaestioni, quae tamen non nisi a paucis scriptoribus explicite perpendebatur.

Sic nonnulli censebant religiosum, quem transacto triennio Episcopus definitive non receperat, tacite novo experimento triennali subiectum esse [2]. Aliis vero placebat magis sententia qua asserebatur Episcopum, qui non prorogaret *positive* tempus probationis, censendum esse renuntiare iuri suo et consequenter velle religiosum, hactenus exclaustratum, pure et simpliciter recipere [3]. Fuse exponit Larraona rationes quibus utraque sententia innitebatur. Ei vero secunda iuridice probabilior videbatur, etsi, aiebat, insistendo textui Codicis et actualis rescripti evinci non possit saecularizationem, et inde incardinationem, non facta prorogatione, ipso iure obtinere debere [4].

Extra dubium est incardinationem religiosi exclaustrati experimento subiecti, vim suam iuridicam trahere debere vel ex dispositione iuris vel ex voluntate Episcopi benevoli. Iam vero, de incardinatione vi iuris facta loquitur Codex in fine canonis 641 § 2; illa autem verba « quo etiam transacto » nequeunt intelligi nisi de secundo triennio experimenti, tum quia pronomen relativum sese refert grammaticaliter ad solam clausulam praecedentem, in qua exclusive de secundo triennio agitur, tum praecipue quia adverbium immediate subsequens tollit omnem possibilitatem applicandi verba praedictae clausulae ad primum triennium. Adde quod, si contrarum supponeretur, inter exceptiones deberet poni non solum dimissio, sed etiam prorogatio forte peracta.

Verum est illa alia verba « Episcopus potest probationis tempus prorogare », quae immediate clausulam controver-

---

[2] Cfr. Schaefer, *l. c.* p. 965; Goyeneche, *De Religiosis*, p. 199.

[3] Cfr. A. Coronata, *Institutiones i. c.* I, p. 859.

[4] Cfr. *Comm. pro Rel.*, XII (1931) p. 59.

sam praecedunt, videri primo intuitu exigere aliquem actum positivum Episcopi benevoli ad tempus probationis ultra primum triennium producendum. Hic erit profecto modus ordinarius, qui solus respicitur directe in canone; sed minime excluditur modus extraordinarius, qui consisteret in prorogatione tacita.

Venit nunc examinandus alter fons incardinationis, qui in voluntate Episcopi benevoli reponendus est. Si de acceptatione explicita vel saltem implicita Episcopi benevoli constat, nulla difficultas aderit hac in re. Quid vero dicendum de silentio Episcopi benevoli? Eritne illud habendum ut prorogatio tacita vel potius ut acceptatio tacita? Et certe, exclusa incardinatione vi iuris facta, requiritur saltem acceptatio tacita religiosi ex parte Episcopi benevoli.

Rem attente consideranti haud difficile patebunt incommoda, quae sequerentur ex eo quod silentium Episcopi deberet acceptationi tacitae aequivalere. Cum enim dispositio Codicis de incardinatione, ipso facto peragenda, aperte referatur ad solum triennium secundum iam transactum, bene fieri poterat ut Episcopi existimarent intra integrum sexennium unice ab eorum voluntate, positive manifestata, pendere incardinationem religiosi ad experimentum recepti. Id minime obstare videtur, quominus iidem Episcopi putarent ex alia parte se teneri ad prorogationem positive faciendam, quin tamen admitterent in casu negligentiae sanctionem incardinationis ipso facto peractae. Videbatur ergo obvium ut, dum verba Codicis aliud clare non efferrent, nequaquam imponeretur Episcopis incardinatio, quae nec ex praescripto iuris nec ex eorum voluntate, saltem directa, vim traheret. Eo vel magis quod incommoda ex hac agendi ratione Episcopi, forte religioso obventura, haud difficile devitari possent. Si enim silentium Episcopi tribuendum censeretur inadvertentiae, humili petitione acceptationis definitivae res sine mora componeretur; si vero illud fortasse ab aliis

causis procederet, aequum videtur ut libertati Episcopi nullum praeiudicium afferret.

Nunc vero ex responso Comm. Cod. constat authentice posse Episcopum tempus probationis tacite prorogare; exinde deducitur eum nulla unquam obligatione teneri faciendi expressam prorogationem. Silentium autem Episcopi post primum triennium elapsum tacitae prorogationi aequivalere censendum est.

Ph. Aguirre S. I.

III

Iuxta can. 1971, § 1, « Habiles ad accusandum matrimonius sunt: 1) Coniuges in omnibus causis separationis et nullitatis, nisi ipsi fuerint impedimenti causa ».

Sed cum causae matrimoniales multiplicarentur maxime propter vim et metum, propter simulationem consensus et propter condiciones positas contra substantiam matrimonii (quae sunt impedimenta improprie dicta, et continentur cc. 1081-1103), Pont. Commissio ad canones interpretandos, 12 Mart. 1929, haec impropria impedimenta inclusit inter ea quae coniuges arcent ab accusando matrimonium. (V. AAS, 1929, p. 171).

Hoc remedium numerum causarum certe non parum minuebat; at ex alia parte multos homines privare poterat iure naturali matrimonium contrahendi, quo nemo expoliari potest nisi probetur ipsum tali iuri libere renuntiasse, aut incapacem esse contrahendi ob defectum mentis aut corporis (Cfr. Allocut. Pii XII ad membra Trib. S. Rotae, 3 Oct./41).

Hi enim homines nec separari poterant, cum ipsorum matrimonium nequiret nullum declarari, nec eo uti, utpote in conscientia nullo. Unde non raro sequebatur ut vinculis illicitis aliis unirentur.

Ut hae tristes sequelae aliquo modo vitarentur, ipsa Pont. Commissio declaravit praedictos coniuges, iure ma-

trimonium accusandi privatos, posse tamen matrimonium denuntiare Ordinario vel Promotori iustitiae. (17 Febr./30. AAS, 1930, p. 196).

Qua declaratione nonnihil de prima severitate remissum fuit; sed cum (cfr. Instructionem S. Congr. de Sacramentis, 15 Aug./36, n. 39) tot condiciones exigantur ad admissionem denuntiationis; quod nempe impedimentum sit publicum, de cuius existentia serio dubitari nequeat, adsit scandalum, bonum publicum id postulet, matrimonium rite iniri nequeat (AAS, 1936, p. 322, Art. 39), in praxi tale remedium multis casibus extendi nequibat, qui de facto remedium postulabant.

Iam die 17 Iulii 1933 alia declaratio prodierat Pont. Commissionis, quae habilem dicebat ad accusandum matrimonium coniugem qui metum aut coactionem passus fuisset, modo ipse non fuerit causa culpabilis sive impedimenti sive nullitatis matrimonii; nec obstare causam honestam et licitam a coniuge appositam. Tunc enim ipse habilis erat ad matrimonium accusandum (AAS, 1933, p. 345).

« Ius accusandi matrimonium competit coniugibus ex iure naturae » (Gasparri, de Matr. II, n. 1260). Et re quidem vera, accusatio aut saltem denuntiatio est unicum remedium quod remanet coniugi, etiam antea culpabili, nunc autem poenitenti, ut suum statum personalem ordinare possit. Separari nequit, quia matrimonium non est rite declaratum nullum; convivere cum comparte vetatur, quia matrimonium de facto non est verum. Et licet separari posset, perpetuo caelibatui damnatur, contra legem naturae. Nec supponi potest Ecclesiam, quae non solum communi sed et singulorum saluti prospicit, unice his infelicibus coniugibus succurrere non posse au nolle, eosque per totam eorum vitam relinquere privatos non modo sacramento matrimonii, sed et omnibus aliis.

Ipsum bonum publicum, quod suadet ut medium inveniatur ne nimis multiplicentur accusationes matrimonii,

exigere videtur ut non permittantur uniones illegitimae ex denegata facultate accusandi.

Verum est quod si fideles scirent facile causas admitti, eorum numerus adhuc multiplicaretur, et aliqui, ut securius hanc viam tentare valerent, scripto, ante matrimonium, consignarent condiciones contra eius substantiam, ita ut, si res non bene cessisset, ostenso scripto, eius nullitatem probarent, quam iudices confirmare tenerentur. Huic incommodo, ut videtur, occurrere voluit Pont. Commissio sua responsione 17 Iul./33, extendens facultatem accusandi ad coniugem metum aut coactionem passum, modo non fuerit causa culpabilis impedimenti aut nullitatis.

Sed ecce exurgit ex hac ipsa responsione alia difficultas. Quomodo intelligi debet « causa culpabilis »? Agiturne de culpabilitate morali an de iuridica, an vero de utraque. Quia nempe bene concipi potest nullam esse culpam moralem, saltem subiective, et solum remanere culpam iuridicam. Ponamus v. c. puellam quae, parum ante caeremoniam nuptialem audit a sponso nullam se velle prolem. Ipsa vero, cum per circumstantias a caeremonia recedere non valeat, etsi exterius annuat, interius tamen negat suum in matrimonium consensum. Amittit hac de causa ius accusandi matrimonium? Ex resolutione anni 1933, respondendum videtur affirmative, quia tandem tribunal opponere poterit culpam iuridicam; nam ipsa, cum noluisset ab altare recedere, causa fuit, licet indirecta, nullitatis matrimonii. Quae tamen conclusio nimis rigida videri potest iis qui criterium aequum et humanum applicare voluerint.

His et similibus rationibus sine dubio mota, Pont. Commissio novam resolutionem edidit die 27 Iulii 1942, in qua is tantum coniux inhabilis dicitur ad accusandum matrimonium qui sive impedimenti sive nullitatis matrimonii causa fuit directa et dolosa, non autem indirecta vel doli expers.

Quo iam magis, ut patet, limitatur campus inhabilitatis ad accusandum. In casu supra proposito, si quis dicere vellet puellam causam fuisse directam nullitatis sui matrimonii, utpote quae consensum denegavit interius, cum nullo modo dici possit dolosa, manet habilis non modo ad denuntiandum matrimonium, sed et ad illud accusandum.

I. M. Restrepo, S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

4 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A - Litterae apostolicae *Clavarensis dioecesis*, 5 augusti 1942, quibus sanctuarium Nostrae Dominae de « Monteallegro » in dioecesi Clavarensi basilicae minori titulo honoribusque augetur (*AAS* XXXIV [23 dec. 1942] p. 363 s.).

B — Litterae apostolicae *Beatissimae Virgini Dei Genetrici*, 15 augusti 1942, quibus basilicae minoris honoribus privilegiisque decoratur sanctuarium S. Mariae, vulgo « Del Sasso ». apud oppidum Bibbiena intra fines Arretinae dioecesis (*AAS* XXXIV [23 dec. 1942] p. 364 s.).

C — Constitutio apostolica *Quo christianum nomen*, 1 septembris 1942, qua vicariotus apostolicus De Beni in republica Boliviana dismembratur et novus erigitur vicariatus apostolicus De Reyes (*AAS* XXXIV [23 dec. 1942] p. 361 ss.).

D — Litterae apostolicae *Compertum habemus*, 12 septembris 1942, quibus sanctuarium Beatae Mariae Virginis Auxiliatricis Christianorum in « Zo-sé », intra fines vicariatus apostolici de Shanghai, basilicis minoribus accensetur (*AAS* XXXIV [23 dec. 1942] p. 366 s.).

E — Allocutio a Beatissimo Patre die 12 novembris 1942 habita ad praeclaros viros qui celsarum mathematicarum disciplinarum cultores conventum ex omni gente Romae egerunt (*AAS* XXXIV [23 dec. 1942] p. 370 s.).

F — Epistula *Decimo exeunte saeculo*, 18 novembris 1942, ad Rev.mum D. Fidelem de Stozingen Ordinis Sancti Benedicti abbatem primatem, ob sacra sollemnia decimo exeunte saeculo ab obitu S. Odonis, abbatis Cluniacensis, celebranda (*AAS* XXXIV [23 dec. 1942] p. 368 s.).

G — Nuntius radiophonicus a Beatissimo Patre die 26 novembris anni 1942 missus ad christifideles ob conventum eucharisticum in urbe S. Salvatoris in America e tota republica coadunatos (*AAS* XXXIV [23 dec. 1942] p. 353 ss.).

H — Allocutio qua Summus Pontifex die 17 decembris anni 1942 humanissimis verbis quibus Exc.mus Vir Dominicus

DE LAS BÁRCENAS Y LOPEZ-MOLLINEDO qua Hispaniae Orator extra ordinem liberis cum mandatis litteras publicas porrexit, respondit (*AAS* XXXIV [23 dec. 1942] p. 372 ss.).

5 - Sacra Congregatio Rituum

Causae beatificationis et canonizationis:

1. *Taurin.* Decretum 10 iul. 1942, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis servae Dei MARIAE CLOTILDIS A SABAUDIA viduae NAPOLEONE (*AAS* XXXIV [23 dec. 1942] p. 377 ss.).

2. *Calaritana.* Decretum 2 aug. 1942, Super dubio: An signanda sit commissio reassumptionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, canonizationis B. IGNATII A LACONI, Confessoris, laici professi Ordinis Minorum Capuccinorum (*AAS* XXXIV [23 dec. 1942] p. 380 s.).

6 - Provisiones Ecclesiarum

A. *Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt*:

14 nov. 1942, Exc. P. D. FRANCISCUS HOBAN, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. IOSEPHI SCHREMBS, archiepiscopi episcopi Clevelandensis.

21 nov. 1942, R. D. FORTINUS GOMEZ, metropolitanae ecclesiae Antequerensi.

21 nov. 1942, R. D. IOANNEM F. BOYLAN, cathedrali ecclesiae Rockfordiensi.

21 nov. 1942, R. D. LEO BINZ, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. FRANCISCI M. KELLEY, episcopi Winonensis.

26 nov. 1942, Exc. P. D. FRANCISCUM DE FILIPPIS, hactenus episcopum Verulanus, metropolitanae ecclesiae Brundusinae, cui adnexa est administratio perpetua dioecesis Ostunensis.

B. *Decreto S. C. pro Ecclesia Orientali nominatus est*:

24 Oct. 1942, R. D. FRANCISCUM AYOUB, episcopali ecclesiae Cyprensi Maronitarum.

7 - Necrologium

7 maii 1942, D. Augustinus Aguirre Ramos, episcopus Sinaloensis.

29 oct. 1942, D. Ioannes Baptista Rosa, episcopus Perusinus.

13 nov. 1942, D. Franciscus Iosephus Monaghan, episcopus Ogdensburgensis.

15 nov. 1942, D. Martinus Tritschler, archiepiscopus Yucatanensis.

16 nov. 1942, D. Franciscus Christophorus Toro, archiepiscopus Antioquensis et Jericoënsis.

23 nov. 1942, D. Ioannes Oberti, episcopus Salustiarum.

18 dec. 1942, D. Laurentius del Ponte, episcopus Aquensis.

20 dec. 1942, D. Dantes Munerati, episcopus Volterranus.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

P. Hayoit, *La présomption du droit dans la tradition canonique* (Universitas Catholica Lovaniensis. Sylloge excerptorum e dissertationibus ad gradum doctoris in Sacra Theologia vel in Iure canonico consequendum conscriptis, t. VIII, f. 1), Lovanii, 1941, 16,5×25 cm., 74 p.

Manuali Minimi: 1. La novena della Madonna della Medaglia miracolosa. 2. I dieci minuti di S. Andrea delle Fratte. La conversione di M. A. Ratisbonne. 3. San Vincenzo de' Paoli maestro d'orazione. 4. La santa messa e la comunione. 5. Suor Giuseppina Nicòli, Figlia della Carità (in preparazione). 6. Il segreto di Fàtima e la devozione al Cuore immacolato di Maria. Edizioni Liturgiche e Missionarie Roma (Via XXIV Maggio, 10), 9×13 cm.

L. Alonso Muñoyerro, *Código de deontología médica*, Segunda edición, Madrid (Ediciones Fax, 1942, 14×23 cm., 224 p.

I. De las cualidades de los médicos: cualidades intelectuales, morales, físicas; del charlatanismo. II. El médico en relación con la salud corporal de los enfermos: de la visitas; de las juntas de médicos; de las operaciones quirúrgicas. III. El médico en relación con los intereses morales de los enfermos: de la medicina moral; deberes del médico en la muerte del cliente; el médico y la verdad. IV. Deberes médicos prematrimoniales: tutela médica de la procreación, crianza y educación del niño. V. Deberes del médico para con la sociedad: función social de la medicina; el médico funcionario. VI. Relaciones de los médicos en general: relaciones profesionales en las visitas; el médico de cabecera y los consultores; deberes de confraternidad del médico en su despacho-consultorio; los médicos de balnearios y sus colegas. VII. De los honorarios: licitud, tasación, percepción de los honorarios; ganancias ilícitas. VIII. De la responsabilidad médica: responsabilidad moral y legal; advertencias comunes a los dos capítulos anteriores. Apéndices.

L. A. Muñoyerro, *Moral médica en los sacramentos de la Iglesia*, Madrid (Ediciones Fax), 1941, 16× 22 cm., 355 p.

Del bautismo. Del sacramento de la penitencia. Del sacramento de la eucaristía. Del sacramento de la extrema unción. Del sacramento del orden. Del sacramento del matrimonio. Las enfermedades mentales y los sacramentos.

P. Vito, *Questioni scelte di Diritto canonico con riferimento al Concordato*, Napoli (Pont. Facoltà Giuridica), 1943, 16×22,5 cm., 152 p.

Ingerenza governativa nelle confraternite passate alla dipendenza dell'autorità ecclesiastica. Le commissioni di feste. Proprietà di oratorio pubblico. Ecc. (Universae quaestiones sunt 35).

II - Ex periodicis

ARCHIVIO DI DIRITTO ECCLESIASTICO, IV (1942), num. 4 (ott.-dic.) — Pio Fedele, *Il principio della certezza morale nei giudizi in un discorso di Pio XII*, p. 339-342.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO E RASSEGNA DI DIRITTO MATRIMONIALE, LIII (1942), num. 12 (dic.) — F. M. Cappello, *La legislazione ecclesiastica e suoi eventuali perfezionamenti*, p. 385-389.

PASTOR BONUS (Romae), VI (1942), fasc. 10 (oct.) — F. Muzzarelli, *De Ordinarii loci potestate in Congregationes iuris dioecesani* (continuatio), p. 393-406 — Fasc. 11 (nov.), eiusdem articuli continuatio, p. 442-451. — Fasc. 12 (dec.), item, p. 493-500.

RIVISTA DEL DIRITTO MATRIMONIALE ITALIANO E DEI RAPPORTI DI FAMIGLIA, IX (1942), num. 12 (dic.) — D. Lazzarato, « *Romana et aliarum* ». *Conflitto di attribuzioni fra la S. Congregazione dei Sacramenti e i tribunali ecclesiastici* (continuatio et finis), p. 229-235.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE MENDACIO

SECUNDA PARS - DE SPECIE MENDACII

PROLEGOMENON.

Respectus socialis et individualis in ethica locutionis.

48. Locutio et mendacium (locutionis propria corruptio) ex duplici respectu virtualiter distincto considerationi pariter obveniunt, nempe ex respectu *audientis* et ex respectu *loquentis*. Locutio namque duplicem terminum correlativum habet, alterum externum, alterum internum: *reproducit* in audiente id quod *producit* in loquente; reproducit *effective* (ποίησις) id quod producit *immanenter* (πρᾶξις); notificat audienti id quod manifestat de loquente; significat alteri id quod in se exprimit; brevi, enuntiat id quod dicit. Locutio proinde rationem habet actus *naturalis* seu physici respectu audientis, et actus *vitalis* respectu loquentis; ideoque definiri potest ut *communicatio manifestativa* personalis iudicii, vel, aliis verbis, ut *enuntiatio verbalis* propriae veritatis.

« In illa ... aeterna veritate ... formam ... visu mentis adspicimus. Atque inde conceptam rerum veracem notitiam tamquam verbum apud nos habemus, et dicendo intus gignimus; nec a nobis nascendo discedit. Cum autem ad alios loquimur, verbo intus manenti ministerium vocis adhibemus, aut alicuius signi corporalis, ut per quandam commemorationem sensibilem tale

aliquid fiat etiam in animo audientis, quale de loquentis animo non recedit »[134].

49. *Species* quidem locutionis determinatur ex eo quod locutio est communicatio quaedam seu enuntiatio. Locutio enim essentialiter pertinet ad convictum humanum (τὸ συζῆν); uniformiter subintelligitur ut « collocutio », et partes praecipuas agit in humana consociatione. Attamen, dum in convictu exercetur, minime rationem amittit actus immanentis et personalis; sed eo ipso constituitur quod actus immanens verbi proferendi[135] determinatur ut *ordinatus ad proximum*. Locutio sane pertinet ad moralem virtutem veritatis seu veracitatis[136]; at veracitas verbi in conversatione rationem assumit *fidelitatis*, quae quidem propria virtus est ipsius locutionis.

Haec igitur actio verbalis immanens et spiritualis secundum se[137] participat de ratione actionis *transeuntis* seu naturalis in quantum nata est *inducere* in auditorem notionem ei manifestatam, mediante cooperatione auditoris in credendo huic quod sibi dicitur. Locutio autem *per se* ordinatur ad hunc suum terminum. Quamvis igitur non sit in se actio transiens, ad essentiam tamen eius pertinet quod consideretur ut *causa*, i. e. ut *nata producere* notitiam in audiente. Ex illo autem extrinseco suo et effectivo respectu specificationem accipit; sicut creatio si-

---

[134] S. Augustinus, *De Trinitate*, lib. IX, n. 12.

[135] Distinctio duplicis aspectus ,naturalis vid. et vitalis, consideratur in ipso verbo proprie dicto, seu « prolato » (λόγ προφορικός Stoicorum). Pars mentalis verbi non est confundenda cum *iudicio* ipso, seu determinatione immanenti notionis (διάνοια, λόγος ἐνδιάθετος Stoicorum), quod in verbo prolato *expressionem* suam invenit. Potest homo et sibi quidem et Deo loqui, sed istas locutiones non habemus hic considerare, licet virtus moralis veritatis ad eas etiam pertineat; immo fundamentalior veracitas et fallacitas moralis hominis in illis exercetur quae homo profert in corde suo, prout afficitur ad veritatem.

[136] *Sum. theol.*, 2ª 2ae, q. 109, a. 1.

[137] I. e., abstrahendo a physica et sensibili organisatione locutionis (verbum externum), quae tamen remanet actio immanens, licet corporalis, velut irradiatio somatica verbi mentalis.

militer accipit rationem suam specificam non ab ipso actu divino interne considerato, sed a termino producendo, quamvis ipse actus creativus ita adaequate immanens Deo remaneat, ut nullatenus ad terminum suum realiter ordinetur, — ad differentiam locutionis nostrae, quae tota quanta ordinatur ad externum suum terminum.

Licet vero isti respectus externus et internus locutionis inveniantur prorsus indissociabiles in exercitio locutionis, plurimum tamen iuvabit in ipsa doctrina de locutione analytice eos considerare; et ideo devovebitur secunda pars tractationis investigationi *speciei* mendacii, nempe inordinationi mendacii in linea *sociali*, tertia vero ipsi verbo seu *actui* mendacii, nempe inordinationi eius in linea *individuali*. Classicum enim aequilibrium in doctrina veracitatis pendet a distincta simul et synthetica consideratione officii erga proximum et erga seipsum, quae ex rei natura locutionem moderantur. Ex neglectu alterutrius considerationis, vel ex alterutrius exaggeratione confusioneve, originantur plurimi ex ordinariis defectibus theoriarum de mendacio.

50. Tractando vero de specie mendacii opportunum erit disiunctim attendere primo quidem ad obiectum eius *materiale*, tum commune, tum proprium, secundo, ad obiectum formale *genericum*, et tertio tandem ad obiectum formale *specificum;* quibus respective respondent rationes *fallaciae, deceptionis* et *perfidiae*, ex quibus coalescit ipsa moralis specificatio mendacii; ceteris malitiis ad ipsius *verbi* mendacii productionem revocatis. (Cfr. n. 43).

SECTIO PRIMA - DE FALLACIA

De notificatione.

51. Nunc igitur attendimus locutioni prout est actus quidam naturalis, i. e. productivus alicuius termini externi respectu loquentis, nempe in intellectu audientis. Hunc autem naturalem actum locutionis primo consideramus

simpliciter ut *notificativum* (Bekundung), i. e. ut causa notitiae in proximo, abstrahendo provisorie a *modo quo* notificat. Ex eo enim quod est notificativa, locutio stricte sumpta iam distinguitur ab aliis usibus sermocinationis (seu locutionis late dictae), qui quidem exercentur interrogando, imperando, increpando, etc., utpote secundum quod locutio proprie dicta est *enuntiatio*.

Relicto igitur obiecto formali locutionis, attendimus obiecto eius *materiali*. Et iterum, relicta provisorie determinatione obiecti materialis *proprii* locutionis, determinationem videlicet huius quod primario nata est notificare, consideremus obiectum eius *commune*, i. e. obiectum quod locutio in communi habet cum aliis notificationibus, cum demonstratione et similibus.

Art. I. De obiecto materiali communi mendacii

§ I. De ratione fallaciae.

I. *Distinctio fallaciae, falsitatis et fallacitatis.*

52. Recta locutio nata est producere notitiam veram in audiente; mendacium autem pariter *notitiam erroneam*. Aliis verbis, mendacium *natum est fallere*. Haec ratio causae falsi vocatur *fallacia*, et ratio causae veri, « veracia » — si verbum novum, ad confusiones vitandas, per modum « actus transeuntis » usurpare licet.

Fallacia proinde distinguitur a *falsitate* (quamvis utraque de eadem locutione praedicari contingat) secundum quod fallacia attendit *causam* falsi, falsitas vero *expressionem* falsi.

Fallacitas autem et veracitas exprimunt in abstracto formam respectivam fallaciae et veraciae. Primario sane dicuntur de ipso *enuntiato;* at transferuntur etiam ut dicantur de *intentione* voluntatis in locutione exercita, prout ipsa intentio ad producendam notitiam erroneam vel veram determinatur.

Fallacitas et veracitas *morales* stricte sumptae distinguuntur a veritate et falsitate moralibus stricte sumptis, quae dicuntur de intentione voluntatis determinata ad falsitatem veritatemve absolutam ipsius expressionis, prout distinguitur a notificatione [138]. De his nunc non agimus.

II. *De intentione fallaci.*

53. Haec distinctio inter fallaciam et falsitatem, tum a parte enuntiationis, tum a parte intentionis, nonnihil refert ad distinguendas malitias mendacii constitutivas, necnon ad intelligendas disputationes Scholasticorum de intentione « fallendi »; siquidem « subtilissime quaeritur utrum, cum abest voluntas fallendi, absit omnino mendacium » [139]; et non desunt Scholastici interpretantes « fallere » tamquam « falsum dicere ».

Tenemus autem quod ad constitutionem mendacii in ratione fallaciae sufficit intentio « falsum dicendi », quia falsum *dicere* est de se *causare* falsam notitiam. Ad essentialem autem perfectionem mendacii quantum ad hoc quod

---

[138] Circa distinctionem respectus obiectivi et subiectivi veracitatis, cfr. *Sum theol.*, 2ª 2ae, q. 109, n. 1 & 3. — Lessius, *De iustitia*, l. 2, c. 47, dub. 5, n. 30-31.

[139] *De mend.*, n. 4. — Hoc « perenne » problema Scholasticorum ortum est partim ex desectione sententiarum S. Augustini; unde factum quod S. Augustinus videbatur *definire* mendacium in passibus ubi simpliciter asserebat *adesse* mendacium. Sic v. g. in sententia saepius allata: « Mendacium est quippe falsa significatio cum voluntate fallendi » (*Contra mend.*, n. 26), mendacium non est logicum subiectum, sed attributum propositionis; commentarium anticipatum sententiae exhibetur in *De mendacio*, n. 5: « Nemo autem dubitat mentiri eum qui volens falsum enuntiat causa fallendi. Quapropter enuntiationem falsam cum voluntate ad fallendum prolatam manifestum est esse mendacium. Sed utrum hoc solum sit mendacium alia quaestio est ». Cfr. similem constructionem in *De vera religione*, n. 61: « Ille mentitur qui ... ». Cfr. Waffelaert, « Dissertation sur la malice intrinsèque du mensonge », in *Nouvelle Revue théologique*, 13 (1881), p. 485 ss. — De disputatione apud Scholasticos, cfr. Landgraf, « Definition und Sündhaftigkeit der Lüge nach der Lehre der Frühscholastik », in *Zeitschrift f. Kath. Theol.*, 63 (1939), pp. 50 ss. — De critica S. Thomae attentione respectu « definitionum » S. Augustini cfr., e. g., *In 4 Sent.*, d. 1, q. 1, a. 1, sol. 4.

est fallax sufficit « velle causam falsae notitiae »: sufficit nempe intentio *virtualis* fallendi; non requiritur intentio formaliter fallax, id est, quae ad ipsum errorem proximi producendum directe determinetur. Actus quippe essentialiter determinantur ex obiecto, seu ex fine *operis*, non ex fine operantis. Intentio directa ipsius termini naturalis mendacii, i. e. ipsius erroris proximi, pertinet ad determinationem fallacitatis finalis ipsius voluntatis, quae per accidens se habet ad voluntatem essentialiter mentiosam, sicut integralis quaedam eius perfectio [140].

Intentio proinde fallendi semper adest in mendacio prout eidem inest intentio « fallaciam proferendi »: plus nempe quam intentio « falsum exprimendi » [141], minus quam intentio formalis in errorem inducendi [142]. Proprie

---

[140] Distinctio advocata non exacte respondet distinctioni propositae a S. Thoma in *Sum. theol.*, 2ª 2ae, q. 110, a. 1, nempe inter « speciem » et « perfectionem » mendacii, sed potius iis quae notantur in *3 Sent.*, d. 38, q. 1, a. 1, ad 5m: « Intentio fallendi potest intelligi dupliciter. Uno modo respectu fallaciae prout est *in ipso fallente tantum;* alio modo prout est in fallente, *et in eo qui fallitur*. Quicumque enim falsum loquitur, quantum est in se, fallit, quamvis non semper aliquis per eiusdem verbum fallatur. Quicumque ergo sciens falsum loquitur, fallaciam intendit secundum quod est in fallente. Unde ista intentio fallendi communis est in omni mendacio. Sed intentio qua aliquis intendit fallaciam non solum ut ipse fallat, sed ut alii fallantur, non est in mendacio iocoso: unde minimum habet de ratione mendacii ».

[141] De duplici interpretatione « fallendi »: scilicet, 1º ponere falsitatem in aliquo, seu decipere; 2º destruere veritatem in seipso — fallere secundum dictionem tantum — falsum dicere cum *possibili* fallacia, cfr. Guil. Altiss. *Summa Aurea*, l. 3, tr. 18, c. 1; Alex. Halensis, *Summa theol.*, lib. II, n. 399 et 401; S. Bonaventura, *In 3 Sent.*, d. 38, q. 5, ad 4m; dub. 3; Baco, ibid. art. 1. Secundus sensus sat manifeste defenditur ad tuendam litteram S. Augustini, qui quidem reapse dicit in *De doctrina christiana*: « Inest quidem in mentiente voluntas falsa dicendi ». (l. I, c. 36).

[142] Intentio *formalis* potest esse vel explicita *vel implicita;* igitur ponendo cum S. Alberto Magno intentionem *virtualem* tantum fallendi, verbotenus saltem discedimus a sententia cl. Waffelaert, qui solam negat necessitatem *explicitae* intentionis fallendi: « Nous disons que la volonté de tromper est essentielle au mensonge, tel que nous l'avons défini, mais que cette intention de tromper est nécessairement incluse dans

inest mendacio intentio assertionis quae de natura sua fallax est, aliis verbis, intentio actionis inductivae erroris in mentem audientis [143], ideoque *intentio virtualis* erroris in audiente producendi. « Sermo directe concessus est ad hoc ut de cogitatis et affectis enuntiet sicut est et non aliter; et si aliter enuntiet, tunc *facit falsa pro veris probari,* et hoc vocatur hic « cum intentione fallendi », et est in omni mendacio » [144].

54. Ex hac intrinsecitate intentionis fallacis sequitur quod ille qui falsum asserit etiam quando nullo modo sperare potest audientem convincere, quippe qui sibi non credat, sed unice intendit e. g. incommoda apertae confessionis avertere, omnino mentitur, nisi compertum habeat quod falsa assertio ab ipso audiente plane intelligitur ut pura formula denegandi responsum positivamque confessionem. « Potest enim quis velle mentiri, ut non possit convinci ex propria confessione, etiamsi norit alium non esse crediturum; regulariter tamen qui mentitur intendit falsam opinionem alterius animo ingenerare, seu decipere » [145]. « Inest omni mentienti voluntas fallendi, etiam si ei non credatur » [146].

Neque minuitur fallacia per hoc quod non pervenit ad propositum: « Culpa ... mentientis est, in enuntiando animo suo fallendi cupiditas; sive fallat, cum ei creditur falsum enuntianti; sive non fallat, vel cum ei non creditur, vel cum verum

---

l'acte de dire ce qu'on croît faux; elle lui est donc essentielle, parce que, par la nature même des choses, par soi et immédiatement elle en suit. Et c'est ainsi que, avec les Thomistes, nous nions que l'intention explicite, qui peut s'ajouter à l'acte de mentir, lui soit essentielle, comme nous nions avec les Scotistes que cet acte puisse être séparé de toute intention ou plutôt de toute volonté de tromper, même implicite ». o. c., pp. 492 s.

143 Cfr. St. Bersani, « De intrinseca mendacii deformitate », in *Divus Thomas*, (Piacenza) 39 (1936), p. 4 s. — Cfr. *L'Ami du Clergé*, 18 (1896), p. 565, « Toute parole fausse ... ».

144 S. Albertus Magnus, *Sum. theol.*, II, tr. 20, q. 105, m. 1, sol. — Sanctus Doctor minime confundit hanc concretam intrinsecitatem intentionis fallendi cum malitia intrinseca mendacii; quaestionem enim ipsam « An mendacium *secundum se* sit peccatum? » solvit affirmative quidem, sed *sine argumento, In 3. Sent.* d. 38, q. 1.

145 Lessius, *De iust.*, l. c., dub. 6, n. 33. — Cfr. *L'Ami du Clergé*, 18 (1896), p. 563 *e*).. « Pierre a commis... ».

146 S. Aug., *De vera religione*, n. 61.

enuntiat voluntate fallendi, quod non putat verum. Quod cum ei creditur, non utique fallit, quamvis fallere voluerit: nisi hactenus fallit, quatenus putatur ita etiam nosse vel putare ut enuntiat »[147].

III. *De obiecto fallaciae.*

55. Notitia vera impertita audienti per locutionem constituit veritatem aliquam particularem; et similiter mendacium per se natum est *particularem* solummodo falsam notitiam, seu limitatum errorem ingenerare. De quo quidem tractare vix attineret, nisi frequentius tentatum esset ultramodum inflare materiale mendacii obiectum ad intrinsecam eius malitiam peremptorie statuendam (cfr. n. 40). Plures enim assumunt oppositionem aliquam mendacii ad veritatem in absoluto seu universaliter consideratam, ac si mendacium actu eidem adversaretur, ideoque valorem absolutum, immo ipsum Deum, posthabens, ut intrinsecum malum habendum esset[148]; non defuerunt qui assererent mendacium esse primario contra caritatem in Deum et cultum Dei[149].

Contra quos proinde observare necessarium est, cum S. Bonaventura, quod « Non omne mendacium est contra Veritatem increatam. Sicut enim est bonitas creata et increata, ita etiam et veritas; et sicut Deus est supra creatam bonitatem, ita etiam est supra creatam veritatem: ergo sicut potest dispensare, ut aliquis destruat aliquod bonum creatum, ita tamen quod nullum fiat praeiudicium suae bonitati, ita videtur similiter de veritate »[150]. Inest sane omni peccato oppositio sua indirecta veritati necnon caritati divinae, de quo non habemus hic agere[151]. In specie

---

[147] *De mend.*, n. 3. — Notetur haec ultima particula de obiecto proprio fallaciae mendacii.

[148] Cfr. e. g. sententiam Odonis Rigaldi in Landgraf. « Die Sündhaftigkeit... pp. 161 s.

[149] Cfr. *L'Ami du Clergé*, 1896, p. 564.

[150] *In 3. Sent.*, d. 38, q. 2, concl.

[151] « Omnis enim, qui male agit, odit lucem et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius; qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in

autem sua mendacium, ut actus fallaciae, per se opponitur veritati praedicamentali, utpote natum inducere iudicium falsum; ut habitus vero mendacium opponitur habitui morali, item creato, virtutis veracitatis.

Causa falsi particularis nonnisi *potentialiter* adversatur absolutae veritati, materiam videlicet aliquam proferens ad exprimendam huiusmodi oppositionem, si eadem informetur, perinde ac causa mali particularis potentialiter opponitur bonitati absolutae, et corruptio entis particularis entitati absolutae. Non inest mendacio actualis oppositio veritati absolutae nisi per accidens in volitionibus consummatae perversitatis [152], in quibus mendacium induit rationem typicam aversionis formalis a Dei gloria.

56. Immerito autem imputatur S. Augustino patrocinium huiusmodi argumentorum, ac si ipse tenuisset valorem absolutum cuiuslibet veritatis [153]. Verum sane est quod S. Augustinus libenter ipsi Deo reservat nomen veritatis, et saepius considerat peccatum in genere sub ratione mendacii improprie dicti, i. e. defectus a veritate seu rationalitate [154]. Alienissimus tamen est ab omni confusione diversorum ordinum veritatis [155]; e contra ratio *participata* creatae veritatis fulgore suo veluti perstringit eius mentis

---

Deo sunt facta ». (Ioh., 3, 21). Cfr. I Ioh., 1, 6 ss.; 2, 8 ss.; Eph., 5, 8. 13, etc. S. Augustinus, *Sermo de Epistola Iacobi*, Edit. ab A. Wilmart, *Revue d'Ascétique et de Mystique*, 1921, p. 360. S. Thomas, *Qu. de Caritate*, a. 6, ad 4m; etc.

[152] Cfr. *Confessiones*, lib. X, n. 34.

[153] Cfr. R. Brouillard, « Causerie de Morale », in *Etudes*, 205 (1930) p. 200 s. — K. Verhofstad, « Waarheid en Leugen », in *Bijdragen der Ned. Jezuieten*, 1 (1938), p. 391. Haec dissertatio, accuratis observationibus referta, aliquatenus deficit, tum ex eo quod veritatem *particularem* in ordine ontologico (notitia *limitata*, « bijzonder ») confundere videtur cum veritate particulari in ordine sociali (notitia *privata*, « geheim ») — pp. 382 ss. —, tum quia sub exclusivo, eoque incompleto, sociali respectu, de mendacio tractat.

[154] Cfr. *Serm.* VIII, n. 3. — *Enarr. in Ps.* XCI, n. 6: « Omne peccatum mendacium est. Contra legem enim et contra veritatem quidquid est, mendacium dicitur ».

[155] Cfr. *De immortalitate animae*, n. 18-19.

aciem [156]. Insuper data opera extra quaestionem ponit quod dicto modo mendacium opponatur veritati absolutae:

« ... De isto genere est tota contentio, utrumne *sibi* obsit, qui sic prodest alteri, ut faciat contra veritatem. Aut si veritas illa sola dicenda est, quae ipsas mentes intimo atque incommutabili lumine illustrat; facit certe *contra aliquod verum*, quia etsi falluntur corporis sensus, contra verum tamen facit, qui dicit aliquid ita esse, vel non ita, quod ei nec mens nec sensus nec opinatio sua fidesve renuntiat » [157].

Ne veritatibus quidem universalibus et incommutabilibus mentis nostrae S. Augustinus tribuit valorem finis absoluti, cum « nullo modo », ait, « negaveris esse incommutabilem veritatem, haec omnia, quae incommutabiliter vera sunt, *continentem* » [158]. Sed Veritas illa suprema, absoluta, quae transcendit veritates omnes humanas, etiam universales, nequit esse proprium obiectum locutionis humanae; talis est enim

« quam non possis dicere tuam vel meam, vel cuiusquam hominis, sed omnibus incommutabilia vera cernentibus, tamquam miris modis secretum et publicum lumen, praesto esse ac se praebere communiter: omne autem quod communiter omnibus ratiocinantibus atque intelligentibus praesto est, ad ullius eorum proprie naturam pertinere quis dixerit? » [159].

57. Una tantum extat locutio inter homines, cuius obiectum quadantenus est absoluti valoris secundum se: con-

---

[156] *De libero arbitrio*, lib. II, n. 36.

[157] *De mend.*, n. 19.

[158] *De libero arbitrio*, l. 2, n. 33.

[159] Ibid. — Cfr. C. Boyer, *L'idée de vérité dans S. Augustin*, 2e ed. Paris, 1941, pp. 204 ss., et conclusiones. — De potentiali tantum oppositione intelligenda videntur ea quae nonnunquam proferuntur a S. Augustino circa oppositionem mendacii ad divinam veritatem, praesertim in scriptis editis « cum necessitas respondendi urgeret », et in quibus « oppugnatio aperta mendacii » postulabatur, e. g. in *Contra mendacium*, n. 31; quo quidem in loco revera nisi a Scriptura desumeretur minor argumenti, scil. « Lex tua veritas », vix a petitione principii excusari posset; manifestatur autem character potentialis oppositionis ex eo quod nn. 37-38 aequiparatur oppositioni castitatis ad veritatem.

fessio videlicet evangelicae veritatis christianae; siquidem Christus *est* ipsa Veritas, exinanita tamen usque ad indigentiam confessionis nostrae. Ipsa vero confessio, quamquam absolute bona secundum se, non exinde tamen fit absolute *debita*, sed secundum ordinem procurandae salutis humanae. Porro mendacium scienter denegantis Christum, utpote voluntate intrinseca adversans eidem Veritati, est ex genere suo malitia suprema, ipsum nempe Spiritum Sanctum directe vel indirecte offendens, in cuius virtute quis novit quidquid vere novit de Christo.

Distinguendae etiam sunt veritates illae particulares quae sunt universalis valoris humani, e. g. de existentia Dei, animae, etc.; sed malitia fallaciae circa talia obiecta exercitae extrinsecus advenit rationi mendacii [160].

58. Perperam etiam argumentum adstruitur quod « sicut veritas est maxime propria humanae mentis perfectio, ita falsitas omnis est dehonestatio et dedecus eiusdem: id enim in altero efficere, sive alterius *mentem* ad Dei similitudinem conditam *dehonestare*, intrinsece malum est » [161].

Utique dehonestatio huiusmodi intrinsece, immo et graviter, esset illicita; at negatur talem mentis perversionem perpetrari per simplicem fallaciam. Non omnis error productus in audiente per se vitiat mentem eius, seu facultatem ipsam falsam reddit, sed particularem tantum eius notitiam; sicut ille qui furatur aufert quidem a possessore aliquam suam possessionem, immo nonnunquam eidem infert positivam privationem, minime tamen reddit eum inhabilem ad possidendum. Quis autem licite ratiocinaretur si periculum falsitatis incurrendo dehonestationi mentis semetipsum exponeret?

59. Inest sane mendacio aliqua oppositio formalior et universalior respectu veritatis, quam illa quae consistit in termino falsitatis alicuius producendo, in quantum nempe mendacium adversatur *virtuti morali veracitatis*, quam in tertia parte

---

160 Cfr. VERHOFSTAD, o. c., p. 382 s.
161 LAYMANN, l. c., n. 8, prob. 5°.

considerabimus, describendo rationem executionis mendacii. Nec ipsa tamen haec oppositio immediate respicit veritatem in absoluto, nec mentem ipsam per se dehonestat, sed directe afficit moralem personam. De oppositione huic morali veritati intelligenda sunt quae dicuntur in *Contra mendacium*, n. 4:

« Mendaciorum genera multa sunt, quae quidem omnia odisse debemus. Nullum est enim mendacium quod non sit contrarium veritati. Nam sicut lux et tenebrae, pietas et impietas, iustitia et iniustitia, peccatum et recte factum, sanitas et imbecillitas, vita et mors, ita inter se sunt veritas mendaciumque contraria ».

Haec simpliciter exhibent doctrinam supra (n. 25 sq.) examinatam de pravitate materiali in mendacio.

60. Tandem non de omni mendacio dicendum est quod per se penitus aufert socialem auctoritatem veracitatis, sed de *doctrina* admittente liceitatem officiosi mendacii. De hac sola dicitur quod per eam « omnis omnino fidei disciplina subvertitur »; siquidem « omnis doctrina veritatis aufertur, cedens licentiosissimae falsitati, si mendacio vel officioso alicunde penetrandi aperitur locus » [162].

« Si enim (homines) in aliquo casu *possent licite* (mentiri vel falsum unquam testificari), iam ex hoc capite deficeret in radice fides humana. Quia hoc ipsum scire, illum, qui mihi loquitur, posse aliquando licite mentiri et falsum dicere, et posse licite id procurare, ac petere a Deo dispensationem, ut licite mentiretur, non parum derogaret fidei humanae, cum possemus formidare, ne vel ille, qui loquitur, obtinuisset fortasse, vel saltem imaginaretur sibi datam dispensationem in hoc casu... » [163].

IV. *De reatu fallaciae.*

61. Error per se quidem est malum in ordine naturae (n. 22), incapax proinde suscitandi malitiam intrinsecam in causa sua voluntaria. Actus fallax utique est per se *malefactum* in ordine intellectuali [164]: « Multos, ait S. Augustinus, expertus sum qui vellent fallere; qui autem falli, neminem » [165]. Si igitur voluntas illius qui fallit termina-

---

[162] *De mend.*, n. 11. — Cfr. *Contra mend.*, n. 7.

[163] Lugo, *De virtute fidei divinae*, disp. 4, s. 4, n. 60.

[164] Cfr. S. Bonaventuram, *In 3. Sent.*, d. 38, q. 2, concl.; Scotum, ibid., n. 4, 5; Biel, ibid., a. 1, n. 4.

[165] *Confess.*, lib. X, n. 33. Cfr. *Contra Faustum*, lib. XVI c. 33, etc.

tur ad ipsum errorem qua talem, sive in se sive in causa consideratum, non poterit non esse qua talis peccaminosa, utpote voluntas perniciosa, directe opposita virtuti *beneficentiae*. (n. 20).

Attamen fallacia, etiam in se sumpta; non erit universaliter seu intrinsece malefactum (n. 12):

« Quamvis enim error quanta possumus cura cavendus sit, non solum in maioribus, verum etiam in minoribus rebus... Verumtamen in qua re quisque erret, interest plurimum. Nam in una eademque re et nescienti sciens, et erranti non errans, recta ratione praeponitur. In diversis autem rebus, id est, cum iste sciat alia, ille alia; et iste utiliora, ille minus utilia, *vel etiam noxia*: quis non in eis quae ille scit, ei praeferat nescientem? Sunt enim quae nescire quam scire sit utilius. Itemque nonnullis *errare profuit* aliquando, sed in via pedum, non in via morum» [166].

Sunt autem errores momenti negligendi in ratione mali operati, sive ex obiecto, sive ex transitorietate, sive ex intrinseca commodi coniunctione, qui constituunt obiectum fallaciae officiosae vel iocosae, non iam perniciosae, sed aliunde, ut plurimum, illicitae.

Ex quibus patet quod si aliquis, cum S. Alberto Magno, malitiam essentialem mendacii simpliciter determinat ex obiecto materiali fallaciae, malitiam mendacii logice considerabit ut essentialiter analogicam seu proportionalem in mendacio pernicioso, officioso et iocoso [167].

62. Concesso autem quod voluntas fallendi sit dicto modo perniciosa, ulterius quaeritur utrum habenda sit, praecise in quantum fallax, ut *per se iniusta*, seu virtuti iustitiae formaliter opposita. Et tenendum videtur, cum sententia communi, quod mendacium a parte fallaciae consideratum nonnisi per accidens habendum est ut iniustum.

Mendacium enim, a parte fallaciae consideratum, de-

---

[166] *Enchir.*, c. 17.

[167] « Mendacium per prius et posterius dicitur de triplici genere mendacii »; « intentio fallendi non dicitur uno modo in generali definitione mendacii » (*In 3. Sent.*, d. 38, art. 8; cfr. art. 2, ad 1m; *Comment. in Oseam*, c. 2; *in Nahum*, c. 3.

terminatur *ex effectu* producto in mente audientis *individualiter* considerati, ut dictum est. In hoc autem effectu, sive consideretur *veritas denegata*, sive consideretur *error inductus*, non apparet determinatio iniuriae.

Primo quidem, homo *in individuo* consideratus non habet ius ad omnem veritatem particularem, etiam sibi convenientem, accipiendam, sed tantum ad veritates sibi debitas ad finem suum necessarium ordinate prosequendum. Arguere autem ex eo quod « veritas est bonum essentiale intellectus, sicut virtus est bonum voluntatis » [168], praeter hoc quod ab impari procedit, est confundere notitiam aliquam veram cum ipsa rectitudine habituali intellectus, quam non inficit mendacium (n. 58). De praecepto autem formali « affirmativo manifestandae veritatis » [169], vi cuius manifestatio veritatis esset secundum se sub peccato obligatoria, non constat. Ius pariter et officium in veritatem, ubi adsunt, proxime determinantur ex socialibus relationibus, ut in sequenti sectione ostendetur.

Sed concesso iterum quod homo non habeat ius in omnem veritatem sibi convenientem, ulterius quaeri potest an non habeat ius aliquod generale *ne fallatur*, ad quod sequeretur quod fallacia esset per se iniusta, et mendacium, consequenter, esset species aliqua iniustitiae.

Ex supradictis quidem habemus quod error est malum physicum, et ideo, si consideretur ut effectus actionis, constituit « damnum » sensu lato, scilicet diminutio alicuius in eo quod habet [170] quocumque modo. Ut vero demonstretur adesse damnum sensu stricto, quod nempe fundat [171]

---

[168] Ad. Tanquerey, *Synopsis theol. mor. et past.*, T. 3, n. 411, ed. 6a (1921), p. 180.

[169] De quo, veluti per transennam, loquitur Laymann, l. c., n. 10; sed probabiliter praeceptum intelligit de officio sociali, de quo tractabit subinde sub n. 12.

[170] Cfr. S. Thomam, *In Ethicam*, lib. V, lect. 7, n. 963.

[171] Damnum et ius obiectivum nonnisi *fundamentaliter* determinant iniustum et iustum, quae pertinent ad actionem formaliter; non omne damnum proinde, etiam stricto sensu intellectum, habendum est ut iniustum formaliter. Ius autem

determinationem laedentis actionis per se formaliter iniustae, demonstrari oporteret quod ille qui in errorem inducitur eo ipso minuitur in eo quod *debet* habere: « damnum enim dicitur ex eo quod aliquis minus habet quam debet habere, secundum Philosophum »[172].

Conceditur autem quod ille qui inducitur in errorem consequenter *minus* habet quam quod *de facto* habebat antecedenter in statu scientiae vel ignorantiae a quo deturbatus est per errorem; sed negatur quod possessio antecedens erat ex genere suo possessio *iuridica*, sicut possessio integritatis membrorum aut facultatum; non enim quaecumque pertinentia, etiam inhaesiva, ad subiectum constituit possessionem iuridicam[173]; id autem quod mente teneo, eo ipso non magis est iuridice « meum », licet psychologice assimilatum, quam id quod manu teneo, licet realiter apprehensum. Valor enim et ratio cognitionum in universum determinatur *ex obiectis* earum; unde « meae » sunt iuridice illae tantum notiones quarum obiecta mihi sunt hic et nunc cognitu (saltem habituali) debita. Cognitio autem *legitima* eo ipso nondum est « mea » iuridice: sicut legitime respicere possum in hortum apertum vicini, sed non fit mihi iniuria si murus circa hortum aedificatur, aut si verus rerum aspectus interposito quodam picto pariete dissimulatur.

Utrum igitur error inductus per fallaciam locutionis sit necne iniuria, determinandum est ex obiecto *peculiari* proprio fallaciae locutionis. Fallacia autem propria locutionis mendacis, ut in articulo secundo huius sectionis mox ostendetur, non aliud obiectum habet ac *veritatem in-*

---

qua tale, in conflictu iuris se superioris, natum est limitari, immo et quandoque annullari, ne deveniat iniustum; ideoque ius hominis eventuale ne fallatur cedit potiori iuri sibi contrario (Cfr. Bersani, o. c., pp. 5-8; 11 ss.). Iuri etiam ne fallatur legitime quis cessisse quandoque censendus erit, saltem interpretative; id enim quod aliquis velle nequit simpliciter, potest approbare secundum quid.

172 *Sum. theol.*, 2ª 2ae, q. 62, a. 4.

173 Cfr. Lugo, *De iustitia et de iure*, Disp. I, s. 1, n. 15.

timam loquentis, possessionem scilicet iuridicam *loquentis,* minime vero *audientis.*

Fallacia igitur mendacii secundum se extra ambitum iniustitiae reponenda est.

63. De fallaciae autem liceitate vel illiceitate, in quantum est causa damni in proximo, iudicandum erit secundum probata principia ad determinandam imputabilitatem effectuum; similiter in iudicando de liceitate veracis assertionis cui adnectitur malus effectus, vel per se, ut in diffamatione, vel per accidens, ut in nuntio infausto. Notandum tamen est quod quandocumque error, ut talis, *mediat* ad consecutionem effectus alicuius boni, principium duplicis effectus applicari nequit; sed tantum quando ex fallacia (quam semper supponimus hic et nunc contingere esse in se licitam) error et effectus bonus debite proportionatus aeque immediate procedunt, sicut ex eadem fallacia procedunt, e. g. error circa absentiam defectus proximi et tuitio famae eius. Error enim cum sit malum physicum seu particulare, licet vitiet rationalis iudicii obiectum, potest, ut vidimus, per accidens fieri bonum simpliciter rationalis voluntatis ex obiectiva reformatione ordinis, et tamquam bonum licite intendi sive in se sive in causa sua (n. 21).

64. Neque etiam materialiter prava dicenda est fallacia, siquidem inordinationem suam non directe accipit ab inordinatione ipsius executionis actus, sicut fictio, sed a parte obiecti sui, i. e. erroris; error autem non constituit malum dispositive morale, siquidem non contingit per se ut materia appropriata actui determinate immorali (n. 26), ideoque remotam solum occasionem peccati constituit. Bonitas igitur essentialis locutionis et malitia essentialis mendacii quaerendae erunt a parte obiecti formalis respectivi, i. e. a parte *modi* quo actus illi nati sunt verum falsumve producere; haec autem nonnisi implicite indicantur in associatione quadam sensus inhonestatis inhaerente nomini « fallaciae » (tromperie; ἀπάτη). Mendacium intrinsece illicitum et intrinsece odiosum necessario magis importare debebit quam rationem fallaciae (πλάνησις — cfr. II Cor., 6, 8); fallacia qua talis per accidens ordi-

nari potest ut sit licita simpliciter et bona secundum quid [174].

Ne tamen ratio damni erroris a fallacia producti inconsiderate posthabeatur, attendendum est quod error addit ignorationi rationem carentiae perfectionis debitae in aliquo iudicio rationali. Iudicium autem erroneum, consideratum ut habitus, constituit damnum quoddam non transitorium (sicut dolor, qui non damnificat nisi secundum quod est actu) sed damnum quadantenus permanens et principale; in hac enim sua ratione scientiae falsae constituit instrumentum vitiatum cognoscendi, necnon actionum ex cognitione profluentium. Sane, ut dictum est, error non damnificat hominem in ipsa facultate essentiali cognoscendi, sed damnificat eum in actibus intentionalibus, qui arctius quam bona exteriora hominis connectuntur cum ipsius vita personali, quin eandem attingat in ratione actus materialiter moralis; ex iudiciis enim sanis vel errore infectis, mediante voluntate, natae sunt profluere et bonae et malae actiones inclinationibus eadem iudicia consequentibus consentaneae. Quis e. g. considerans metiri potest possibiles consequentias levioris etiam calumniae?

65. Tandem, licet mendacium secundum se, etiam ut fallax, sit peccatum leve tantum, idoneum tamen et proprium instrumentum constituit maximarum offensionum, et organum electum actionis diabolicae, prout saepius monent Scripturae. Scandalose igitur exponeret doctrinam contingentis liceitatis simplicis fallaciae, qui illam, praesertim apud rudes, non integraret in doctrina abominationis *habitus* fallaciae, rationem habendo pronitatis humanae ad abusum loquelae: «Et lingua ignis est, universitas iniquitatis ..., inquietum malum, plena

---

174 Iuvabit conferre doctrinam de *fallacia* stricte sumpta, qualiter exponitur a S. Ioanne Chrysostomo in *De Sacerdotio*, l. I, n. 8-9 (M. G., 48, 629 s.), quam, perinde ac *astutiam* (κλοπὴ) — de qua alia in sectione agemus — eximit ab intrinseca (δι' ὅλου) malitia. Nullibi in his paragraphis mentio fit de mendacio (ψεῦδος).

veneno mortifero » (Iac. 3, 5 ss.). « Lingua facilitatem habet motus, in udo posita est, facile in lubrico labitur. Quanto illa citius et facilius movetur, tanto tu adversus illam fixus esto. Domabis, si vigilabis; vigilabis, si timebis, si christianum te esse cogitaveris » [175].

Quodsi fallacia secundum se non sit intrinsece mala, apud plerosque tamen homines habenda est ut de facto semper culpabilis, quia non sine *affectu* quodam inordinato implicito, saltem non sine indifferentia, proferuntur, ex vitiosa dispositione habitualis fallaciae, vel saltem facilius recurrendi ad ipsam, a qua vix perfecti eximuntur (n. 32): « qui falsum putat et verum asserit, mentitur: fallere *affectat* », « fallere cupit » [176]; de qua pronitate intelligenda est dixisse Scripturam « Os quod mentitur occidit animam »: quod quidem ex ipsa expressione patet non dici de singulo mendacio, sed de consuetudine mentiendi, quae manifeste non est habenda tamquam leve vitium morale, nisi sit pathologica et plane irresponsabilis [177].

§ II. DISCRIMINATIO FALLACIAE LOCUTIONIS

66. Doctrina de fallacia adhuc respicit veluti praeambulum theoriae de mendacio; cum tamen plurimae difficultates et interminatae disputationes in hac parte doctrinae congerantur, magni momenti est, ad theoriam et praxim veracitatis expediendam, principia aliqua statuisse ad locutionem fallacem exacte discriminandam.

Patet enim quod intentio formalis fallendi adesse potest absque hoc quod aliquis ipsa *locutione* fallaci tamquam medio utatur ad fallendum; sicut cum quis sophismate, aut simplici rerum simulatione fallere contendit: quidquid decernendum occurrat de hac formali fallacia, non proprie haberi poterit ut *mendax*, quia ratio mendacii non subiectatur nisi in locutione; eventualis culpabilitas huiusmodi fallaciae ex aliis titulis derivabitur [178].

---

[175] S. Aug., *Sermo 180*, n. 12. — Cfr. Eccli. 22, 33.

[176] S. Aug., *Sermo 133*, n. 4. *De mend.*, n. 3.

[177] Cfr. R. Le Senne, *Le mensonge et le caractère*, Paris, 1930.

[178] In libro *De conflictu vitiorum et virtutum* Ambrosius Autpertus († 778) observat (personificando fallaciam et men-

Item continget quod ille qui fallere contendit locutionem quidem usurpabit ad fallendum, non tamen locutionem *per se* fallacem, sed locutionem per accidens fallacem, e. g. in responsis evasivis (n. 78); quo in casu eventualis culpabilitas et inhonestas fallaciae iterum non formaliter orietur ex ipsius mendacii deformitate. Plus minusve tamen identidem de ratione mendacii participare poterit, in quantum nempe locutio qua talis, quamvis per se verax, ex proposito selecta fuit ut medium ad fallendum; ipsa saltem intentio tunc habenda erit ut mendax, ex abusu materiali locutionis ad illicite fallendum.

I. *Distinctio assertionis et sententiae.*

67. *Natura* quidem simplicis fallaciae determinatur, ut vidimus, ex consideratione materialis obiecti mendacii. *Discriminatio* vero fallaciae locutionis — utrum videlicet adsit necne — maxime attenditur a parte corporis seu organi locutionis, i. e. *sermonis* (le langage, die Sprache), per quem locutio, ut plurimum formulatur [179]. Locutiones enim hominum non sunt, sicut locutiones angelicae, actus simplices voluntatis ordinantis notiones ad alterum angelum, sed locutiones incorporatae et ad extra formatae per vocabula et similia [180].

---

dacium): « Fallacia atque Mendacium et ipsa unum dicunt; Fallacia quidem fit ingenio, Mendacium vero simplici verbo. Fallacia igitur dicit — ut ex multis unum proferamus —, cum in non dando aliquem illudere quaerit: « Quid in petendo moras innectis? Non habeo quod tibi tribuere possim », celans utique in corde qui habet, vel quod sibi conservet, vel quod aliis, si voluntas inest, tribuat. Mendacium dicit: « Omnino quod postulas non habeo »: scilicet, non artificioso ingenio, sicut Fallacia, sed simplici negationis verbo frustrans poscentem. Sed Veritas ad utraque respondet: « Nec artificioso ingenio, nec simplici verbo oportet decipere quemquam ... » (Cap. 19. ML 40, 1101).

[179] Cfr. F. Kainz, « Lügenerscheinungen im Sprachleben », in Lipmann-Plaut, o. c., p. 212.

[180] Cfr. Lugo, *De Virtute fidei*, d. 1, s. 10, n. 199; d. 2, s. 1, n. 2. — Ea omnia quae de sermone traduntur sane applicantur signis iis quae oris sermoni surrogantur: « Quia verberato aëre statim transeunt (verba), nec diutius manent quam sonant, in-

In omni locutione humana distinguenda est *assertio*, tamquam *forma* essentialis, et *sententia* asserta, tamquam *materia;* ex quorum coniunctione constat enuntiatio (Aussage). *Species* quidem peculiaris fallaciae in mendacio exercitae determinabitur ex consideratione naturae intimae assertionis; at ipsa discriminatio *existentiae* fallaciae locutionis *fundamentaliter* pendet ex praesentia vel absentia effectiva ipsius assertionis. Sicut enim a priori non existit homo ubi non est substantia, ita etiam mendacium existere nequit ubi non est fallacia; sicut autem substantia non existit ubi deest forma saltem corporalis, ita et fallacia sermonis non exercetur ubi deest assertio; absente assertione, sententia expressa vocibus se habet sicut « homo pictus » aut electrica lampas extincta; non nisi improprie dici potest locutio.

Quod quidem assertio constituat elementum formale enuntiationis, et proprium humanae conversationis, manifestatur ex eo quod *significatio*, ut talis, non deest in mutuis brutorum communicationibus [181]. Assertio autem consistit in hoc quod sententia profertur et intelligitur *ut vera*, i. e. ut actuale iudicium prolatum. Unde sub hoc respectu conveniens est definitio descriptiva mendacii ut « expressio assertiva illius quod interne iudicatur falsum » [182].

II. *De praesentia vel absentia assertionis.*

68. Assertio non necessario explicitatur, prout fit in stylo qui « indirectus » vocatur; plerumque e contra, et naturaliter, implicitatur in formula sententiae. Immo, quan-

---

stituta sunt per litteras signa verborum. Ita voces oculis ostenduntur, non per seipsas, sed per signa quaedam sua ». (S. Aug., *De doctrina christiana*, II, c. 4). — « Vox homini principaliter data est ad significandum. Unde omne signum quo aliquis aliquid significat nomine *vocis* intelligitur, et eo mendacium fieri potest, sicut patet in signis et nutibus monachorum ». (S. Thomas, *In 3. Sent.*, d. 38, q. 1, a. 1, ad 2m).

[181] Cfr. Caietanum, In 2am 2ae, q. 110, a. 1 (III).

[182] Waffelaert, o. c., p. 481.

tumvis explicitetur formulatio ipsius assertionis, absoluta ipsius assertionis praesentia exinde colligi nequit. Assertio enim est actio concreta, quae propriam formulationem excedit ratione ipsius huius concretionis; non colligitur cum certitudine utrum necne sermo sit assertivus, nisi ratione habita circumstantiarum, i. e. ex consideratione ultima et directa enuntiationis in concreto exercitae. Quodsi sermo reapse non sit assertivus, manifesto nequit esse formaliter fallax, cum per se non sit inductivus iudicii in audiente, seu notificativus.

Quantumcumque igitur in aliqua sententia explicitetur mens assertiva, ipsa verbalis enuntiatio non continet actum assertionis inconditionate; sicut sententia, « Dico solem ortum esse », vel « Iuro me hoc non fecisse », minime reputatur assertiva si pronuntiatur a grammatico exemplum styli producente, vel ab histrione partem suam declamante, etc.

Sunt quidem qui putant hanc elementarem observationem temporibus tantum nostris denique tandem peritis scientiae vocis illuxisse. A saeculis tamen iam notaverant sententiam eandem esse fallacem in ore thesim defendentis, minime vero in ore thesim arguentis, prout observat Guilelmus Altissiodorensis:

« Quaeritur quare non liceat dicere falsum in hoc casu (necessitatis), cum in disputationibus saepe dicamus falsum praeter casum necessitatis ».

Respondet:

« In disputatione, dicendo falsum, non intendimus destruere veritatem, quia non quaeritur a nobis an ita sit ... Disputantes non peccant dicendo scienter falsum, quia non dicunt illud intentione fallendi: quia non intendunt illud *asserendo* testificari ut faciant illud concedi » [183].

Similiter S. Albertus Magnus sibi obicit:

« Doctores disputantes saepe fallunt ex intentione ..., et tamen non dicuntur peccare cum proferunt vel probare nituntur

[183] *Summa aurea*, lib. 3, tr. 18, c. 1, q. 2, et ad 2m.

quae falsa sunt et sciunt esse falsa: ergo non omne mendacium est peccatum ».

Respondet autem:

Doctores non intendunt fallere, sed potius per exercitium docere; et quod ostendunt mendacium, hoc est ut cavere discatur, *non ut approbetur tamquam verum;* et ideo non mentiuntur » [184].

Inde etiam est quod sententia iisdem verbis constans erit fallax si v. g. ab homine quieto pronuntiatur, quia ut asserta habetur; e contra non erit fallax si ab homine irato pronuntiatur per modum increpationis: non enim intendit asserere illud quod exprimit, sed iratum animum exonerare. Sic bene intelligi potest observatio Hugonis a Sancto Victore dicentis:

« Si proferatur verbum vel signum ad significandum quod non est, *non tamen propter deceptionem*, sed propter utilitatem, vel correctionem, vel increpationem, non dicitur mendacium » [185].

Quando mater aliqua puero culpabili, non tenuiori, dicit: « Non iam te amo! » nihil aliud utique vult intelligi a puero praeter hoc quod matrem serio offendit.

69. Apte etiam, ex eodem principio determinationis concretae, Caietanus distinguit *duplex mendacium iocosum*:

« Mendacium iocosum sumitur... *materialiter*. Sicut cum aliquis narrat unam fabellam, aperiens se narrare fabellam.

---

[184] *In 3. sent.*, d. 38, a. 1, ad 1m. — Cfr. S. Bonaventuram, *In 3. Sent.*, d. 38, q. 2, ad 2m: « In disputationibus enim propositiones magis sunt interrogationes quam veritatis assertiones ».

[185] *Adnotationes elucidat. in Gen. XII*, M. L. 175, 50. Particula « propter utilitatem » manifeste non est intelligenda de mendacio officioso, sed de utilitate quadam taliter se exprimendi absque periculo fallendi. — Cfr. S. Ambrosium, *De Paradiso*, 70: « Quid est ergo: Adam, ubi es? Id est, non in quo, sed in quibus es! Non ergo interrogatio est, sed increpatio. De quibus, inquit, bonis, de qua beatitudine, de qua gratia in quam miseriam recidisti! » — Cfr. S. Augustinum, *De sermone Domini in Monte*, I, 24.

Et sic dicens infinita mendacia iocosa, in nullo peccat, si causa delectandi, quando oportet, et ubi oportet, etc., dicit ... *Formaliter* autem mentitur, qui sermone falso utitur, causa delectandi; sive serio, ut cum quis fingit in suo sermone aliquid accidisse, ut delectetur infirmus, qui novit illum, putando illud esse verum; sive iocose, ut cum quis in suo sermone aliquid fingit, ut delectet audientes, sive credant sive non: in suspenso, quantum est ex se relinquens, an verum, an falsum dicat; quo fit ut aliqui ex faceta inventione prolata, aliqui ex credita, delectentur. Et quocumque horum modorum accidat, est proprie mendacium iocosum. Et quantum est ex natura operis, natum est fallere: quamvis contingat quod quandoque nec ex intentione dicentis, nec ex modo dicendi fallat, ut patet in ultimo modo. Et quia ex natura operis natum est fallere, ideo formaliter exercens illud peccat venialiter »[186].

Ulterius forsan discriminare potuisset Caietanus, ex ipso suo principio exclusae per circumstantias assertionis, circa duplicem aspectum ab ipso exhibitum in secundo casu enuntiato. Recipitur enim nonnunquam, et rationabiliter quidem intra discretionis limites, in conversatione recreativa, quod quivis cautum se tenere debeat adversus inoffensivam amenitatem iocosarum insidiarum; perinde ac in ludis, qui nonnunquam integre consistunt in movendis evadendisque ex proposito fallaciis, sicut in luso latrunculorum (échecs) et similibus, in quibus toto caelo differunt regulatae insidiae et fraus infida (tricherie): haec absolute serioque fallit, licet quandoque et ipsa iocose fiat; illa vero non est nisi *lusus fallendi*. Et ita est de conversatione. Sal facetiae in eo praecise consistit quod auditoris error ingenuitati eius et inadvertentiae aliquatenus defectuosae integre debeatur[187]; assertio falsi reapse non est nisi ficta assertio, et quidem attento, ut oportebat, auditori manifeste ficta, saltem in puncto conclusionis suae, ideoque nec seria fictio.

---

[186] *In* 2am 2ae, q. 110, a. 3, ad 6m.
[187] Cfr. Bergson, *Le rire*, 40e ed., Paris, 1932, pp. 134 ss.

« (Ioci) habent ... evidentissimam ex pronuntiatione atque ex ipso iocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enuntiantis » [188]. « Mendacia ... a mendacibus serio aguntur, non ioco; cum autem quae non sunt tamquam ioco dicuntur, non deputantur mendacia » [189].

Practice mendacium quod iocosum dicitur amittit de ratione ioci quidquid induit de ratione proprie dicti mendacii; mendacium autem proprie dictum, licet iocosum, nunquam est sine perfidia et obiectiva quadam offensa. Et propter hoc forsan alibi S. Augustinus fatetur mendacium iocosum non esse sine culpa, licet culpa non sit magna [190]; aliud est enim iocus seu ludus fallendi et mendacium iocosum.

Non deest tamen, ut per transennam notetur, periculum indiscretionis et abusus in huiusmodi genere recreationis.

Discriminatio ipsarum circumstantiarum peculiarium, e quibus praesentia vel absentia assertionis diiudicari valet, in indefinitum protrahi posset; pertinet autem proprie ad casuisticam, et sufficit hic statuisse principium ipsum discriminationum.

Modo notandum est in genere quod simplex factum illiceitatis alicuius responsi non constituit per se solum praesumptionem absentiae assertionis in sermone respondentis, sed mediante distincta quadam eventuali circumstantia: si nempe reapse constat responsum illicitum a tali persona, e. g. ad secretum ex officio publico obligata, de facto expectari hic et nunc non posse. Quidquid in tali casu proferatur de facto non habetur ut assertum, sed ut modus quidam non asserendi, etiam si sententia simuletur assertiva.

---

[188] *De mend.*, n. 2. — « A mendacio excluduntur ioci qui ita proferuntur, vel aguntur, ut ex ipso modo proferendi, vel agendi, satis intelligatur, falsum esse, quod exterius enuntiatur; licet audiens ex sua nimia simplicitate et stupiditate, serio iocum accipiat, et a seipso potius fallatur, quam a iocante ». (Bucceroni, *Instit. Theol. Mor.*, vol. 2., n. 1523, Ed. 6ª, Roma, 1914, p. 407.

[189] *Quaest. in Gen.*, c. 144.

[190] *Enarr. in Ps. 5*, n. 7.

III. *De sententiae sensu genuino discriminando.*

70. Ex praesentia quidem vel absentia assertionis circa prolatam aliquam sententiam fundamentaliter diiudicatur utrum sermocinatio rationem veracitatis vel fallacitatis possit induere, vel ab utraque praescindat, ideoque habenda sit ut « factum » quoddam orale, non ut enuntiatio.

Discriminatio vero veracitatis vel fallacitatis formaliter pendet a *sensu ipsius sententiae* prolatae. Licet enim sententia subordinetur assertioni in ratione veracitatis, sicut conceptio subordinatur iudicio in ratione veritatis, veracitas sententiae, nedum sit accessorii momenti, e contra se habet ut *interna condicio* veracitatis assertionis, ideoque habenda est ut essentialis ad veracitatem locutionis, sicut *mensura* correcta ad iustitiam transactionis.

Discriminatio autem genuini sensus alicuius enuntiationis multo subtilior est et difficilior, praesertim quando debita reticentia veri secumfert per accidens necessitatem inducendi proximum in errorem. Sermo enim humanus est instrumentum valde complicatum et delicatum, necnon materialiter imperfectissimum, utpote patens abusibus omnigenis ineptisque usibus, quos dinumerare non hic attinet.

A) *Principia.*

Tria autem principia generalia mutuo coordinata statui posse videntur, quae iuvent ad discriminandum sensum genuinum alicuius sententiae, necnon vocabulorum quibus de more, velut membris, sententiae constituuntur. Quae tamen principia discretionis minime exhibentur ut exhaustiva, etiam in suo generali ordine.

Genuinus quippe seu realis sensus alicuius enuntiationis est 1° *obiectivus*, seu ad audientem ordinatus, 2° *regularis*, seu ex instituto determinatus, 3° *concretus*, seu ex adiunctis enuntiationis diiudicandus. Brevi, sensus genuinus est ille quem sententia *hic et nunc, per se* exhibet *audienti.*

1° *Sensus obiectivus.*

71. Sensus obiectivus est ille sensus quem sententia praesefert [191] prout ad audientem ordinatur, minime vero sensus quem loquens eidem sententiae ex respectu proprii sui intellectus tribuere vel adicere potest.

In hoc enim sermo (etiam materialiter sumptus) differt a mera expressione, quod expressio in sermone est *significativa;* signa autem essentialiter sunt *ad aliquem;* sensus igitur omnis assertionis est « ad auditorem », nec existimandus ex veritate eius absolute considerata, neque ex sensu aliquo vero quem verba adhibita *ipsi loquenti* per accidens exprimere valerent, sed secundum sensum quem hic et nunc nata est praeseferre audienti, secundum conscientiam loquentis [192]. « Non enim sonum litterarum et syllabarum, sed quod sonus ipse *significat*, et quod eo sono recte ac veraciter intelligitur, hoc accipiendum est dicere » [193].

Quidquid mente volvatur respectu sententiae enuntiatae ad hoc ut ipsi loquenti verum quendam sensum exhibeat est prorsus ineptum ad veraciam vel fallaciam realem sententiae immutandam, prout agnoscit S. Ambrosius, postquam pie ingenioseque diversas exhibuit « involutiones » mentales, quibus verba S. Petri Christum denegantis torqueri potuissent ad sensum quemdam ipsi Apostolo verum; subinde enim pergit observando:

« Sed nos excusamus: ipse non excusavit. Non enim satis est involuta responsio confitentis Iesum, sed aperta confessio. Quid prodest verba involvere, *si videri vis denegasse*? Et ideo Petrus non de industria sic respondisse inducitur, quia postea recordatus est, et tamen flevit » [194].

Verba Petri eum sensum habuerunt, quem auditoribus proferre intenderunt: se videlicet nescire hunc hominem.

---

[191] Subintellige « per se » et « hic et nunc », necnon secundum loquentis conscientiam. Condiciones enim, licet distinctae, concrete cumulantur.

[192] Cfr. VERHOFSTADT, o. c., p. 379 ss.

[193] S. AUG. *In Ioannem*, Tract. 102, n. 1.

[194] *Exp. Ev. Luc.*, lib. 10, n. 87 .

2° *Sensus regularis.*

72. Sensus genuinus sententiae non necessario est, ut monuimus, ille quem audiens de facto hic et nunc ex eius verbis desumpturus praesumitur; ideoque loquens non debet necessario attendere ad ipsum sensum ab audiente *effective* collectum ut de veracia fallaciave suae sententiae iudicare possit sed ad sensum *natum* produci per sententiam. Sensus enim sententiae non est prorsus relativus, sed quadantenus eidem essentialis, et ideo addita est particula « per se ». Inest quippe omni sententiae sensus quidam hic et nunc *regularis* — saltem loquenti compertus ut regularis, — isque sive clarus, sive ambiguus, sive indefinitus. Regularitas est intrinseca significationi *ex instituto* constitutae. Communicatio significativa nequit exerceri nisi eidem praesupponatur mensura seu valor quidam communiter acceptus verborum ex implicita saltem conventione honeste acceptandus; sicut non est commercium sine determinatione mercantili valorum. Etiam in societate duarum tantum personarum colloquentium, communicatio sermocinationis necessario est ex condicto quodam, quantumcumque restricto vel diverso pro ratione conversationis e. g. cum pueris, aut cum adultis, etc.

Ex his in genere sequitur quod si quis in necessitate constituitur verum celandi, nec potest hic et nunc verum celare nisi falsitatem permittendo in audiente, non exercuit sermonis fallaciam ad fallendum si sententia eius erat in se quidem plane verax, sed audiens ex accedente, sibique personali, inattentione, vel passione, vel praesumptione, sensum falsum ex sententia collegit. Item, si sententia erat plane quidem ambigua, sed ut talis manifeste prolata, audiens autem proprio marte sensum determinavit et complevit, quantumcumque loquens id advertat, immo et intendat hanc temerariam inductionem, fallaciâ sermonis non est usus, ideoque supposito etiam quod aliunde peccaverit, non mendacium ipsum perpetravit.

Vix attinet addere quod relationes ordinariae socie-

tatis utique supponunt quod effectus verax sententiae intenditur; et ideo normaliter ita loquendum est, quoad fieri potest, ut auditor, etiam ignorans aut distractus, in verum inducatur, benevole complendo, si necessarium sit, « ad hominem » sensum aliunde per se verum. Cavendum enim est in normali conversatione ne proximus, etiam per accidens, in errorem inducatur.

3° *Sensus concretus.*

73. Frequens possibilitas sensus honeste veracis in aliqua sententia per accidens nata falsum inducere, explicatur ex eo quod sensus alicuius sententiae ut plurimum *essentialiter* determinatur *ex adiunctis circumstantiis* obiectivis in quibus operatur enuntiatio. Enuntiatio enim phonetica abstracte sumpta nonnisi texturam quandam exhibet *realis* integraeque enuntiationis, quae ex gestibus eidem sociatis, ex tono vocis, ex tempore, innumerisque propemodum realiter subintellectis in tenore suo verbali completur et ditatur[195]. Unde est quod pleraque verba extra coniuncturas determinatas considerata aequivocitatem retinent, uti patet ex lexicis.

Pertinenter monet S. Augustinus, occasione divergentiarum in textu Evangeliorum, ne nimium attendatur ad litteralem veracitatem:

« Quae cum ita sint, per huiusmodi Evangelistarum locutiones varias, sed non contrarias, rem plane utilissimam discimus, et pernecessariam; nihil in cuiusque verbis nos debere inspicere, nisi voluntatem cui debent verba servire; nec mentiri quemquam, si aliis verbis dixerit quid ille voluerit, cuius verba non dicit; ne miseri aucupes vocum, apicibus quodammodo litterarum putent ligandam esse veritatem; cum utique non in verbis tantum, sed etiam in ceteris omnibus signis animorum, non sit nisi ipse animus requirendus »[196].

---

[195] « Feldwerte ». Cfr. K. Bühler, *Sprachtheorie*, Iena, 1934, pp. 179 ss. et passim.

[196] *De consensu Evangelistarum*, l. II, c. 28, n. 67.

Observatio utilitatem suam habet in diiudicando utrum necne fallaces habendae sint in concreto expressiones urbanae, euphemisticae, etc., quidquid sit de earundem frequenti abusu. Item non deest modus quidam falsum ita apertum enuntiandi, praesertim respondendo quaestioni indiscretae, ut ex ipsa emphasi non responsum sed evasionem responsi intentam fuisse constet. De cetero urbanae formulae saepius rationem assumunt partialis aut aequivoci responsi [197], de quibus subinde dicetur.

74. Refert autem plurimum advertere quod circumstantiae mutant sensum obiectivum enuntiatae sententiae, non prout attenduntur ab audiente, sed *prout loquenti innotescunt*, qui quidem rationem earundem habere debet. Sensus sane, ut dictum est, est ad audientem, et sententia ei ipsi sensum obiectivum concretum exhiberet si ipse ad circumstantias attenderet, easve non ignoraret; sensus autem per se non mutatur ex eius inattentione aut ignorantia; unde in casu sententia quidem quoad se plene verax esse poterit, licet praevideatur audientem ex ipsa certo falsum sensum collecturum, i. e. non ipsum sensum *realem* sententiae.

Exemplum classicum legitimae cuiusdam inductionis in errorem ex sententia univoce integreque veraci ex adiunctis suis habes in celebri responso comitum S. Athanasii fugientis insectationem Iuliani Apostatae, prout refertur a Socrate:

« Insequebantur eum a tergo qui comprehendere illum studebant. Ille cum persecutores haud procul abesse didicisset .. prudenti usus consilio manus persequentium effugit. Persuasit enim (comitibus) ut conversi persequentibus occurrerent. Quod quidem celerrime factum est. Cum igitur hi qui paulo ante fugiebant iam proximi essent persequentibus, illi qui Athanasium quaerebant nihil aliud ab eius comitibus quaesierunt, quam utrum Athanasium vidissent. Isti vero eum prope esse indica-

---

197 Cfr. J. M. SCHULHOFF, art. « Lying », in Hasting's *Encyclopaedia of Rel. & Ethics.*

verunt, ac si properarent, brevi illum comprehensuros fuisse. Ita illi deviati (παρατραπέντες) Athanasium acriter frustra consectati sunt »[198].

B. *Applicationes.*

Ex hisce principiis deduci possunt conclusiones aliquae particulares ad discriminandam, si non ipsam liceitatem vel illiceitatem in universum, saltem veracitatem fallacitatemve diversorum artificiorum quae passim usurpantur ad vitandam indiscretionem in conversatione.

1° *De restrictione mentali.*

75. Restrictio mentalis (stricto seu proprio sensu) est « *actus mentis,* verba alicuius propositionis ad alium sensum, quam naturalem et obvium, detorquentis et restringentis »[199], sive « suppleantur voces necessariae ad perficiendam exteriorem significationem », sive « loquens vocem sensu peregrino adhibere intendat »[200].

Ille qui ad restrictionem mentalem confugit format in mente propria sententiam aliquam veram (i. e. verbum internum proprio iudicio conforme) in qua verba externa plus minusve naturaliter aut artificiose partem constituunt, vel collocationem aliquam normalem inveniunt aut sensum ulterius determinatum accipiunt.

A parte vero *externae enuntiationis* considerata, restrictio mentalis constituit de facto sententiam mentis incomplete aut improprie prolatam, sive ex defectu integritatis verborum necessariorum, sive ex defectu qualitatis aut constructionis eorum, ita quidem ut sententia, *prout sonat,* intendatur tamquam *univoce falsa* in seipsa, et proinde tamquam simpliciter fallax.

Omnibus autem excogitabilibus modis restrictionem mentalem proprie dictam efformandi sublatet communis

---

[198] *Historia Ecclesiastica,* l. III, c. 14. P. G. 67, 415.
[199] Bucceroni, o. c., n. 1524, p. 408.
[200] Vermeersch in *Gregorianum,* I, p. 350.

illusio quod actus mentalis ut talis quidquam mutare valeat fallacitati alicuius falsae enuntiationis. Ex principio supra explicato sensus obiectivi enuntiationum manifeste inepta est restrictio mentalis ad mendacium evadendum:

« Et ratio brevis, sed manifesta haec est, quia quae mente tantum fiunt, loquelam seu sermonem non ingrediuntur, nec eam proinde veram aut falsam facere possunt. Aut si idem vis alia forma: eatenus posset restrictio mentalis veram facere sententiam quae, sine ea, foret falsa, quatenus, ea apposita, aliud diceret loquens vel aliud de re sentiret. Sed nec verba exteriora nec iudicium proprium huiusmodi restrictione mutantur. Ergo ... » [201].

76. Non est autem cur auctores, iique non minoris notae, qui defendunt liceitatem restrictionis mentalis temere improbentur quasi de incohaerentia. Cohaerens enim prorsus est eorum theoria cum sententia in qua malitia mendacii intrinseca explicatur per abusum signi. In illo quippe qui restrictione mentali proprie dicta utitur nullatenus adest, vel saltem valde mitigatur, illa « contradictio inter mentem et linguam » — « inter interiora, ut aiunt, et exteriora », — quam post auctoritates suas accipiunt ut essentiam mendacii, assumentes « mentem » et « interiora », non pro iudicio intimo, sed pro *verbo mentali;* similiter et « linguam » et « exteriora », non pro enuntiatione, sed pro *vocibus* enuntiationis. In restrictione mentali utique « mens », i. e. in eorum sententia, verbum mentale, cum « lingua », i. e. cum vocibus, conciliatur, nempe *sicut totum et pars totius.* Unde logice sequitur permitti enuntiatio cuiusvis falsi, modo mentaliter corrigatur: ex quo rectâ ducimur ad propositionem 26am reprobatam ab Innocentio XI [202].

---

201 Ibidem.

202 « Si quis vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa sive quocumque alio fine iuret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab

Ex qua consequentia logica tamquam ex indicio iam colligere possumus inanem esse doctrinam statuentem materialem illam mecanicamque rationem reatus mendacii, nempe ex abusu signi, licet proposita fuerit ad rigidam sententiam sustinendam. Obtinemus enim in eius applicatione ad theoriam proprie dictae restrictionis mentalis quod aliquis etiam loquendo fallere possit quin mentiatur; statuunt enim illi *nullam* fallaciam cum restrictione mentali operatam remanere mendacem. Tutius dicendum proponimus quod fallacia, quae, ut ipsi fatentur, per se inest restrictioni mentali, ibidem remanet uniformiter elementum fundamentale mendacii, licet ei, qua fallacia est, eventualiter deficere possit ratio *formalis* mendacii, deficiente videlicet, ut inferius ostendetur. ratione perfidiae, quae sola est intrinsece mala.

Theoriam mentalis restrictionis ad ultimam suam consequentiam deduxit J. J. van Rijckevorsel, eam extendendo ad mentalem restrictionem ipsius *assertionis*: « proferre falsa, quae non affirmantur, dum non-affirmatio non patet »[203]. Logica utique est conclusio; sed nemo non videt exinde permitti falsa quaeque proferre ex obiectiva arbitraria reticentia, modo quis existimet se constitutum in iusta necessitate verum celandi[204].

77. Periculum autem et character proprie scandalosus theoriae restrictionis mentalis proprie dictae non unice consistit in eo quod sensum moralem mendacii obliterare nata est, sed insuper in eo quod executionem mendacii ex quadam illusione *psychologice multo faciliorem* reddit; ex quo partim saltem explicatur larga receptio et obstinatio alumnorum huius theoriae.

Difficultas enim psychologica propria mendacii in eo

---

ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est periurus ». (Denzinger, 1176).

[203] « De malitia mendacii », in *Periodica*, 1934, p. 53.

[204] Logice etiam ex positione deduci potest propositio 25ª reprobata ab Innocentio XI: « Cum causa licitum est iurare sine animo iurandi, sive res sit levis sive gravis ». (Denz., 1175).

est quod totus intimus motus naturalis mentis humanae contrarius est generationi verbi falsi [205]; ad naturam enim conscientiae pertinet generare sibi simile [206]. Ex theoria autem restrictionis mentalis proprie dictae non iam postulatur conceptio iudicii falsi contra iudicium verum naturaliter quaerens propriam expressionem; sed sola relinquitur difficultas sane in se valde minor elaborandi vocalem enuntiationem verbo interno genuino partialiter respondentem, licet fallaciae adaptatam. Multo facilius revera, licet primo aspectu complicatius, est formare internam sententiam veram « Non vidi talem in domo mea », et ex iis pronuntiare tantum, velut abortivum « Non vidi talem », quam formare absolute in mente sententiam falsam « Non vidi talem », eamque simpliciter vocibus committere. Tota enim spontaneitas intima huic alteri processui, licet mecanice simpliciori, opponítur; non ita priori. Utrique sane moralis sensus proprie reluctat; sed pronum est assumere absentiam vel deminutionem psychologicae molestiae pro absentia vel saltem pro attenuatione moralis repugnantiae, praesertim si quis habitum restrictionis mentalis acquisiverit.

Theoria igitur restrictionis mentalis proprie dictae non solum falsa est, sed ansam praebere nata est ingenti multiplicationi mendaciorum, necnon labefactationi fiduciae conversationis. Multo consultius e contra videtur docere restrictionem mentalem stricte dictam in nullo differre a fallacia, ideoque prorsus ineptam esse ad vitandum mendacium; fallaciam autem nonnunquam, rarissime tamen et ex imprudentia nostra, moraliter necessariam

---

205 Cfr. O. LIPMANN, o. c., p. 2 s.

206 « Conceptum ... verbum, et *natum* idipsum est, cum voluntas in ipsa notitia conquiescit » (De Trinit., IX n. 14). « Nec concepta nec parta dicenda sunt animo, quae nobis displicent » (ibid. n. 15); displicet autem naturaliter cognoscenti verbum cognitioni suae dissimile, seu falsum; non igitur absque violentia editur verbum scienter falsum, siquidem « verbum est ... cum amore notitia » (ibid.). Verbum falsum non amatur nisi ex appetitu irrationali et innaturali.

fieri, eamque tunc reapse non esse mendacem, licet defectuosam; praestare tamen omnino ut tunc etiam ante omnia cautissime attendatur vitandae minuendaeve fallaciae ex attentiori adiunctorum ponderatione, ideoque ut mens circumspectioni integre occupetur, potius quam inani introspectioni amphibologicarum expressionum.

2° *De responsione evasiva.*

78. In propugnanda occasionali restrictionis mentalis liceitate miram quandam, vixque pro eius ingenio explicabilem, confusionem admisisse videtur Lessius, ubi conclusit [207] quod, quando

« non tenetur homo totam mentem suam circa rem de qua interrogatur aperire..., ergo nec tenetur *omnia verba* exprimere, quibus ea aperiatur; poterit igitur partem exprimere, et partem tacitus addere ... Nec obstat quod illud quod exprimit *per se sit falsum*, quia non intendit per se et solitarie affirmare, sed coniunctum cum eo quod tacitus addit, cum quo est verum. Quod enim exprimitur solum est pars totius orationis, quae constat partim locutione mentali, partim externa ».

Sed aliud est non totam tuam mentem aperire circa illud de quo interrogaris: ut puta, si mens tua integra contineatur duabus sententiis singillatim veris, unam tantum exprimas, alteram reticeas; aliud autem prorsus est sententiam aliquam exprimentem tuam mentem in *truncata*, ideoque intrinsece falsa (ut Lessius non diffitetur) expressione manifestare, quod restrictionis mentalis proprium est.

Ex iure quidem non totam mentem dicendi minime per se sequitur ius falsum dicendi, sed tantum ius mentem tuam partialiter seu incomplete aperiendi; in quo quidem per se nihil est directae fallaciae.

« Non autem hoc est occultare veritatem, quod est proferre mendacium. Quamvis enim omnis qui mentitur velit celare

---

[207] *De iustitia et de iure*, l. 2, c. 42, dub. 9, n. 47.

quod verum est, non tamen omnis qui vult quod verum est celare mentitur. Plerumque enim vera non mentiendo occulimus, sed tacendo »[208].

Ex iure autem et praesertim ex officio celandi, sequitur ius aeque permittendi falsam inductionem ex partiali eaque vera enuntiatione mentis tuae per accidens proventuram, dum sponte sua interrogans aestimat te illi integram mentem tuam aperuisse, cum tamen revera contrarium (i. e. reticentia) potius ex ipsis adiunctis suadeatur. Ut si quis interrogatus num aliquis sit peritus, respondeat eum eximia diligentia studuisse: quod verum esse supponimus; reticeat autem eum in cassum diligentiam suam exercitasse. Permittit, immo forsan intendit (ob suppositam aequam rationem) quod interrogans sponte, non ab ipsis circumstantiis enuntiationis coactus, inferat peritiam. Respondens nullam adhibuit locutionem directe fallacem, ideoque non potuit mentiri, etiamsi aliunde imprudenter eum aut illicite egisse constaret.

Usus est nempe simplici *evasione*, quae quidem nonnisi materialiter, ut patet, affinis est restrictioni mentali stricte dictae, at essentialiter diversa. Efformari autem potest non solum ex partiali responsione, sed praesertim ex *diversa* responsione, ut cum quis indiscrete interrogatus non ipsi quaestioni respondet, sed aliud quid verum in se, sed extra propositum, per modum responsi profert, ea saltem intentione ut divertat interrogantis curiositatem, immo quandoque ut illum in errorem indirecte inducat.

Evasio in communi habet cum restrictione quod sensus responsi est per se univocus, sed non iam univoce falsus, ut in restrictione, sed *univoce verus*, licet quandoque indirecte fallax. Quamquam evasio per se praeferenda videatur aequivocationi, seu responsioni ambiguae, non tamen universaliter honesta iudicanda est ex tali materiali

---

[208] *Contra mend.*, n. 23. Cfr. S. BONAVENTURAM, *In 3. Sent.*, d. 38, q. 2, ad 1m.

differentia[209]. Honestas enim et dishonestas evasionis plerumque ex modo et circumstantiis diiudicanda erit, et primo quidem ex honestate vel inhonestate fallaciae indirecte intentae. Saepius etiam responsio incompleta practice erit responsio indeterminata, ideoque ambigua, et coincidet cum responsione aequivoca.

Exemplum perfectae evasionis refertur in Evangelio, ubi Christus fratribus suis, qui in eum non credebant, rogabant autem ut in Iudaeam se transferret ad manifestandum seipsum mundo, respondet tempus manifestationis suae nondum advenisse, rationemque (prudentiam videlicet sibi necessariam) huius dilationis insinuat, et concludit se (sensu prorsus univoco quem ipsi intendebant, nempe publici introitus messianici) non ascendere ad diem festum istum. Occultavit autem ipsis intentionem suam ascendendi non manifeste sed quasi in occulto. Sivit autem ut ex dictis suis inducerent eum non iturum, et separatim ascenderent. Sicque prudenter vitavit ne ipsis in ascensu sociaretur, et « ne venturum praenuntiarent »; simul et plane respondit veritatem ad mentem audientium: « Aliquid intulit, aliquid abstulit, aliquid distulit: nihil tamen falsi dixit »[210]. Simul etiam nos docuit discretionem in verbis esse condicionem praecipuam integrae veracitatis virtuosae; virum autem perfectum nunquam moraliter cogi ad fallaciam locutionis.

---

[209] Cfr. Newman, l. c., qui tamen nimia severitate iudicavit sententiam S. Alphonsi. Neque de aequivocationibus neque de evasionibus possumus in universum indiscriminate pronuntiare.

[210] S. Augustinus, *Sermo* cxxxiii, n. 7. — Veracitas perfecta figurativarum locutionum saepius a Christo spiritualia docente usurpatarum, licet incredulos, indispositos, immo et ipsos dociles sed spiritualiter incultos auditores in errorem inducerent, ex dictis principiis et attente perspectis narrationibus demonstrari posset; sed haec demonstratio ad illas particulares quaestiones pertinet quae in immensum succrescunt, et hic praetermittendae sunt, ut generalioribus tantum determinationibus casuisticis insistamus. — S. Augustinus notat, respectu genuini sensus alicuius textus prophetici in Veteri Testamento: « Quod in his quoque verbis Faustus sapuisset, si pium palatum ad escas Dominicas attulisset. Sic enim fortasse sonuit Iudaeis quod dictum est (...), sed filius Evangelii cum audit (...), in hac ipsa ambiguitate sententiae videt quid Prophetae porcis proiciant, quid hominibus innuant » *Contra Faustum*, lib. XVI, cap. 22.

Si sententia evasiva, in se quidem vera, talis tamen esset in circumstantiis prolationis suae, ut auditorem, etiam cautum, necessario in errorem induceret, tunc habenda esset ut directe fallax, licet virtualiter tantum, non formaliter, ideoque ut accedens mendacio.

3° *Aequivocatio.*

79. Aequivocatio seu ambiguitas *proprie dicta* sermonis est illa sola quae duplicem sensum praesefert *in concretis realibus circumstantiis* enuntiationis suae. Aequivocitas expressionis in abstracto sumptae (ὁμωνυμία) non sufficit ad hoc quod sententia aliqua iudicetur actu ambigua tantum, non simpliciter fallax, prout monet Laymann:

« Sed supra monui, tametsi oratio (« Non *est* domi ») secundum se duos sensus habere *possit*, tamen ex modo interrogantis, respondentis, aliisque circumstantiis interdum ad unum sensum certum determinari, videlicet verbum *est* ad significandam existentiam: tunc autem mendacium est dicere, « Titius non est domi meae », si ibi sit, licet non comedat... Cum enim orationes ad alterum directae *secundum placitum significare debeant*, ideo loquens non potest enuntiationi arbitratu suo affingere significationem alienissimam ab omnium, etiam sapientium hominum, conceptione. Sin vero oratio, aut factum, *spectatis circumstantiis*, ambiguitatem permittat, quamvis ab altero non animadversam: tunc distingue, ut supra, an ius habeat id loquendi, aut agendi, quo alter ob simplicitatem suam decipietur ... » [211].

Aequivocitas verborum et formularum extra realem contextum circumstantiarum enuntiationis suae desumptorum, non iam est aequivocatio actualis sed aptitudo ad aequivocationem, seu *possibilis* aequivocitas. Perperam igitur demonstrare conantur liceitatem « *verae* amphibologiae » (n. 84), utpote quae « significat *quoque* sensum verum » ex eo quod « sermo non fit aequivocus propter

---

[211] *Theol. Mor.*, l. IV, tr. 3, c. 13, n. 11.

sensus diversos quos una vox habere *potest* », i. e. propter *possibilem* amphibologiam [212].

80. Ambiguitas proprie dicta sermonis, illa nempe quae aequivocitatem actualem secumfert in praesentibus contingentiis elocutionis, potest esse *aperta* quidem vel *dissimulata.*

Enuntiatio aperte (etiamsi implicite) aequivoca non est fallax, cum audientem in suspenso probe teneat. Aperta aequivocatio nihil aliud est quam plana quaedam denegatio vel delimitatio seu diminutio asserti; quae etiamsi aliunde essent illicitae, non habendae sunt ut fallaces.

Frequens exemplum huiusmodi apertae prorsusque innocentis aequivocationis invenimus apud mysticos, dum proprias experientias in tertia persona referunt; e. g. dum S. Theresia narrat de « esta persona que le hizo Dios esta merced... » Aliquando nequidem intendunt per hunc loquendi modum abscondere quod ipsimet fuerunt qui his divinis favoribus honorati sunt, ut Apostolus in II ad Corinthios, c. 12, sed instintive modum loquendi ab individua persona abstractum assumunt, quod et modestiae consulit [213] et ipsi naturae spiritualis experientiae acconmodatur. Hac tamen circumstantia freti nonnunquam mystici data opera componunt officium instructionis et discretionis, dum lectorem auditoremve *in suspenso* relinquunt circa experientiarum relatarum subiectum. Tertia persona ibi adhibita minime intenditur ut negatio primae personae, sed ut pura non assertio, siquidem et primae et tertiae personae aequivalet [214].

---

[212] Cfr. VERMEERSCH, *Theol. mor.*, T. 2, l. 2, tr. 6, c. 3, n. 705, 2, p. 660. — Aptitudo sermonis humani ad aequivocationem ita conspicua est et universalis, ut a nonnullis habitus fuerit tamquam instrumentum ineptum veritatis communicandae. Cfr. KAINZ, o. c., pp. 214 ss. — S. AUGUST., *Contra Faustum*, lib. XXII, c. 18.

[213] « Testimonium enim dicere, veritatis est: meritum elationis non refugere, gloriantis. Ideoque ait (Apostolus): *Pro huiusmodi* gloriabor: *pro me* autem non gloriabor ». S. AMBROSIUS, *Enarratio in Ps.* XXXVI, n. 40.

[214] Processus ad apicem tenditur, quin corruat aut frustretur, etiamsi nonnihil exquisitus videri possit, in sequenti sententia S. Theresiae: « Eramos tan una cosa ella y yo, que no pasaba cosa por su alma, que yo estuviese ignorante de ella,

81. Quod si aequivocitas sententiae dissimulatur, licet dicto modo realis sit, ille qui huiusmodi aequivocam sententiam ex proposito studiose eligit prae univoca enuntiatione, reddit assertionem suam *fallacem* pro ipsa mensura actualis ambiguitatis. Ex proposito enim eligitur enuntiatio quae *potest* effective sensum falsum conferre audienti, prae alia sententia simpliciter veraci et indubitabili. Quod si verum est de simplici ambiguitate, eo magis verum est de sententia quae probabiliter, aut probabilius, aut cum morali certitudine, sensum falsum prae sensu vero hic et nunc collatura sit audienti.

Restrictio quae dicitur *late mentalis* nihil aliud est quam ambiguitas huiuscemodi sermonis, quae possibilitatem quidem obiectivam sensus veri secumferat, sed *eventualitatem* perceptionis eius practice excludat. Non enim ad tales aequivocationes recurrunt, nisi quia tuto aestimant sententiam fore effective fallacem, licet per accidens.

82. Ex dicta fallacitate realis aequivocationis, sequiturne inanitas usus aequivocationis obiectivae ad veritatem celandam? Non videtur. Aliud est etenim eligere ex proposito sententiam aequivocam prae veraci, insciente audiente, et aliud est similiter aequivocam sententiam eligere *prae univoce fallaci*, quod est eligere minus fallax. Supposito igitur quod contingat fallaciam fieri moraliter necessariam, aliundeque licitam, tunc ex duabus fallaciis minor, seu illa quae aliquid veri saltem possibilis sibi retinet, prudenter eligi poterit, si menti obvenerit: illa scilicet quae, mediante aequivocitate, virtualem saltem veraciam utiliter sibi retinebit. Igitur ambiguitas aequivocatio-

---

y así puedo ser buen testigo, y me podéis creer ser verdad todo lo que en esto dijere». (*Moradas*, VI, c. 8, n. 4) Sorores S. Theresiae non ita simplices supponi debent, nec eas tales supponebat S. Theresia, ut non eandem prorsus in tali sententia experirentur impressionem et quaestionem ac hodiernus lector, nec intelligerent Matrem suam haec omnino bene *posse* significare de seipsa; et nos tamen sicut et ipsae, reapse in suspenso relinqueremur, nisi aliunde constaret Sanctam de seipsa loqui, ex necessitate quidem, sed cum debita discretione.

nis nonnunquam per accidens conducere poterit *ad minuendam fallaciam* aliunde licitam ex supposito; et secundum hoc erit laudabilis. Laudabilis etiam erit discreta cura materialis alicuius veritatis elocutionis servandae quando quis iterum licite fallere potest aut debet, et secundum hoc amphibologia ad verum reticendum non erit semper inepta, licet aliunde, uti mox ostendetur, vitanda; sed ut medium universale « veraciter fallendi », seu veracitatem formaliter in fallaciam convertendi, prorsus inepta est astutia aequivocationis et amphibologiae [215].

Exemplum legitimae cuiusdam aequivocationis ex partiali veritate affertur a S. Augustino:

« Qui asserunt aliquando esse mentiendum, non convenienter commemorant Abraham hoc fecisse de Sara, quam sororem suam dixit. Non enim dixit, « Non est uxor mea »; sed dixit « Soror mea est »: quod erat revera tam propinqua genere, ut soror non mendaciter diceretur. Quod et postea iam sibi ab illo qui abduxerat ea reddita confirmavit, respondens illi et dicens, « Et vere soror mea est de patre, non de matre »: hoc est de paterno genere, non de materno. Aliquid ergo veri tacuit, non falsi aliquid dixit, quando tacuit uxorem, dixit sororem ... Non est ergo mendacium cum silendo absconditur verum, sed cum loquendo promitur falsum » [216].

83. Hinc tamen oritur difficultas, quam sibi proponit Card. Lugo, nempe,

« quomodo fieri possit, ut ... loquens intendat verum sensum in verbis ambiguis, cum reipsa verba illa usurpet ad occultandam veritatem, id enim unusquisque intendit in suis actionibus quod habet pro fine: qui autem usurpat verba ambigua, ideo verba illa seligit et profert, quia utilia sunt ad occultandam veritatem, quam in mente habet: non sunt autem utilia ad eum finem, nisi quatenus generant alium sensum diversum in audiente: hunc ergo alium sensum videtur loquens intendere significare, et non illum, quem habet in mente: quomodo enim vult significare id quod non vult venire in mentem audientis, sed omnino eum latere? Repugnat ergo, quod utens

---

[215] Cfr. S. Alphonsum, *Theol. mor.* l. III, tr. 2, c. 2, n. 152, 2°.
[216] *Contra mend.*, n. 23. cfr. Genes. 20, 2. 12.

aequivocatione ad decipiendum, vel saltem ad occultandam veritatem, velit significare verum sensum, et per consequens, quod loquatur verum ».

Difficultatem autem solvit ex principio supra exposito (n. 53) intentionis virtualis locutioni intrinsecae:

« Respondeo, requiri quidem voluntatem aliquam manifestandi mentem veram vel falsam in loquente ...: hanc tamen voluntatem non debere esse de manifestatione, tamquam de fine ultimo intento, neque etiam debere semper esse voluntatem omnino efficacem; sufficit ergo quod sit voluntas manifestationis, tamquam finis proximi, et quod loquens velit, non quidem manifestationem completam omnino absolute et efficaciter, sed solum potentiam seu *causam illius*. Quam voluntatem ille etiam, qui loquitur aequivoce, habere debet: nam licet ultimo desideret, quod audiens non percipiat veram mentem et verum sensum verborum, quem intendit significare, sed alium diversum, atque adeo non velit manifestationem *passivam*, hoc est, quod audiens veniat in notitiam suae mentis, quam per voces significat: vult tamen manifestationem *activam*, hoc est, ponere verba, quae de se possunt manifestare verum sensum, et ponere ea proxime ad hunc finem, ut quantum est ex verbis, possit audiens percipere verum sensum; et haec voluntas et intentio proxima est, a qua dicitur loquens significare velle talem sensum verum, quia voluntate proxima vult ponere verba ad hunc finem proximum, ut possint, quantum ex ipsis est, manifestare audienti verum sensum » [217].

4° *Amphibologia.*

84. Amphibologiam intelligimus illam aequivocationem quae tota quanta *ex sola sermonis formulatione* fere construitur. Terminative sumpta collocanda est in alterutra ex supradictis categoriis restrictionum et evasionum; differt autem ex instrumento, quod hic nec mere mentale est, nec mere obiectivum aut concretum ex adiunctis, sed proprie *verbale*. Haec proinde reducitur ad merum lusum verborum; addit autem per se fallaciae terminali indecorum fraudulentae adulterationis enuntiationis [218]. Fallit

---

[217] *De virt. fidei*, d. 4, s. 5, n. 71-72.

[218] Cfr. 2 Cor. 2, 17: οὐ... καπηλεύοντες τὸν λόγον..., et 2 Cor., 4, 2: ἀπειπάμεθα τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, μὴ... δολοῦντες τὸν λόγον...

dupliciter, et quoad obiectum falsum enuntiatum, et quoad modum insincerum et fucatum sermocinandi. Per se igitur magis est odibilis quam plana fallacia; quae quidem, si legitima erat, re postea comperta, non parit offensionem; sed amphibologia ad fallendum usurpata singulariter vituperabilis aestimatur [219], perinde ac ponderum falsificatio etiam legitimae compensationis intuitu exercita.

Art. II. De obiecto materiali proprio mendacii

85. Hucusque tractavimus de obiecto materiali communi mendacii. Obiectum autem formale alicuius actus nequit recte definiri nisi respectu obiecti materialis proprii huius actus; sicut e. g. obiectum formale intellectus humani non determinatur respectu entis in communi, sed respectu rei sensibilis. Unde per modum transitus ad tractationem de obiecto formali mendacii determinandus est *error peculiaris* quem mendacium per se primo natum est ingerere menti auditoris. Quae quidem determinatio magni refert ad rationem moralem deceptionis necnon simulationis in mendacio exercitarum introspiciendam.

I. *De veritate intima loquentis.*

86. Particularis notitia quae per se primo, proprie et directe, producitur a locutione est notitia iudicii intellectus prout elucet in mente intima seu conscientia loquentis.

Dicimus quidem primo, quod veritas *iudicii* primario producitur, non veritas conceptionis; uti patet ex eo quod accidit totam conceptionem, qua talem, iam explicite et correcte inesse menti auditoris antecedenter ad auditam

---

[219] De amphibologia loquens, quam vocat « equivocation », dicit Newman: « For myself, I can fancy myself thinking it was allowable in extreme cases for me to lie, but never to equivocate ». (o. c., p. 360). — Indianus scholiastes Vâcaspatimiçra, in commentario super *Yogasûtra*, II, 30, de veracitate disserens, scite eligit amphibologiam aliquam in exemplum « dolosae locutionis ».

locutionem, e. g. quando in interrogatione tota iam conceptio expressa fuit, responsio autem limitatur ad hoc quod dicatur « Ita » vel « Non ». Qui hocce modo respondet nullam quidem conceptionem producit, sed potius e contra conceptionem ipse ab interrogante recepit; integre tamen locutus est, siquidem ipse notificavit; interrogans e contra, quamvis totum conceptum expresserit ipse non locutus est: nihil « dixit », sed sermocinando quaesivit locutionem.

Dicimus secundo, quod veritas iudicii quae hic directe intelligenda venit, non est illa veritas quae *continetur in iudicio*, sed veritas quae *continet iudicium*, i. e. notitia quae idipsum iudicium habet ut obiectum, veritas ipsius intimae mentis in qua iudicium formaliter continetur et mensuratur; siquidem omnis qui novit, novit se nosse. Haec nostra principalis subiectiva veritas est proprium obiectum locutionis.

Loquitur quippe — et veraciter quidem loqui valet — etiam ille qui non habet verum iudicium. Non enim ille solus veraciter loquitur qui affirmat vel negat illud de quo certus est quod est vel non est; sed ille etiam qui respondet « Nescio », dum nescit, et « Dubito », dum dubitat, et « Opinor », dum opinatur. Haec principalis veritas circa proprium intellectum integra permanet in homine, sive iudicium ipsum sit verum (ideoque « habeatur », seu approprietur intellectui), sive iudicium sit dubium vel ut falsum consideratum (ideoque nondum appropriatum, vel repulsum ab eodem intellectu). Haec principalis et quadantenus absoluta veritas conscientiae ipsa est quam locutio primario et directe reproducere profitetur in audiente. Ceterae veritates, etiamsi directe intendatur earum communicatio, secundario tantum, et mediante veritate mentis intima traduntur, necnon per accidens in locutione producuntur.

87. Ex hoc ergo suo proprio obiecto materiali veritas locutionis habet rationem *sinceritatis*, i. e. subiectivae ve-

ritatis, etiam quando ea quae dicuntur ad loquentem personam non pertinent.

« Quod aliquis manifestat *quod circa ipsum est,* pertinet quidem ad virtutem veritatis sicut *per se intentum* » [220]. « Manifestatio, quam diximus esse actum veritatis, est ad alterum, in quantum scilicet ea quae *circa ipsum* sunt, unus homo alteri manifestat » [221]. « Veritas autem doctrinae consistit in quadam manifestatione verorum de quibus est scientia. Unde nec ista veritas directe pertinet ad hanc virtutem: sed solum veritas qua aliquis et vita et sermone talem se demonstrat qualis est, et non alia quam circa ipsum sint, nec maiora nec minora. Verumtamen quia vera scibilia, in quantum sunt *a nobis cognita,* circa nos sunt, et *ad nos pertinent,* secundum hoc veritas doctrinae potest ad hanc virtutem pertinere, et quaecumque alia veritas qua quis manifestat verbo vel facto quod cognoscit » [222].

Illud ergo quod S. Thomas notat de divino testimonio verum est de omni testimonio seu locutione, scilicet, quod « divinum testimonium, sicut et cognitio, primo et principaliter est de seipso, et consequenter de aliis ... Unde fides est principaliter de Deo, consequenter de aliis » [223].

Iuvaret hic conferre integrum commentarium Caietani in supracitatos textus S. Thomae. Conclusionem saltem attendamus:

« Unde ex hoc ipso quod veritatis virtus manifestat hominem qualis est et nihil aliud, sequitur, non quod cetera non manifestet, sed quod cetera non manifestet nisi secundum quod sunt in homine. Verbi gratia, si sunt in homine ut opinata, non dicit ea ut certa: et sic de aliis. Opposita autem vitia aliter quam in significante sint proferunt quae dicunt: ut patet de mendacibus etc. Omne ergo ab homine quomodolibet cognitum vel imaginatum potest per veritatis virtutem manifestari, sed nonnisi secundum quod est apud significantem » [224].

Eadem conclusio ex opposita parte (ad discriminatio-

---

[220] *Sum. theol.*, 2a 2ae, q. 109, a. 2, ad 2m.
[221] Ibid., a. 3. — [222] Ibid., a. 3, ad 3m.
[223] *De veritate,* q. 14, a. 8, ad 2m.
[224] *Comment. in* 2am 2ae, q. 109, a. 3, ad 3m.

nem mendacii magis attinente) respicitur a Lugo, dum ostendit quod nisi habeatur communicatio veritatis uti subiectivae, locutio non exercetur:

« In primis ergo notandum, de essentia locutionis non solum esse quod per illam qui loquitur aperiat audienti rem dictam, sed etiam quod obiter manifestet conceptum internum quem habet de illo obiecto. Probatur, quia plures sunt causae naturales, quae in nobis generant notitiam alicuius obiecti, et tamen non ideo loquuntur nobis proprie, sed solum metaphorice, sicut caeli dicuntur loqui, et narrant gloriam Dei. Item ... Deus potest sine concursu obiecti concurrere cum meo intellectu ad cognitionem aliquam ...; et tamen non loquitur Deus proprie ... quia nimirum non ordinatur illa cognitio ad manifestandum obiectum prout in intellectu loquentis, sed obiectum secundum se.

« Dixi 'non ordinatur', quia licet ex cognitione alicuius obiecti possim arguitive colligere illud esse in mente divina, non sufficit ut dicatur Deus loqui: alioquin Deus loquitur mihi quaecumque evidenter cognosco; nam eo ipso possum colligere illa obiecta esse in mente divina. Requiritur ergo ad locutionem quod ordinetur per se et immediate ad̄ manifestandam alicui mentem loquentis ... Unde obiter infero revelationem latius patere quam locutionem Dei ...; dicimus tamen communiter revelationem esse obiectum formale fidei, quia loquimur de revelatione non in tota sua latitudine, sed prout convertitur cum testificatione » [225].

I. *De universali mendacii fallacia.*

88. Error igitur particularis primario causatus a mendacio prout fallaciâ constituitur, est error circa loquentis conscientiam de proprio suo iudicio, seu de « mente », de « animo » proprio. In hoc per se et sine ulla exceptione fallitur victima fallacis locutionis. Patet ergo iam a primo gressu analysis mendacii quod respectus obiectivus ultimus et subiectivus pariter ultimus locutionis in constitutione rationis mendacii coniunguntur: obiectivus error productus in audiente respicit loquentis subiectivam conscientiam.

---

[225] Lugo, *De virt. fidei*, d. 1, s. 10, n. 197.

Ratio autem huius erroris per se profluentis ex fallacia mendacii non mutatur in se per momentum intrinsecum vel extrinsecum iudicii circa quod consequenter seu mediate erratur; iste error secundarius per accidens se habet respectu fallaciae intrinsecae locutionis. Unde distinctio mendacii in perniciosum, officiosum et iocosum non assignat species proprie dictas mendacii, sed accessorias eius varietates; siquidem mendacium a talibus differentiis nec determinatur nec immutatur in seipso, sive essentialiter sive accidentaliter, sed unice voluntas mentientis, seu actus moralis complete sumptus, qui mentiosus erit ex sua essentia, et accidentaliter nocivus, etc.

Differentiae intrinsecae mendacii, tum essentiales tum accidentales, produntur ex consideratione falsi quod dicitur, et illius qui hoc dicit, et illius ad quem dicit, necnon circumstantiarum ipsius dictionis; et exinde differentiam accipient mendacium e. g. pueri ad parentes, et vice versa parentum ad pueros, condiscipulorum, concivium, hostium inter se, periurium, mendacium parvum, magnum, etc.

89. Ex hac determinatione proprii erroris particularis quod in mendacio profertur, quaestio quae vere « perennis » dici potest in tractationibus de mendacio solutionem recipit, ubi nempe explicatur quod « non omnis qui falsum dicit mentitur, si credit aut opinatur verum esse quod dicit »[226]. Genuina explicatio solutionis non ita frequenter datur. Non enim sufficit recurrere ad generale principium de voluntario, scilicet quod voluntariae actiones « speciem suam accipiunt ab obiecto, non prout est a parte rei, sed prout est apprehensum et voluntati ab intellectu propositum », et consequenter distinguere falsitatem formalem a materiali, secundum quod illa est *secundum intentionem*, haec autem praeter intentionem[227],

---

[226] *De mend.*, n. 4. — Cfr. *sermonem* CLXXX, n. 2; CXXXIII, n. 3 s.

[227] Cfr. *Sum. theol.*, 2a 2ae, q. 110, a. 1. — LAYMANN, *Theol. mor.*, I, lib. IV, tr. 3, c. 13, n. 2.

sicut distingui solet formale a materiali in omni actu ignoranter commisso [228].

Haec non est S. Augustini responsio, qui quidem ad propositum non loquitur de intentione, sed de *animo*. Non dicit veritatem locutionis universaliter inveniri secundum intentionem tantum, sed distinguit partem formalem, seu « animi sententiam » a parte materiali seu « reali » veritatis vel falsitatis in loquendo; parti materiali locutionis sufficit veritas sua relativa, seu secundum intentionem; unde defectus locutionis in hac sua parte materiali non mutat propriam ipsius rationem:

« Quapropter ille mentitur, qui aliud habet *in animo*, et aliud verbis vel quibuslibet significationibus enuntiat... Ex quo fit ut possit falsum dicere non mentiens, *si putat ita esse* ut dicit, quamvis non ita sit; et ut possit verum dicere mentiens, *si putat falsum esse* et pro vero enuntiat, quamvis revera ita sit ut enuntiat. *Ex animi enim sui sententia*, non ex rerum ipsarum veritate vel falsitate mentiens aut non mentiens iudicandus est... Culpa mentientis est *in enuntiando animo suo* fallendi cupiditas » [229].

Non igitur sufficit distinguere materiale et formale obiectum intentionis voluntariae, sicut in eo qui *demonstrare* verum intendens, ex errore demonstraret falsum. Sed oportet distinguere obiectum *primarium* et *secunda-*

---

[228] Haec generalior solutio ex intentione non ineleganter proponitur e. g. a Simone Tornacensi:

« Veritas duplex est et falsitas quoque: veritas unde verus et veritas unde verax; et falsitas unde falsus et falsitas unde fallax... Est enim falsitas et veritas circa compositionem predicati ad subiectum...: veritas, ut quando dicitur esse quod est, vel non esse quod non est; falsitas vero, quando dicitur non esse quod est, vel esse quod non est. Hac veritate vel falsitate dicitur aliquis verus vel falsus. Est alia veritas et falsitas quae consistit circa intentionem: veritas, ut cum quis ita credit esse ut dicit, sive ita sit sive non; falsitas vero, cum quis non ita credit esse ut dicit, sive ita sit sive non. Hac veritate vel falsitate aliquis dicitur verax vel fallax iudicio Christi ». J. Warichez, *Les Disputationes de Simon de Tournai*, Louvain, 1932, p. 117, disp. 39, sol. 2, et p. 194, disp. 49, sol. 2.

[229] *De mend.*, n. 4. — Cfr. *sermonem* CXXXIII, n. 4.

rium (utrumque formale) intentionis mendacis: primarium, scilicet animi sententia, status animi circa sententiam enuntiatam, veritas formaliter conscia, quam absolute contradicit mendacium in ipsa sua obiectivitate fallaciae; secundarium autem obiectum, i. e. res ipsa distincta ab animo, circa quam ut plurimum versatur enuntiatio proprii animi, veritas intrinseca et propria ipsius sententiae quae ut certa profertur, quaeque accessorie tantum contradicitur in mendacio, immo et non existere potest in mendacio, e. g. quando quis non certitudinaliter seu obiective enuntiat, sed limitat enuntiationem suam ad asserendam propriam suam opinionem aut certitudinem de aliqua re, nihil interim pronuntians de re ipsa, aut sensum internum, e. g. doloris, etc.

Haec loquentis conscientia circa proprium intellectum est illud quod directe et absolute expectatur a loquente qua tali ex veraci locutione. Cetera ex locutione noscuntur *per inductionem* audientis; sicut audiens ex sua cognitione peritiae loquentis inducere potest utrum res asserta se habeat in re prout affirmatur a veraci loquente.

Curare quidem de veritate absoluta huius quod profertur non proprie pertinet ad rationem intrinsecae veracitatis locutionis, sed ad generaliorem rationem prudentiae, quae prohibet nempe ne *temere* iudicia efformemus aut eadem proferamus.

90. *Corollarium. — Distinctiones de fallacia.*

Ne vero distinctiones « materialis » et « formalis », « obiectivi » et « subiectivi », etc., indiscriminatim adhibeantur [230], cum periculo confusionum, et vitetur ambiguitas expressionis « vera fallacia », etc., sequentes distinctiones strictius applicandae proponuntur:

Fallacia *formalis* est fallacia intentionis moralis in

[230] Cfr. J. VERNHES, « Le mensonge, sa nature et sa malice intrinsèque », in *Revue Apologétique*, 64 (1936) pp. 404 s.

illo qui fallere intendit saltem secundum quod vult locutionem quae fallere nata est; vult actum fallendi, seu causam falsae notitiae.

Fallacia *finalis* est fallacia intentionis moralis actu terminatae ad ipsum fructum fallaciae; non solum vult actum fallacem, sed ut proximus reapse fallatur.

Fallacia *materialis* est falsitas sententiae dum consideratur abstrahendo ab ipsius assertione in conversando; haec falsitas se habet ut dispositivum intrinsecum fallaciae.

Fallacia autem sive formalis sive finalis sive materialis uniformiter distinguuntur in obiectivam et subiectivam.

Fallacia *obiectiva* est illa in qua sententia est *realiter* falsa.

Fallacia *subiectiva* est illa in qua sententia *non* est realiter falsa, sed existimatur talis a loquente.

Fallacia tandem formalis obiectiva distingui potest in *effectivam* et in mere *virtualem*, secundum quod efficaciter vel inefficaciter profertur, i. e. succedit vel non succedit in fallendo, prout audiens credit vel discredit loquenti.

Expedita tandem quaestione a difficultatibus in eius exordio congestis, properare licet ad intrinseca ipsius momenta commodius perspicienda.

(*Continuabitur*)

M. Ledrus, S. I.

DE INGRESSU SEMINARISTAE IN RELIGIONEM

Em.mus Card. La Puma, Praefectus S. Congr. de Religiosis, commentarium de decreto *Consiliis initis*, d. 25 iul. 1941 [1] in periodico *Commentarium pro Religiosis*, XXIII, 1942, 226 ss., scribere dignatus est. Etsi annotationes Em.mi scriptoris doctrinalem, non authenticam interpretationem praebeant, quanti sint faciendae ad mentem legislatoris cognoscendam, cum propter auctoris scientiam, tum ob Eius eximium officium, nemo non videt. Quare perutile nostris lectoribus erit scire in quibusnam nostri commentarii [2] ab illis confirmentur vel corrigantur.

1. Em.mus commentator nos docet documentum illud non esse « generale decretum », ad normam Motus proprii *Cum iuris canonici*, d. 15 sept. 1917, aestimandum. Etenim non in plenariis Consiliis, sed « ex simplicibus consiliis initis inter SS. Congregationes » latum ac sine approbatione Summi Pontificis in forma specifica editum fuit. Praeterea non constituit novum impedimentum ingressus in religionem vel in seminarium nec veniam S. Congregationis proprie exigit. Tandem si inter se conferantur documenta S. Sedis quae *instructionis* vel *decreti* titulo muniuntur, apparet illa minus ex nomine quam ex sua intrinseca natura esse aestimanda.

Simplex vox: decretum, adiectivo modo sumi potest et tunc indicat quidnam S. Congregatio faciendum statuerit seu « decreverit ». Scite afferuntur exempla satis recentium instructionum quae legis observationem, quaedam nova praescribendo, munierunt, Hoc ultimum est satis notatu dignum et iam a Michiels, *Normae generales*, I, p. 126 docebatur.

2. Abfuit prorsus a SS. Congregationibus mens et voluntas concedendi Ordinariis, vel *indirecte*, novam facul-

[1] *Per.*, XXXI, 1942, 73.
[2] *Per.*, ibid., 74 ss. (P. Creusen); 242 ss. (P. Lopez).

tatem sese opponendi, praeter quam in casibus in Codice expressis, libero seminaristarum in religionem ingressui (p. 228). Confirmatur sic noster n. 3.

3. Verbum: « familia religiosa » ad Societates quae imitantur vitam religiosam nullo modo extendendum est (p. 232). Ergo valent plene argumenta quae in n. 5 afferebamus et respuitur ulla intentio dandi decreto interpretationem extensivam, contra ac timebamus.

4. Valde iuvat notare Em.mum Praefectum S. Congr. de Religiosis omnino excludere ab applicatione decreti iuvenes qui in « scholis apostolicis », « parvis iunioratibus », « parvis novitiatibus » ad probabilem admissionem in religionem praeparantur (cfr. nostrum n. 6). Quare de eorum admissione in seminarium, si ex illis collegiis egressi fuerint, non est consulenda S. C. de Seminariis et studiorum Universitatibus. Illi enim iuvenes ad religionem nullo titulo pertinent.

5. Familiae religiosae aliquis ascribitur admissione *ad novitiatum* (p. 234). Quare Superior, si de idoneitate candidati moraliter certus fuerit, eum ad postulatum admittere potest antequam responsum S. Congregationis ad ipsum pervenerit (cfr. nostrum n. 6).

6. P. Lopez fusius ostendere conatus est eum qui a seminario in religionem *transit* non esse inter eos qui e seminario *egressi* admissionem in religionem postulent computandum (*Per.*, 1942, 244). Haec sententia [3] in *Comm.*

---

[3] Haec S. Congregatio, mature perpenso dubio circa applicationem Decreti S. Congregationis de Religiosis et Seminariorum diei 25 Iulii 1941, rescribendum censuit prout rescribit: « Decretum non respicere eos qui e seminario vel collegio exeant ad amplectendam vitam perfectionis religiosae in aliquo Instituto Religioso de quibus satis provisum est in can. 544 § 3 ». SS.mus Dominus noster supradictam responsionem approbavit in Audientia habita ab Em.mo Cardinali Praefecto die 11 Maii 1942.

Haec a me communicanda erant cum Paternitate tua, cui interim omnia fausta adprecor a Domino. Paternitati Tuae add.mus in Christo.

Fr. I. H. Pasetto, Secr.

pro Rel., 235, plane confirmatur. Immo « S. Congregatio de Rel., re mature perpensa, d. 25 iunii anni 1942, Procuratori generali super hac re interroganti, authentice rescripsit: « decretum non respicere eos qui e seminario vel collegio exeant ad amplectendam vitam perfectionis religiosae in aliquo Instituto religioso de quibus satis provisum est in c. 544, § 3) ».

Immo Em.mus scriptor monet S. Congregationem non extendere decretum ad illos qui vere e seminario egressi sunt, quando in religionem ad gradum fratris coadiutoris admitti petunt. Haec praxis minus e textu, quam e fine et mente decreti, ut patet, deduci potest.

Non dubitandum est omnes Superiores religiosos Em.mo Cardinali gratissimos fore pro hoc commentario, qui libertatem ingressus in religionem tam praeclare confirmat.

Ios. Creusen, S. I.

IN QUIBUS ADIUNCTIS LICEAT LEGERE « CORANUM »

Antequam nostram sententiam circa modum servandum in lectione Corani proferamus, iuvat eius ideas summatim perstringere. Multa inveniuntur in Corano, quae desumpta sunt cum ex christianismo et iudaismo tum ex mediis paganis anteislamicis, quaeque adeo inter se permixta sunt, ut aegre in systema reduci possint. Ad dogma quod attinet, quaedam « theses » maiori emphasi a Corano proponuntur. Imprimis unicitas et transcendentia divina, quae quidem etiam contra christianos acerrime propugnantur. Deus tamen exhibetur praeditus attributis quibusdam, ut visu, auditu, loquela, quae saepe anthropomorphismo ansam praebuerunt.

Praeterea Deus est creator mundi: « omnia a Deo procedunt et ad Deum revertentur ». « Deus creavit hominem et omnia, quae ipse facit ». Inde quodammodo eruitur ille qui « fatalismus » islamicus appellatus est. Verum non desunt loca coranica, ubi responsabilitas humana diserte proferatur, praeter multa alia, quae illam supponunt, quatenus hominem in vita futura retributionem propter sua opera accepturum asserunt, eundemque ad praecepta moralia adimplenda vehementer hortantur.

Ulterius asserit Coranus exsistentiam entium suprasensibilium, angelorum, quorum quidam munera certa habent, ut Gabriel, qui transmissor revelationum est, daemoniorum et sic dictorum « ginn », qui inter homines et angelos medii stant.

Tertium dogma coranicum efficiunt libri revelati, sc. Tora mosaica — fortasse integrum V. T. — Evangelia et Coranus ipse, qui alios libros revelatos corroborat. Quasdam tamen priores revelationes abrogat forte Coranus, siquidem asserit christianos et iudaeos proprios libros revelatos alterasse.

Aliud caput doctrinae coranicae versatur circa legatos

divinos, quos Deus ad singulos populos miserit, ut illis primigeniam revelationem in mentem revocaret. Inter hos Coranus plures prophetas vel personas biblicas recenset, praesertim *'Isā* (Iesum). Seriem autem prophetarum ipse Mahometus claudit et veluti sigillat.

Tandem iuxta Coranum credendum est in « vitam futuram », id est in paradisum et infernum, ubi, post resurrectionem et iudicium universale singuli homines secundum propria opera retributionem accipient. Quae quidem, vel praemiorum vel poenae, mere materialis erit, cum in Corano nulla ratio de visione Dei beatifica habeatur. Descriptiones autem eschatologicae phantasticis coloribus exprimuntur.

Ethica coranica indolem exhibet « voluntaristicam »: Deus est dominus absolutus, qui pro lubitu salvare vel damnare potest, ideoque relationes hominum ad Deum in una obedientia continentur; amor e contra ideologiae coranicae minus consonus videtur. Praecepta autem coranica versantur imprimis circa actiones externas, quin tamen excludantur verae virtutes ut veracitas, amor proximi, misericordia etc. Immo, commendatur spiritus fidei in operibus exsequendis.

En igitur praecepta, quae a Corano ponuntur: 1) Professio fidei: « Non est divinitas praeter Allāh (Deum), Mahometus autem est eius legatus ». 2) Oratio ritualis, statutis temporibus exsequenda. 3) Eleemosyna, seu vectigal, quod in operibus beneficentiae expendi debet. 4) Ieiunium per mensem integrum. 5) Peregrinatio Mekkam, semel in vita peragenda, modo adsit capacitas physica et oeconomica.

Praeterea Coranus permittit polygamiam, quadam tamen restrictione relate ad usum praeislamicum, ita ut in dies, tanquam sequela principii coranici, tendentia in monogamiam augeatur. Alii usus anteislamici a Corano servati sunt, ut servitus, talio etc., quadam tamen mitigatione modificati.

Quibus praemissis, duo capita consideranda sunt agenti de liceitate legendi Coranum, sc. eius negatio quorumdam dogmatum catholicorum et quaedam sensualitas in praemiis futuris describendis.

Ad primum quod attinet, Coranus aperte negat dogmata Trinitatis et Incarnationis. Sic in sura 4, 169 legitur: « Credite in Deum et in suos missos. Ne dicatis dari tres [deos]. Sinite hoc ... Vere Allāh est unus Deus ». — « Revera sunt impii qui dicunt: 'Deus est tertius inter tres' » (5, 77). — « Qui Deo filium tribuunt, aliquid monstruosum asserunt ». (19, 91). — Non est mirum Mahometum dogma trinitarium tam vehementer impetere christianosque ut polytheistas habere, qui et doctrinam suam e fontibus minus genuinis hausit — ita ut Mariam in ipsam Trinitatem induceret — et praeterea mentalitate sua primitiva conceptum cuiusvis generationis non carnalis plene refugit.

Consequenter Coranus etiam Incarnationem reicit. *'Isā* (Iesus) est quidem magnus propheta, sed nec est filius Dei, nec vere ipse, sed alius eius loco crucifixus est. Praeterea Coranus nec Christi resurrectionem nec eius munus iudicis in fine mundi admittit. Tandem a Corano ideae peccati originalis et mediationis apud Deum exsulant.

Alterum caput supra nominatum, scilicet sensualitas in praemiis aeternis proponendis, pietati christianae semper scandalo fuit atque acerbissimis invectivis ansam praebuit. Quin haereamus in eschatologia coranica describenda, cuius interdum in Sacra Scriptura similes imagines occurrunt, innuemus tantum id quod vere menti christianae obsistit, nempe sic dictas « *hûr* », quae quidem sunt « adulescentulae modestae aspectu, aequales aetate beatis (38, 52), virgines magnis oculis nigris, [pulcrae] ut ova struthionis praeservata [a pulvere], pectore turgido (78, 33), consulto a Deo creatae, intemeratae » (56, 31-35), ad electos destinatae. — Adsunt et alia elementa descriptiva, quae tamen ambitum communium metaphorarum non exorbitant.

His dictis, en quae nobis proferenda videntur:

1) Coranus non habetur inter libros *nominatim* prohibitos.

2) Pertinet tamen ad categoriam librorum canone 1399 § 6 prohibitorum, nam impugnat aperte — utique ex indocto studio monotheismi inculcandi — dogmata Trinitatis et Incarnationis; deinde eius tendentia antichristiana est, non tamen antireligiosa, immo abundat locis vere pietatem in Deum redolentibus.

3) Non cadit sub prohibitionem eiusdem canonis 1399 § 9, siquidem res lascivas vel obscenas « data opera » non agit. Loca supra relata non commendant lasciviam nec ad illam per se incitant; proponunt solummodo voluptatem sensus ut vitae honestae ac religiosae retributionem. Quaedam particularia, non valde frequentia, quibus pulchritudo foeminina describitur, non habent intentum « pornographicum », sed simplici et rudi « mentalitati » primitivae tribuenda sunt.

Inde putamus lectionem Corani:

a) nocere iuvenibus inexpertis, immo et cuilibet sufficienti instructione religiosa carenti. Cupiditas aūtem sciendi apud huiusmodi personas non sufficit ad lectionem Corani iustificandam, siquidem huic cupiditati satisfieri potest ope alicuius « Introductionis » catholicae in Coranum vel alicuius probae expositionis religionis islamicae;

b) iuvare studentes Theologiae, immo et excultos laicos maturo iudicio praeditos, qui rationabiliter cupiant vel debeant studio comparativo religionum incumbere;

c) suadendam esse missionariis inter mahumetanos degentibus ac cuilibet, ad eorum bonum spirituale promovendum practice cooperari cupienti.

d) verum in omni casu praesupponenda est solida instructio religiosa et, quantum fieri poterit, cognitio praevia alicuius bonae Introductionis in Coranum;

e) iuvenibus non videtur permittenda lectio Corani,

nisi commendatione confessarii vel scientis et probi magistri praediti sint.

N. B. — Exstant versiones Corani in pluribus linguis, v. gr. latina Marracci, quae tamen parum tractabilis est. Italice commendari potest manualis illa Bonelli, apud « Manuali Hoepli » edita. Generatim versiones philologice non omnino satisfaciunt.

Ut Introductiones merito laudari possunt caput, quod habetur de Corano, in opere R. P. H. Lammens S. I., *l'Islam;* articulus « Coran » in *Dict. de Théol. Cath.*, III, 2, coll. 1771-1844; in genere Guidi, M., *Storia della religione dell'Islam,* in *Storia delle religioni,* a P. Tacchi Venturi S. I. edita, vol. II, Torino 1939.

His addi posset delectus quidam coranicus a mahumetano editus, ubi multa utilia breviter collecta missionarii invenient, quae tamen non semper ad amussim translata sunt; immo ideae propriae auctoris saepius sunt reiciendae. Nomen habet *La sagesse coranique,* auctore Mahmoud Mohtar-Katirjoglou.

S. Lator S. I.

DE PERFECTIONE SACERDOTALI EIUSQUE FUNDAMENTO

Introductio

1. Postquam de dignitate et muneribus sacerdotii catholici egit, sic Pius XI tractationem aggreditur de sanctitate morum qua fulgere sacerdotes tenentur: « *Perspicuum tamen est eiusmodi dignitatem in iis omnibus qui eadem insigniti sunt, illam excelsitatem mentis, animi munditiam, morumque integritatem postulare, quae sacerdotalis muneris maiestati sanctitatique respondeant. Hoc, ut diximus, sacerdotem constituit Deum inter hominesque conciliatorem, ex illius nempe persona ac mandato, qui est* » « *unus mediator Dei et hominis, homo Christus Iesus* ». (1 Tim. II, 5).

Eum igitur oportet ad eius perfectionem propius pro facultate accedere, cuius partes gerit »[1].

Ex quibus verbis duo, ut videtur concludi possunt. 1° Fundamentum exigentiae perfectionis personalis ad quam tenentur sacerdotes, est dignitas et sanctitas ipsius muneris sacerdotalis, quod sacerdotem constituit, ex persona ac mandato D. N. Jesu Christi, conciliatorem inter Deum et homines. 2° Perfectio sacerdotalis in eo est reponenda ut sacerdos propius imitetur moralem perfectionem, D. N. Jesu Christi, cuius est minister et instrumentum.

Ecce duas veluti propositiones in quibus doctrina de perfectione sacerdotali vere continetur. Nos, in praesenti articulo, de prima agere intendimus.

Ad quam propositionem exponendam et demonstrandam, nobis utile videtur per gressus sic procedere: 1°

---

[1] « Pius XI, « Ad catholici Sacerdotii » (*A.A.S.* XXVII (1936) pg. 20).

De sacerdotio D. N. Jesu Christi, nostri sacerdotii exemplari. 2° De charactere sacerdotali quatenus Christo Jesu sacerdotem configurat et eum Deo « *sanctum* » facit. 3° De exigentia moralis perfectionis quae inde derivatur.

§ 1. *De sacerdotio D. N. Jesu Christi.*

2. Teste S. Paulo (Hebr. V, 1) « *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* ».

Unde *S. Thomas* ait: « proprie officium sacerdotis est esse mediatorem inter Deum et populum; in quantum divina populo tradit, ... et in quantum preces populi Deo offert, et pro eorum peccatis Deo aliqualiter satisfacit. Hoc autem maxime convenit Christo: nam per illum divina bona hominibus sunt collata, secundum illud 2 Petri, 1.: *Per quem* scilicet Christum, maxima et pretiosa nobis *promissa donavit, ut per hoc efficiamini divinae consortes naturae* »: ipse enim humanum genus Deo reconciliavit, secundum illud Coloss. 1, 19: « *In ipso, complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliari omnia* »[2].

Non solum Christus sacerdos, sed simul hostia perfectissima proprii sacrificii « dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis ». (Eph. V, 2).

Sacerdos autem non per hominum electionem sed ex Dei voluntate: « *Christus*, ait S. Paulus, *non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum « Filius meus es tu, ego hodie genui te ». Quemadmodum*

---

[2] III p. q. 22, a. 5. Cfr. THOMASSINUS, Dogmata theologica, De Incarnatione Verbi, (Vivis, 1886, tom. IV, pg. 309) *Salmanticen*, Curs. theol. De Incarnatione. disp. XXXI, cap. IV. *Franzelin*, De Verbo Incarnato, Thesis 48. *Héris*. O. P. Le Mystère du Christ, trad. italiana Il mistero di Cristo. (Morcelliana, 1938) parte I, Cap. 4.

et in alio loco dicit. Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech » (Hebr. V, 5-6); quibus verbis S. Paulus nobis manifestat, praeterea, quaenam sit intima natura sacerdotii D. N.[3]. Sacerdos est, quia verus homo cum sit, verus etiam Deus est, et, per unionem hypostaticam naturae humanae et divinae in persona Verbi, Jesus « unctus », consecratus est Deo, ut in aeternum, Deum glorificet, et pro hominibus intercedat.

3. Ergo in ipsa Incarnatione Iesus constitutus est sacerdos quia in ea humanitas D. N. consecrata est in aeternum ad Deo cultum debitum tribuendum; quapropter, sicut Unio hypostatica indissolubilis et immutabilis est, sic Christus-Homo essentialiter et perenniter est sacerdos. Non enim sacerdos erat tantum dum in Cruce se offerebat, sed inde a primo vitae momento, et in omnibus vitae suae gressibus, sacerdos erat, et, ut ita dicam, *sacerdotaliter* vivevat et agebat, sicut et nunc, sacerdotium exercet in caelo et in Eucharistia. Ingrediens mundum, ait Paulus, dicit (Christus) « *Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, holocautomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi: ecce venio: in capite libri scriptum est de me ut faciam, Deus, voluntatem tuam* » (Hebr. X, 4-7). Quod ad initium sacerdotii Christi est referendum. Et quia semper et in aeternum Jesus sacerdotii fungitur munere, S. Paulus iterum dicit: « *Et alii* (Sacerdotes V. T.) *plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem, eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium; unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum semper vivens ad interpellandum pro nobis* ». (Hebr. VII, 23-25).

4. Intime cum sacerdotio D. N. Jesu Christi cohaerent munera Regis et Prophetae veritatis quae Ipsi sunt propria. Quamvis functiones diversas appellent, idem habent

---

[3] *Mura*, Le Corps mystique du Christ, vol. II Chap. III.

principium; unionem scilicet hypostaticam quae Jesum unxit Pontificem maximum atque simul constituit eum et Humanitatis Prophetam et Doctorem, Regem universae creationis[4] et Caput Regni Dei quod acquisivit Sanguine suo, oblatione in ara crucis peracta[5]. Quod regnum dilatandum est per Veritatis revelationem: « *Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati* » (Joan. 18, 37).

Christus igitur Redemptor et Mediator universalis, missus a Patre ut viam ad vitam aeternam hominibus sterneret. Munus suum implet, per officium Sacerdotis ad nostram per gratiam sanctificationem; per officium Magistri ad mentes illuminandas et Fidem, quae est sanctificationis fundamentum (Hebr. 11, 1) gignendam; per regiam potestatem, ad homines suavissimo iugo suo, subiciendos.

Haec tamen officia inter se tam intime cohaerent ut non solum separari non possint in persona D. N. Jesu Christi, sed ita simul mutuo compleantur ad Redemptionis opus absolvendum.

5. — Si nunc relationem considerare velimus inter perfectionem moralem D. N. Jesu Christi et perfectionem ontologicam ipsius, nexus clare patet. Jesum per ipsam Unionem hypostaticam non solum fuisse ontologice sanctificatum, sed et in ordine morali evectum ad summam perfectionem, iuxta exigentias ipsius Unionis, doctrina est certa[6]: Gratia Unionis constituit tum titulum exigitivum impeccabilitatis et plenae sanctitatis, tum fontem ipsius.

6. Ad nostram vero causam, magis facit considerare *nexum* inter munera Christi et sanctitatem moralem Ipsius.

Jam vero ex una parte Munera exhibentur ut fontes gratiae et sanctitatis, ex alia vero parte nobis *apparent*

---

[4] Cf. Pius XI, Encl. « Quas primas » 11 dec. 1925 (*A.A.S.* XVII, pg. 593).

[5] Cf. *Heris*, Q. c. p. s. Cap. 5.

[6] Cf. S. Th. III p. q. 7. *Heris*. o. c. p. I. Cap. 2. *Pesch*. De Verbo Inc. Sec. 6 art. 3 et 4.

ut *titulus exigitivus ipsius sanctitatis moralis*: « *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior caelis factus ... Lex* (V. T.) *enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes*: *sermo autem iusiurandi* (Verbum Dei constituens Jesum sacerdotem) *qui post legem est, Filium in aeternum perfectum* » (Hebr. VII, 26). Ubi clare perfectio moralis proponitur ut necessaria ad munus sacerdotale Pontificis N. Testamenti.

Quia est sacerdos et mediator N. T., ideo debet esse sanctus et in aeternum perfectus.

Jesus exhibet se a Patre missum, ad veritatem hominibus tradendam. Ideo Ipse, in oppositione ad pharisaeos qui « *de mundo* » et « ex patre diabolo » sunt, qui « dicunt et non faciunt», non est de mundo, argui de peccato non potest, semper facit quae placita sunt Patri. « *Sicut docuit me Pater haec loquor, et qui me misit mecum est et non reliquit me solum, quia ego quae placita sunt ei facio semper* » (Joan. VIII, 28 seq.).

Et requidem vera, nexus inter munera Christi et moralem perfectionem, clare deducitur, sive respectus ad Deum sive ad homines consideretur. Ad Deum, nam Jesus est intercessor pro humanitate, peccato Adami a Deo aversa; ergo et Deo amicus et bene acceptus sit oportet. Ad homines, *nam* non *mere* instituendi sunt, sed *movendi* ad vitam secundum virtutem omnibus superatis impedimentis, instituendam. Ad hoc requiritur in primis exemplar undequaque perfectum. Non casu Lucas ait: « quae coepit Jesus *facere* et docere » (Act. I, 1).

Ideo Jesus ab ingressu in mundum ad usque mortem in Cruce voluit quam maxime se ut exemplar absolutae perfectionis exhibere. Unde pleno iure de integra vita sua valent verba apud Joan. (XIII, 15) « *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum ego feci vobis ita et vos faciatis* ».

§ 2. De charactere sacerdotali.

7. Sacerdotes Novae Legis tales constitui, per receptionem Sacramenti Ordinis doctrina est catholica in Tridentino proposita [7]. Item, definitum est ab eodem Concilio, Sacramentum Ordinis characterem imprimere [8].

Quid character efficiat in anima suscipientis perspicue docet S. *R. Bellarmino*: « Character tria habet officia: aptum facere ad cultum divinum, configurare Christo, et distinguere ab aliis ». Et postquam asseruit tribus solum sacramentis characterem imprimi, explicationem proponit in 6ª propositione: Nam « in his tribus accipit homo novam potestatem; ac deputatur novo ministerio per novam consecrationem, et quemadmodum statum mutat. Nam in Baptismo transit homo a diabolo in Christum, et adscribitur in eius familiam, et accipit potestatem participandi sacramenta, aliaque bona Ecclesiae Christi. In Confirmatione adscribitur ad militiam Christi ... In sacramento Ordinis adscribitur in numero ducum, et praepositorum huius militiae, et accipit potestatem distribuendi aliis bona Domini sui » [9].

8. Iis tribus sacramentis, requidem vera, *Regale* Ecclesiae *sacerdotium*, quo omnes fideles cum ducibus suis Christo configurantur, et cum Christo in uno Corpore coadunantur, mirifice explicatur. Regale sacerdotium de quo omnes baptizati, diversa tamen potestate et gradu, participant. Omnes enim in terris, spirituales hostias offerunt, et vocati sunt, ut « *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum* » (1 Petr. II, 5-9); in coelesti autem regno, cantant

---

[7] Sess. XXIII, Cap. 1-4 (Dz. n. 957-960). Can. 1, 3. (Dz. n. 961-963).

[8] Sess. VII. Can. 9, Dz. n. 852. Cfr. *Lennerz* S. J. De Sacramentis in genere (Romae 1939) n. 282 seq.

[9] De Controversiis, Tom. III. De Sacram. in genere, Lib. 2. Cap. 19. cf. Catechismus ad parr. P. II. n. 284.

canticum novum dicentes: « *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes* » (Apoc. V, 10).

9. Attamen quamvis fideles, et ministri participent de sacerdotio Christi, solum ii qui antonomastice dicuntur sacerdotes, plene Christo configurantur, per potestatem activam offerendi Sacrificium Eucharisticum, in quo « Una (enim) eademque est hostia, idem nunc offerens, *sacerdotum ministerio,* qui se ipsum tunc in cruce obtulit » ut ait C. Trid [10]. Hanc miram potestatem per quam in offerendo Eucharistico sacrificio unus cum Christo efficitur Sacerdos, accipit omnis sacerdos per Sacram Ordinationem, quae quamdam habet similitudinem cum consecratione Christi in hypostatica Unione. Etenim ut in Unione hypostatica humanitas assumpta est a persona Verbi, sic per ordinationem sacerdotalem, ordinatus incorporatur Christo sacerdoti, ut in persona Eius agat [11]; per unionem hypostaticam humanitas Salvatoris facta est sacra, Deo dicata; in ordinatione, ordinatus suscipit indelebilem characterem per quem persona eius efficitur *sacra,* Deo dicata, ita ut vere «*Homo Dei*» (1 Tim. VI, 11) sit. Unio hypostatica est indissolubilis; character sacerdotalis est indelebilis. Unio hypostatica constituit Jesum Mediatorem inter Deum et homines cum duplici functione: pro hominibus ad Deum; et ex Deo ad homines; ordinatio similiter constituit sacerdotem: mediatorem et bonorum supernaturalium dispensatorem « Sic nos existimet homo ut *ministros Christi* et dispensatores mysteriorum Dei » (1 Cor. IV, 1) [12]. Non ergo ut Lutherus autumavit [13] vel, ut in ordine naturali contin-

---

[10] Sess. XXII, Cap. 2 (Dz. n. 940).

[11] Evidens est comparationem currere sub luce doctrinae theologicae de Unione hypostatica et sacramenti ordinis. Quare, cum pro theologis scribamus, necessarium non putamus advertere ad essentiale discrimen existens, ratione essendi, inter unionem consubstantialem et accidentalem.

Cfr. *Thils,* G. Le clergé diocésain, Desclée, 1942, pg. 48.

[12] Cf. S. Th. III. P; q. 63.

[13] *Luther*: De abroganda missa privata, p. 1. *Trid.* Sess. XXIII, Cap. 4 (Dz. n. 960) Can. 4 (Dz. 964).

gere poterat, sacerdotes constituuntur a populo ad ministerium praedicationis vel ad « *liturgiam* » in obsequium divinitatis absolvendam ut munus transiens; neque mere, ut in V. T. per externam Dei vocationem et successionem hereditariam; sed, per receptionem intrinsecae qualitatis in anima, ontologice a Deo elevati, et sigillum et imaginem Christi in se suscipientes, sacerdotes N. T., qui per baptismum oves facti sunt Christi, per ordinem, potestatem divinam accipiunt, ad hoc ut tamquam instrumenta Supremi Pastoris, Ipsi cooperentur ad opus Redemptionis, per saecula, omnibus hominibus applicandum [14].

10. In vi ergo characteris sacerdotalis, christianus, configuratur Christo «ministranti et operanti [15] quia ibi virtus multimoda datur et homo ut sanctus ad ministerium templi a laicis separatur » (l. c. q. 4).

Character, qui in genere se habet ut *potentia quaedam supernaturalis*, secundum S. Thomam [16], in Ordinis Sacramento se habet ut *potentia* « *activa* spiritualis ordinata ad sacramentorum dispensationem et aliarum sacrarum hierarchicarum actionum exercitium » [17] per quam specialiter ordinati deputantur ad hoc ut « credentibus spiritualia tradant » [18],.

De relatione inter characterem et gratiam haec habet S. Thomas: « character est causa sacramentalis gratiae ... [19]. Est dispositio ad gratiam per quamdam congruitatis dignitatem. Ex hoc enim ipso quod homo mancipatus est divinis actionibus et inter membra Christi connumeratus, fit ei quaedam congruitas ad gratiam suscipiendam; quia Deus perfecte in sacramentis homini providit; unde simul cum charactere, quo datur homini ut possit exercere spiri-

---

[14] Cf. S. Thom. in 4 d. 4 q. 1. a. 2.
[15] S. Bonav. in 4 d. 24 p. 2, a. 1 q. 2 ad 2.; q. 4.
[16] S. Thom. in 4 d. 4 q. 1, a. 1. Summa, 3 p. q. 6, a. 2.
[17] ibd. a 4 qc. 3 c.
[18] ibd. d. 7, q. 2 a. 1 qc. 1 c., Summa, 3 p. q. 63 a. 6.
[19] ibd. d. 4, q. 1. a. 1 ad 4.

tuales actiones... datur gratia qua *haec bene possit* » (ibid. ad 5).

Character hominem « sanctum » efficit, non solum quatenus hominem *disponit* ad gratiam per quam *formaliter* sanctificatur, sed praecisse, quatenus « *ordinatus mancipatur ad aliquod sacrum spirituale exercendum* » [20].

Potestas spiritualis ad quam sacerdos per characterem proprium primo et immediate mancipatur est quidem potestas Deo sacrificium facere, et sacramenta ministrare [21].

At non iis absolvitur sacerdotis munus. Sicut Christus sacerdos simul est Rex et Magister, ita voluit ut Apostoli ab eo « *missi* » iidem essent sacerdotes, magistri et duces Ecclesiae. Hoc autem pertinere non solum ad sacerdotes primi ordinis (episcopos) sed etiam ad secundi ordinis sacerdotes (presbyteros) constat ex ipso ritu ordinationis. In sacerdotis enim ordinatione duo sunt consideranda: 1° Diaconi assumptio ad munus sacerdotale; 2° Ipsa Sacramenti collatio.

11. Ut a secundo incipiamus, in ordine sacerdotali suscipiendo, homo suscipit characterem Christi sacerdotis, per quem potestas Christi ipsi communicatur ad sacerdotium ipsum D. N. in terris prosequendum. Accipit ergo potestatem specifice sacerdotalem, h. e. potestatem ad actus cultus christiani, in persona Christi ad honorem Dei complendos. Haec potestas, vere divina, hominem constituit, instrumentaliter quidem, principium et causam operationum supernaturalium, et effectuum mirabilium qui per Sacrificium impetrantur et per sacramenta operantur. Quorum valor et existentia, (exceptis ut notum est baptismo et matrimonio) supposita voluntate sese gerendi ut Christi ministrum, adeo pendet a charactere, ut sine eo, nihil sint nisi mere externi ritus, cum eo autem, idem valeant, coram Deo, ac si actiones sacerdotales ipsius Christi essent.

---

[20] ibd. q. 1, a. 4 qc. 2c.
[21] Cf. Catech. ad par. P. II. n. 284.

Ergo potestas sacerdotalis stricte loquendo prout ab ipso charactere descendit, restringitur ad solos actus cultus a Christo institutos ad Deum colendum et fideles sanctificandos. Eum constituit quidem moderatorem populi christiani, sed per se tantum in iis quae ad cultum pertinent [22].

12. Perperam tamen erraret qui propterea sacerdotem consideraret ut *individuam personam*, mira quidem virtute praeditam, sed *privatim*, et absque intima unione sociali cum omnibus Ecclesiae membris, exercenda.

Assumptio hominis ad sacerdotium actus est eminenter socialis qui, moderante Spiritu Sancto ab Ipsa Ecclesia, Christi Sponsa, perficitur. Sacerdos postea in actibus suae potestatis ponendis mediator est populi christiani qui *cum* ipso et *per* ipsum sacrificium Deo offert. Ordinis collatio, quidem, quatenus est sacramenti administratio non continet nisi divinae potestatis et gratiae elargitionem quae a Deo per ritum sacrum conferuntur.

13. Sed, *quatenus ordinandus ab Ecclesia assumitur, per actum ipsum ordinationis non tantum ad nudum potestatis sacramentalis ministerium* assumitur, sed ad universam Missionem Christi prosequendam eo ipso destinatur.

Ita revera contingere, multis Ecclesiae documentis demonstratur [23]. Sufficiat in mentem evocare ritum ipsum Ordinationis, in Pontificale Romano contentum.

Secundum ipsum, Diaconi et Presbyteri ordinatio, non personaliter a candidato sed ab Ecclesia ipsa catholica postulatur: « postulat sancta mater Ecclesia catholica, ut hos praesentes diaconos ad onus Presbyterii ordinetis » (Pont. Rom.).

In quem finem?

14. Fideles, qui per primam tonsuram « divinis ministeriis mancipati sunt » [24] et per subdiaconatum, ad per-

---

[22] *Heris*, o. c. pag. 214.

[23] Cfr. nostrum, *Sacerdotium, Apostolatus, Perfectio* (Period. 1942, pg. 294).

petuum Dei famulatum in Ecclesiae ministerio se tradunt, iam, eo ipso, personas suas integre « ministerio Ecclesiae », devovent, *ut Deo perpetuo deserviant.*

Simul vero cum potestate altari ministrandi, eis quoque maior, gradatim, conceditur participatio in aliis functionibus Ecclesiae, ut ex lectione Pontificalis R. patebit, ita ut, *quo maior est ordinis potestas, maior sit in Missione Ecclesiae participatio.*

Ubi ad sacerdotes devenitur, haec participatio est completa. « *Sacerdotem etenim,* ait Pont. Rom.[25] oportet OFFERRE, BENEDICERE, PRAEESSE, PRAEDICARE, et BAPTIZARE ». Ergo non tantum offerre, benedicere et baptizare, sed etiam *praeesse et praedicare,* quae ad munera Magisterii et reginiminis pertinent, sacerdotibus conceditur.

15. Utique, haec munera sacerdotes non obeunt independenter ab Episcopis, quibus sub Papa et cum Papa, primario commissum est universum gregem pascere; presbyteri vero sunt *secundi ordinis* sacerdotes, in *adiutorium* episcoporum electi; attamen, ita hoc adiutorii munus officii sacerdotalis est proprium ut neque Episcopis liceat a sacerdotibus omnibus praescindere, neque sacerdotibus ordinationem suscipere quin eo ipso ad hoc universale ministerium mancipati remaneant.

Introductae quidem fuerunt, medio aevo, sic dictae « ordinationes absolutae », sed hae quae a Concilio Tridentino vehementer reprobantur, et casus particulares respiciebant et alienae fuerunt ab Ecclesiae intentione[26].

16. Neque obici potest Episcopum arcere posse aliquem sacerdotem ab officiis pastoralibus, et sacerdotibus integrum esse optare officium vel statum qui componi non possint cum his muneribus.

Nam quoad primum, hoc ostendit mancipationem ad

---

[24] Cod. I. C. Can. 108 § 1.

[25] De Ordinat. Presby. « Consecrandi »...

[26] Cf. *Conc. Trid.* Sess. XXIII, cap. XVI, de Ref. *Gasparri,* De sacra ordinatione, vol. I. n. 577.

haec ministeria non pertinere ad sacerdotii essentiam, quod de ipsa Episcoporum mancipatione aliquo vero sensu etiam valet; ideo sicut Romanus Pontifex potest aliquem Episcopum arcere ab omni munere pastorali, ita Papa vel Episcopi possunt aliquem sacerdotem arcere ab officiis pastoralibus. Attamen, sicut Romanus Pontifex nequit, ex iure divino, praescindere ab Episcopis in Ecclesiae administratione et gubernatione, ita, saltem iure saeculari Ecclesiae, nec Episcopi a sacerdotibus, qui ab Ecclesia eis dantur ut olim Moysi 70 viri, in adiutorium necessario adhibendum [27].

Quoad alterum vero, haec demonstrant sacerdotes non teneri in perpetuum incumbere muneribus quibus destinantur, sicut nec tenentur semper exercere ipsam ordinis potestatem; sicut Episcopo licitum est renuntiare dioecesi [28]. At omnes sacerdotes tenentur, quantum possunt, et Romani Pontificis vel proprii Ordinarii interveniente legitima missione, muneribus pastoralibus operam dare. Ad hoc enim sunt assumpti a Matre Ecclesia in ipsa Ordinis collatione. Can. 969.

17. Si ratio intima coniunctionis inter sacerdotium ipsum et functiones ministerii verbi et regiminis petatur, nobis videtur quaerenda in ipso charactere sacerdotali. Per characterem enim sacerdos efficitur revera alter Christus, et quidem per activam assimilationem ad ipsum Sacerdotium Eius, ut supra vidimus. Iam vero, sicut Christo Domino, ob *consecrationem* sacerdotalem, competunt potestates regiminis et magisterii, tamquam partes integrantes ipsius sacerdotii [29], sic, mutatis mutandis, dicendum est de sacerdotibus omnibus. Munera enim quae in tali potestate continentur cum sacrificio D. N. intime cohaerent. In Cruce quidem operata est reconciliatio inter Deum et homines quae in Missa applicatur; sed ad hoc ut homines uberes

---

[27] *Pont. Rom.* « Vere dignum ... » D.T.C. vol. 25 col. 138 seq.
[28] Cf. *Suarez*. O. c. Cap. 16.
[29] *Heris.* Il mistero di Cristo, pg. 235.

tanti beneficii fructus colligant, disponendi sunt aperiendo intelligentias, illorum « ex auditu fidei » [30], movendi sunt animi ad cooperationem propriam praestandam; fideles, praeterea, per fidem et baptismum participes fiunt redemptionis Christi socialiter, simul evadendo membra Corporis socialis, in quo necesario requiritur ut adsint qui praesint, et, tamquam pastores, oves ad pascua ducant. Ergo sicut sacerdotes instrumenta sunt Christi ad gratiam Redemptionis communicandam, et cooperatores Eius sint iidem oportet, ad eamdem gratiam fructiferam efficiendam. Omnis enim sacerdos, vi characteris personam agit Christi sacerdotis. Ergo necesse est ut actionem suam extendat ad ea sine quibus sacrificium Christi fructus uberes, quos continet, inter homines non produceret. Ad hoc pertinet homines docere omnia quae ab ipsis ex mandato Christi servanda sunt ad vitam habendam, ad manendum in vita. Ergo, sicut ad parentes pertinent omnia quae prolis educationem respiciunt, ex ipso titulo generationis, sic ad omnes sacerdotes, quia cum Christo concurrunt ad homines regenerandos et vivificandos, pertinent omnia quae requiruntur ad hoc ut renatorum vita conservetur et perficiatur, « *in aedificationem Corporis Christi donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi* ». (Eph. IV, 12, 13).

Quae quidem primario, et potestate propria, ipso iure divino valent de supremis pastoribus, scil. Episcopis: in secundo loco vero et subordinate, ad ipsos quoque presbyteros, qui eiusdem Sacerdotii facti sunt participes, pertinere dicendum est. Factum, quod inde a primis saeculis, presbyteri ad munera pastoralia vocati sint, ostendit, quod, etsi stricte de iure divino, ipsi nonnisi ad Hierarchiam ordinis pertinent, tamen participatio eorum in Hierarchia

---

[30] *Trid.* Sess. VI. Cap. 6. Dz. n. 798.

iurisdictionis ab Ecclesia considerata est ut aliquid pertinens ad ipsam eius constitutionem [31].

18. Quae cum ita sint, merito concludere possumus:

1° Sacerdotes, qui vi characteris *potestatem* non accipiunt nisi in Corpus Christi verum, et in Corpus Mysticum solummodo in ordine ad animarum sanctificationem per administrationem sacramentorum, et sacrificii oblationem, per ipsum characterem *disponuntur* et praeparantur in *actu primo* ad hoc ut *cooperentur* cum Episcopis et Romano Pontifice ad universum regimen animarum, praesertim ad ministerium Verbi, quae medii rationem induunt relate ad ea quibus verus Deo cultus tribuitur et animarum sanctificatio promovetur.

2° Sacerdotes ita Deo consecrati, una cum ordinatione, et in ipsa ordinatione, *Missionem* genericam accipiunt ab Ecclesia relate ad munera omnia quae potestatem supponunt in Corpus Mysticum.

3° Sacerdotes ergo omnes sunt mediatores inter Deum et homines, praesertim per oblationem sacrificii Eucharistici, non tamen unice. Nam sunt quoque mediatores quatenus ab Ecclesia mittuntur ad fideles ad eos docendos et gubernandos, ut veri pastores subordinati. Quare in actu primo omnes sacerdotes aliquo vero sensu sunt etiam animarum pastores.

4° In actu secundo, seu quod ad exercitium, in sollicitudinem pastoralem vocantur sive ipso iure, cum potestate ordinaria; sive per actum personalem Pastoris Supremi, vel aliorum Pastorum quibus aliqua pars gregis est commissa.

Brevius: Sacerdotes omnes, ratione *characteris*, sanctitate pollent *consecrationis* quae superat ceterorum *consecrationem* christianorum, quatenus Jesu Christi Sacerdotii participes constituuntur; ratione autem *missionis*, participant similiter de sanctissima Jesu Missione prout ab Ipso suae Ecclesiae commissa est.

Ergo ratione *Characteris et Missionis plena gaudent supradicta sanctitate* [32].

§ 3. *De morali sanctitate quam sacerdotium exigit.*

19. Nunc quaestio est de sanctitate morum, seu de separatione ab omnibus quae cor maculant, et de unione cum Deo, per actus liberos perficienda. Hoc sensu, dicitur sanctus ille qui ab actibus suis liberis *removet* omnia quae Deo adversantur, *et* Deo per caritatem adhaeret [33].

Haec sanctitas, ut perfectio quae practice idem significat, considerari potest in duplici differentia, non quidem specifica, sed secundum gradum [34]. Prima est sanctitas *communis, essentialis,* propria omnium christianorum et omnibus necessaria. Consistit secundum S. Thomam [35], in tali adhaesione ad Deum, per caritatem, qua « ab affectu

---

[31] Cf. Encl. *Benedicti XV,* « Humani generis » 15 iun. 1917 (A.A.S. IX, pg. 305-307; et textus Pii XI, et Pii XII, a nobis in art. cit. allatos (Per. 1942, p. 204).

[32] Nota bene. Ut legenti patet, *in modo proponendi* quaestionem non sequimur *loquendi rationem* S. Thomae, q. 184, a. 8. eiusque commentatorum, ex c. Caietani (in hunc locum) Suarezii, (O. c. Lib. 1, Cap. 17 et 2 1). In quolibet sacerdote consideramus characterem et missionem, isti considerant *Ordinem, officium, statum,* et solliciti tantum de quaestione utrum sacerdotes sint in *statu* perfectionis, quamvis admittant sacerdotes ad magnam sanctitatem vocari ratione ordinis et officii, negando eos esse in statu perfectionis, in quo haec sanctitas consistat, quid postulet, non satis explicant. Nos sequendo, B. Joannem *de Avila,* eiusque discipulum Antonium *de Molina,* S. Carolum B. et scholam gallicam, qui magis secundum sensum Pontificalis Romani, doctrinam de perfectione sacerdotali proponunt, in ipsis elementis intrinsecis sacerdotii quaerimus radicem perfectionis moralis. Hoc autem iure fieri, nemo dubitabit qui perspectam habeat Encl. « Ad Catholici Sacerdotii ».

Cf. B. Juan de Avila, Obras completas (Ap. pren. Madrid, 1934). *Pourrat,* Le Sacerdoce. Doctrine de l'Ecole française (Paris, 1931).

[33] *Suarez.* De virtute et statu religionis, Pars II, Lib. 1, Cap. II, n. 12. *Heris,* Il mistero di Cristo, pg. 55 seq.

[34] *Suarez,* Ibd. Cap. II, n. 9-13. *De Guibert,* Theologia spiritualis (Roma, 1937) n. 48.

[35] S. Thomas, II, II. q. 194, a. 2.

hominis excluditur omne illud, quod *contrariatur* caritati ut est peccatum mortale ».

Secunda, quam simpliciter perfectionem christianam vocamus, adest quando « ab affectu hominis excluditur non solum illud, quod est caritati contrarium, sed etiam omne illud, *quod impedit ne affectus mentis totaliter dirigatur in Deum* » (ibid.) — Dicit ergo secundum S. Th. duo: 1° *dispositive,* talem dominium concupiscentiae ut excludat habitualiter a voluntate omnes affectus, non solum qui *adversantur* Deo, sed etiam qui *retardant* aut *distrahunt* animum a Deo; 2° *positive* dicit *totalem* adhaesionem, ad Deum, ut *in omnibus ei placere velit.* Quare ait Suarez:[36] « perfectio essentialis caritatis requirit extensionem affectus efficacem ad omnia praecepta Dei implenda; posterior perfectio consistit in extensione amoris Dei ad omnes eius voluntates implendas, etiam si non praecipiendo sed consulendo illas nobis significet, seu requirit *propositum faciendi quidquid quacumque via vel ratione nobis constiterit esse magis beneplacitum Deo* ».

20. Haec videntur essentialia ad perfectam sanctitatem vitae christianae, secundum omnes; quamquam, tum in intensitate, tum in extensione ad diversa obiecta, sine fine crescere possit, ad minimum, haec animi puritas, haec tendentia ad Deum habitualis et actualis, ad perfectionem sanctitatis requiruntur[37].

« Est quaedam perfectio caritatis ait S. Thom. pertinens ad ipsam speciem caritatis; ut scilicet Deus super omnia diligatur, (i.e.) ut nihil supra eum, contra eum, aut aequaliter ei diligatur ... est etiam alia perfectio, etiam in hac vita, ad quam aliquis per aliquod spirituale augmentum pervenit, ut puta cum homo etiam a rebus licitis abstinet, ut liberius divinis obsequiis vacet ». (II, II, q. 184

---

[36] O. cit. Cap. 4, n. 17.

[37] Cfr. *De Guibert,* o. c. n. 48, 69. *Garrigou-Lagrange,* O. P. Perfezione christiana e contemplazione, trad. del P. S. G. Nivoli, O. P. (Marietti, 1933) Cap. 3, art. 2.

a III ad 2, 3). Ad nostrum propositum magis facit ad objectum quam ad ipsam essentiam perfectionis attendere.

Non una est ratio loquendi auctorum circa obiectum perfectionis [38].

Ad nos sufficiat illam duplicem differentiam ratione obiecti, non quidem formalis sed materialis, considerare.

Obiectum enim formale idem manet in omni gradu; ipsa caritas erga Deum, quae impellit ad praeceptum Apostoli implendum: « *veritatem autem facientes in caritate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus* » (Eph. 4 16) [39].

De hac dat Christus Dominus praeceptum, omnibus: « *Estote ergo vos perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est* » (Mth. V, 48).

21. Ratione tamen obiecti materialis illa duplex differentia clare proponitur in Evangelio, in Epistolis Apostolorum et in Ecclesiae magisterio [40].

De perfectione communi, valent, quatenus sensum praeceptivum habent verba Christi, in Math. (XIX, 16) « *Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam aeternam?... Serva mandata* ». *Omnia* autem *mandata* ad duo reducuntur, dilectionis scil. Dei et proximi: « *in his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae* ». (Mh. XXII, 40).

Impedimenta quae praeceptis opponuntur sunt etiam de praecepto removenda, quavis difficultate superata: « *Qui amat patrem aut matrem plus quam me non est me dignus* »

---

[38] Cfr. *S. Juan de la Cruz*, Subida del monte Carmelo, libr. 1. Cap. 11, 12. *Suarez*, O. c. Cap. 6 seq. *Passerini*, O. P. De statibus hominum in II, II, q. 184, a. 1-9. *De Guibert*, o. c. n. 70 seq. *Garrigou-Lagrange*, O. c. Cap. 3 a. 6.

[39] Ait S. Thomas (in Ep. ad Hebr. VI, 1) « Quantum ad progressum ad perfectionem semper debet niti homo *transire* ad statum perfectum... ad perfectionem eiusmodi non omnes tenentur, sed omnes tenentur ad eam *tendere*, quia si quis nollet plus diligere Deum, non faceret quod exigit caritas » Similiter: « Quantum ad actus exteriores... non tenetur homo ad meliora sed quantum ad affectum tenetur. Unde qui non semper vellet esse melior non posset sine contemptu velle » (In Math. XIV, 12).

[40] *S. Rob. Bellarmino*, De controversiis. Lib. 2. de Monach. *Suarez;* o. c. Cap. 5, et 9 *D.T.C.* vol. 23 col. 1219 seq.

etc. (Math. X, 37) « *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et proice abs te* » (Math. V, 29 etc.).

De perfectione specifica, vel *sanctitate perfecta,* classicus est locus Evangelii apud (Math. XIX, 21) « *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo, et veni, sequere me* ».

Hanc perfectionem Ecclesia fidelibus proponit sub duplici ratione, tum in sanctis ad cultus honores evectis, tum in statu religioso. In sanctis nobis proponit exemplar summae perfectionis acquisitae; in statu religioso exemplar mediorum optimorum ad perfectionem acquirendam [41].

Ex quibus apparet quid ad sanctitatem perfectam, ex mente Ecclesiae, interpretantis Revelationem, requiratur: Requiritur ablatio omnium impedimentorum caritatis, quae oriuntur ex triplici concupiscentia, et insuper adhaesio ad Deum per integralem Christi imitationem, in qua caritas efficaciter exercetur, per amorem supernaturalem, affectivum, effectivum, crescentem [42]. Haec significare videtur S. Paulus dicens: « *donec occurramus omnes in unitatem fidei et cognitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuramu aetatis plenitudinis Christi* » [43].

22. Jam vero, doctrina catholica est Christum Jesum, *invitasse,* ad hanc perfectionem sectandam et ut media ad illam adipiscendam perquam aptissima proposuisse consilia evangelica quibus perfecta abnegatio christiana constat [44].

Aliquas tamen personas, Jesus non solum *invitavit,* sed *vocavit,* et (hypothetice saltem) eis *praecepit* tum perfectionem tum determinata media. Tales fuerunt Apostoli.

---

[41] Cf. *P. L. Hertling, Thelogia Ascetica* (Romae, 1939) n. 12, 50 seq.

[42] *Suarez,* o. c. Lib. 2. Cap. 1. *de Guibert,* o. c. 100.

[43] Eph. IV, 13. Cf. *Leal « ut exhibeamus omnem hominem perfectum »* « Verbum Domini » (1938) pg. 178-186.

[44] *Suarez,* o. c. Libr. 1. cap. 6. *Garrigou-Lagrange,* O. P. L'amour de Dieu et la Croix de Jésus. vol. I. chap. 4. Dict. de spiritualité, vol. I. col. 67 « *Abnegation* ». *De Guibert* o. cit. n. 108 seq.

Quaerimus autem utrum talis vocatio et praeceptum hypotheticum, admissa scil. vocatione ad sacerdotium, datum sit omnibus sacerdotibus.

Affirmativum responsum damus, quod sequenti propositione statuimus, et statim probandum assumimus.

23. *Omnis sacerdos, vi sacerdotii suscepti, tenetur non solum ad sanctitatem communem conservandam, sed ad perfectam, efficaciter sectandam.*

Sensus propositionis patet. Fundamentum et titulum perfectionis ponimus non in officiis quibus destinari potest de facto, sed in ipso sacerdotio suscepto, in quo adsunt et *character et missio,* sensu supra explicato.

Asserimus strictam obligationem habendi illam perfectionem in susceptione sacerdotii, illamque postea conservandi, efficaciter, i. e. media efficacia ad hoc adhibendo. Cum vero media *optima,* sint tria consilia evangelica, non tamen *unica,* necessitas consiliorum eatenus affirmatur quatenus *practice, eorum observantia* in aliquo gradu erit necessaria ad perfectionem sacerdotalem acquirendam et conservandam. In aliquo gradu i. e. sive *per effectivam* renunciationem, ubi opus sit, sive saltem in praeparatione animi.

Thesis probatio confici potest: 1° Ex doctrina Pii XI; 2° ex Sacra Scriptura; 3° Ratione Theologica [46].

24. Doctrina Ecclesiae pulchre proponitur a *Pio XI* in laudata Encyclica « *Ad Catholici Sacerdotii* ». Fundamenti instar, doctrinam statuit circa amplitudinem dignitatemque christiani sacerdotii his verbis: « Gentium Apostolus, de christiani sacerdotii amplitudine, dignitate ac

---

[45] De relatione inter consilia et perfectionem cf. *S. Thomas* I, II, q. 108 a. 4. *Suarez,* o. c. Cap. XI, n. 2. *Suarez* o. c. L. I. cap. X. *De Guibert,* n. 78 seq. *Barthier,* Perfection chrétienne et perfection religiouse.

[46] Directe non contendimus probare sacerdotem teneri ad perfectionem, quamvis hoc etiam eluceat ex nostris argumentis, sed quod tenetur *vi sacerdotii.* Relate autem ad primum punctum adumbrabimus id quod, ut nobis videtur, valde utile est ad obiectum ipsum obligationis, in concreto, determinandum.

munere summatim presseque agens, hisce verbis sententiam suam veluti scalpro exprimit: « *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* » (1 Cor. IV, 1). *Minister Christi sacerdos... quasi instrumentum... « alter Christus » cum eius gerat personam* ». (pg. 10), Atque, exposita mira qua pollet potestate in Corpus Christi verum et in corpus Christi mysticum, quae ad ministerium verbi, ad officium mediatoris per orationem, pertinent, concludit: « Perspicuum tamen est eiusmodi dignitatem, *in iis omnibus qui eadem insigniti sunt,* illam excelsitatem mentis, animi munditiam, morumque integritatem postulare, quae sacerdotali muneri maiestatique respondeat » (pg. 20). Similiter paulo infra: « rationes omnes quas, ut catholici sacerdotii excelsitatem demonstraremus, iam breviter attigimus, nunc iterum Nostro obversantur animo, ut ad *absolutae sanctimoniae* officium; quo sacrorum administri *tenentur,* eosdem vehementer adhortemur » (p. 21).

Ergo, ex ipso sacerdotio, moralis perfectionis necessitas deducitur. Quanta haec sit, seu in quo gradu? Certo non in communi. Ergo in perfecto, cum medium non detur.

25. Quod explicite non semel affirmatur: *a*) Debet esse talis ut *propius* ad perfectionem D. N. Jesu Christi accedat: « Eum igitur oportet ad eius perfectionem *propius,* pro facultate, accedere cuius partes gerit; seseque vitae operumque probitate *gratiorem quotidie Deo reddere;* quandoquidem plusquam suave turis effluvium, plusquam sacrarum aedium nitorem, virtutem Deus aestimat et diligit » (pg. 20). *b*) Cum S. Thoma ait: « ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens » (ibd.[47] *c*) allegato canone 124 Cod. I. can. finem imponit his gravissimis verbis: « *Et quoniam sacerdos pro Christo legatione fungitur* » (2 Cor. V, 20) *ita vivat necesse est, ut ea Apostoli verba ad se referat*: « *Imitatores mei estote sicut et ego Christi* » (1 Cor. IV, 16,

[47] S. Th. II p. Supp. q. 35 a. 1 ad 3.

XI, 1); ITA VIVAT UT ALTER CHRISTUS, *qui virtutis suae fulgore hominum universitatem collustrabat atque collustrat* » (pg. 23). *d*) Et requidem vera virtutes a sacerdote sectandae illae sunt quae communis perfectionis gradum et ambitum excedunt: sunt enim: eximia in Deum *pietas, perfecta castitas, terrenarum rerum continentia, a familiae vinculis liberatio, prompta oboedientia;* quibus ab omni vinculo terreno solutus, sacerdos disponitur ut illo amoris igne inflammetur qui e penetralibus Jesu Christi Cordis erumpit: « Hunc, (enim) divinae gloriae hominumque salutis ardorem, ut de Redemptore evenisse Sacris Litteris edocemur (Joan. II, 1) Ecclesiae administrum urere ac veluti consumere oportet ». (pg. 30).

26. Quam haec accedant (vel ea superent) ad ea quae, vi professionis religiosae, a religiosis exiguntur clare patet. Unde iam implicite ostenditur quam sit necessarium omnibus sacerdotibus, consilia evangelica amplecti.

Eorum perfectio non solum in genere describitur, sed etiam quibus mediis, ratione sacerdotii, sit attingenda, demonstratur. Jam vero sacerdos *tenetur* « ad eius perfectionem *propius* pro facultate accedere cuius partes gerit » ait, ut vidimus, Pius XI. Atqui, ipse, alibi dicit, « *qui ipsius (Jesu) vestigiis propius insistere vellent, eos evangelica consilia amplecti ac sequi oportere*. Eiusmodi consilia quicumque, obligata Deo fide, servaturum se spondeat, is non solum exolvitur impedimentis quae mortales a sanctitate removere solent... sed etiam tam recte expeditoque itinere ad perfectionem vitae progreditur, ut iam in salutis portu anchoram velut iecisse videatur » [48]. Unde ostenditur quam intime consilia evangelica conducant ad *propius* D. N. Jesu Christi perfectionem exprimendam, et quam intime inter se connectantur, secundum Pium XI.

27. 2° *Eadem veritas ex N. T. clare elucet.*

Christum Dominum Apostolos vocasse ad perfectam

[48] Epist. ap. « *Unigenitus Dei Filius* », 19 mart. 1924 (A.A.S. XVI, pg. 133 seq.).

moralem sanctitatem, nimis evidens est ut probari debeat. Verba eius « *Venite post me* » (Math. IV, 19) vocationem efficacem continent ad perfectissimam sui imitationem [49]. Iterum, ex supra dictis clare patet, quod, etsi in gradu subordinato, omnes sacerdotes vocantur et destinantur ad ipsum *Munus* ad quod vocati sunt Apostoli. Atqui quorum par est vocatio et missio, eaedem sint oportet dispositiones morales requisitae. Ergo a sacerdotibus Christus postulat perfectionem quam ab Apostolis requisivit.

Ad subsumptam ostendendam sufficiat notare Christum postulasse perfectionem ab Apostolis, non ratione missionis extraordinariae, sed ordinariae quae prosequenda est per ministros Ecclesiae; eamque postulasse ad hoc ut digni efficerentur eius ministri et discipuli. Quod quidem bene Apostoli intellexerunt, et statim ad praxim deduxerunt ut constat ex verbis S. Petri: « *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* » (Math. XIX, 27). Quod si in aliquibus, ut in bonis, in familia, videatur renunciatio nondum perfecta, observandum est: in Evangeliis proponitur doctrina semper valitura, applicatio autem fit gradatim; neque mensura accipienda est ex his quae hodie ad regimen status iuridici perfectionis per leges Ecclesiae sancita sunt. Plurima nunc praescribuntur quae ad essentiam consiliorum non sunt necessaria.

Quae vero ad consilia substantialiter pertinent et ab Apostolis statim in praxim sunt deducta et nullo non tempore ab Ecclesia postulata etiam sunt a suis clericis. Non quidem exigit Ecclesia ab omnibus sacerdotibus vota, praeter votum castitatis in coelibato contentum [50] neque bonorum renunciationem, et familiam relinquere. Verum, qui attente consideret tum leges Ecclesiae circa usum bonorum ecclesiasticorum et de vita et honestate clericorum, tum

---

[49] Cf. singulorum vocationem, Mth. XIX, 21 27, Mth. IV, 18-22; IX, 9; X per totum. Sermones Jesu ad Apostolos apud Joan. XIII-XV.

[50] Cf. nostrum « De castitatis voto sacris annexo » Periodica (1934) pg. 218 sq.

maxime doctrinam RR. PP., ut apud P. XI vidimus, certo perspiciet Ecclesiam, illam renunciationem semper exigere quae, in *animi praeparatione* sit sincere perfecta; illamque etiam *re* et quoad effectum, vehementer suadere, et, in multis, practice exigere. Nec tandem Ecclesiae lex positiva unicus est fons officiorum sacerdotalium, maxime in materia in qua, ex rei natura, nisi ab interiore caritatis lege observatio erumpat, potius nocent quam prosunt legis positivae minuta praecepta [51]

Obiectio tamen venit in mentem, petita ex hīs sacerdotibus orientalibus qui, matrimonio iuncti, curae rerum temporalium et familiae vacare tenentur. Hi, si vera sunt exposita, deficiunt ab exigentia sanctitatis quam sacerdotium postulat.

Responsum aptius nobis non occurrit nisi verba Pii XI, transcribere: «Nihilo secius quae adhuc, ecclesiasticum caelibatum commendantes, verba fecimus non idcirco intelligi volumus, ac si nobis in mente esset absimilem illam disciplinam quodammodo improbare ac redarguere, quae in Orientalem Ecclesiam legitime invecta est; sed revera animus Noster eo unice spectat, ut eam veritatem efferamus, quam et praeclarissimam ducimus catholici sacerdotii gloriam, et quae videtur Nobis Sacratissimi Iesu Cordis consiliis ac votis, ad sacerdotum animos quod attinet, dignus aptiusque respondere». (39). Unde sequitur: ii qui matrimonio iunguntur, non quidem damnantur ut mali sacerdotes, sed revera declarantur ut minus respondentes *votis et consiliis Sacratissimi Cordis Iesu.*

Praeterea, non inde doctrina de absoluta obligatione fundata in ipso sacerdotio inficiatur. Nam manet obligatio eodem modo, quoad ipsam perfectionem sectandam; quoad media vero, quamvis possibile sit etiam in statu matrimo-

---

51 Cf. *A. de Molina*, o. c. Tract. II. Cap. 3. *Lemaitre*, Sacerdoce, Perfection et voeux. Doctrinam S. Pauli, pulchre exponit, *Cohausz*, S. J. La missione sacerdotale nella dottrina di S. Paolo, (Milano, 1933) c. 10 (Desclée, 1932).

niali illa quae necessaria sunt adhibere, fatendum est, quod quia non removent graviora impedimenta perfectionis, difficile et raro ad desideratam perfectionem pervenient. Enc. cit. A.A.S. p. 28.

28. 3° *Accedit tandem ratio theologica*: petitur ex ipso fundamentali principio vitae moralis: Unusquisque tenetur agere secundum propriam naturam [52]. Natura enim rationalis est norma moralitatis, i. e. secundum quam actiones humanae iudicantur bonae naturaliter vel malae. Ergo sicut bonum est sectandum et malum est vitandum, ita agendum est secundum propriam naturam. Similiter dicendum est in ordine supernaturali de nova quasi natura quam per baptismum accipimus, ex qua novae exigentiae vitae moralis nascuntur teste S. Paulo; « *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris ita et nos in novitate vitae ambulemus* » (Rom. VI, 4 seq.). Ergo cum character sacerdotalis addat characteri baptismali novum Christi signaculum et perfectiorem ad Christum assimilationem, fundat novam exigentiam perfectionis in assimilatione ad Christum in ipsa vita morali. Christo incorporatur sacerdos quatenus est Principium vitae spiritualis christianorum, quatenus est Via ad ipsam vitam et Caput Corporis eius mystici. Totus ergo Deo sanctificatus consecratus est ut vere sit « *Homo Dei* » (17 im. VI, 11) « *Minister Christi* » (1 Cor. IV, 1). Ergo sicut Christo unitus est *entitative* et *iuridice* unione qua maior non datur, ita Christo uniatur oportet unione qua maior non sit in ordine morali. Si omnibus christianis Paulus dicit: « Mortui enim estis et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo » (Col. III, 3) — et consequenter praecipit, « quae sursum sunt quaerite »; quanto magis sacerdotibus, qui electi sunt, « vocatione sua sancta » (2 Tim. I. 9) haec sunt praecipienda.

---

52 Cfr. *Richard*, O. P. Etudes de théologie morale. Le plus parfait (Desclée, 1933, ch. 2).

Hoc argumento usi sunt PP. et S. Thomas ipse: « manifestum est excellere praeeminentiam ordinis quantum ad dignitatem (sacerdotem super monachum conversum) quia per sacrum ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria quibus ipsis Christo servitur in Sacramento altaris; ad quod requiritur maior sanctitas interior, quam requirit etiam religionis status »[53].

29. Idem confirmatur ex alia consideratione.

Character praeterea non solum est sigillum unionis cum Christo: simul est titulus *potestatis* sublimioris *et uberioris gratiae*, quibus sacerdos super populum constituitur ad eum sanctificandum, et ius habet permanens ad omnes gratias accipiendas quae ad agendum secundum propriam elevationem requiruntur. Instructus ergo est non solum nova potestate sed *novis etiam titulis ad gratiam*. Absonum esset, i.-e. moraliter malum, otio sterilem reddere donum tale in utilitatem fidelium et propriam collatum. — Ita revera faceret sacerdos qui sanctitatem non excoleret, ut patebit ex hac ultima consideratione, circa munera sacerdotalia.

Haec se habent ut institutionis sacerdotalis finis ex quo ceterorum norma est deducenda. Finis autem assequendus qualis est? Pulchre, paucis verbis, assignatur in concreto, a Sanctissimo Papa nostro Pio XII: « *Lux lucet, sol calefacit. Ecce igitur finis vester, ecce catholici sacerdotii assignatum propositum: solem esse supernaturalem qui hominum mentes veritate Christi illustret, eorumque animos inflammet amore Christi*[54].

Atqui ad istum finem attingendum requiritur sanctitas perfecta. Nam hoc intercedit discrimen inter apostolum et magistrum. Ad viam salutis alios docendam, ad disserendum de virtutibus sufficit scientia. At optime subiungit *Suarez*: « hic modus operandi perfectionem nimis imper-

---

[53] S. Th. II, II, q. 184 a. 8cc. — Vide hoc argumentum pulchre evolutum in *A. de Molina*, o. c. Tract. 2; cap. 1 in fine et cap. 2. et in *Cohausz*, o. c.

[54] *Sermo ad alumnos...* 24 iunii 1939 (A.A.S. XXI) pg. 248.

fectus et inefficax est, et moraliter vix potest cum fructu fieri, iuxta verbum Christi, Mth. V, 13 « *si sal evanuerit in quo salietur* », ideo concedimus statum hunc perfectionis exercendae, ut recte assumatur et exerceatur, requirere personalem perfectionem »[55]. Et ultima ratio quidem est quia actio sacerdotis est *ministerialis,* ordinata a Christo non solum ad *docendum* vel ministrandum sed *ad virtutes supernaturales inserendas* et *excolendas,* sub influxu gratiae divinae. Nec Deo placere nec hominibus persuadere poterit is qui virtutum expers, haec munera exercere praesumat. « Homo Dei sit oportet, qui Deum praedicat; oderit peccatum qui odisse peccatum iubet» ait Bened. XV[56].

30. *Conclusio.*

Ex dictis sequi videtur 1°) sacerdotes ex ipso sacerdotio ligantur ad christianam perfectionem habendam et consequenter ad media, ad hoc necessaria, adhibenda. Quaenam sint ista media, sufficienter in genere dictum est: in specie autem, Deo favente, quaenam sint, in sequenti articulo exponere curabimus. 2°) Titulus perfectionis in eo, est character et missio generice sumpta. Quare ab antiquis, in modo loquendi, recedimus qui de statibus perfectionis disserendo, sacerdotibus, saltem qui curam animarum non habebant, extra illam ponere videntur. 3°) Multo magis a recentioribus recedimus qui radicem perfectionis ponunt in aliqua conditione vere accidentali relate ad amplitudinem dignitatis sacerdotalis, in conditione adscriptionis ad servitium dioecesis; et ab iis qui, insistendo appellativo sacerdotis *saecularis,* deprimunt conditionem sacerdotis dioecesani. Sed de iis, Deo favente, in sequenti numero agere cogitamus.

U. Lopez S. I.

---

[55] O. c. Lib. I, cap. XIV, n. 8.
[56] « *Maximum illud* » (A.A.S. XI); (1919) pg. 449.

MONUMENTA

8 - SS. D. N. Pius Pp. XII

NUNTIUS RADIOPHONICUS [1] D. 24 DEC. 1942
(*AAS* XXXV [26 Ian. 1943] p. 9)

CINQUE PUNTI FONDAMENTALI PER L'ORDINE E LA PACIFICAZIONE DELLA SOCIETA' UMANA:

Chi pondera al lume della ragione e della fede i fondamenti e gli scopi della vita sociale, che noi abbiamo tracciati in brevi linee, e li contempla nella loro purezza ed altezza morale e nei loro benefici frutti in tutti i campi, non può non avere la convinzione dei potenti principi di ordine e di pacificazione, che energie rivolte a grandi ideali e risolute ad affrontare gli ostacoli potrebbero regalare, o diciamo meglio, restituire ad un mondo, interiormente scardinato, quando avessero abbattute le barriere intellettive e giuridiche, create da pregiudizi, errori, indifferenza, e da un lungo processo di secolarizzazione del pensiero, del sentimento, dell'azione, che venne a staccare e sottrarre la città terrena dalla luce e dalla forza della città di Dio.

Oggi più che mai scocca l'ora di riparare; di scuotere la coscienza del mondo dal grave torpore, in cui i tossici di false idee, largamente diffuse, l'hanno fatto cadere; tanto più che, in questa ora di sfacelo materiale e morale, la conoscenza della fragilità e della inconsistenza di ogni ordinamento puramente umano è sul disingannare anche co-

---

[1] Cfr. Period. XXXII, 67.

loro, che, in giorni apparentemente felici, non sentivano in sè e nella società la mancanza di contatto coll'eterno, e non la consideravano come un difetto essenziale delle loro costruzioni.

Ciò che chiaro appariva al cristiano, che, profondamente credente, soffriva dell'ignoranza altrui, chiarissimo ci presenta il fragore della spaventosa catastrofe dell'odierno sconvolgimento, che riveste la terribile solennità di un giudizio universale, persino agli orecchi dei tiepidi, degli indifferenti, degl'inconsiderati, una verità, cioè, antica, che si manifesta tragicamente in forme sempre nuove, e tuona di secolo in secolo, di gente in gente, per bocca del Profeta: « Omnes qui Te derelinquunt, confundentur: recedentes a Te in terra scribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium, Dominum » (*Jer.* 17, 13).

Non lamento, ma azione è il precetto dell'ora; non lamento su ciò che è o che fu, ma ricostruzione di ciò che sorgerà e deve sorgere a bene della società. Pervasi da un entusiasmo di crociati, ai migliori e più eletti membri della cristianità spetta riunirsi nello spirito di verità, di giustizia e di amore al grido: Dio lo vuole! pronti a servire, a sacrificarsi, come gli antichi Crociati. Se allora trattavasi della liberazione della terra santificata dalla vita del Verbo di Dio incarnato, si tratta oggi, se possiamo così esprimerCi, del nuovo tragitto, superando il mare degli errori del giorno e del tempo, per liberare la terra santa spirituale, destinata a essere il sostrato e il fondamento di norme e leggi immutabili per costruzioni sociali di interna solida consistenza.

Per sì alto fine, dal presepe del Principe della pace, fiduciosi che la sua grazia si diffonda in tutti i cuori, Noi Ci rivolgiamo a voi, diletti figli, che riconoscete e adorate in Cristo il vostro Salvatore, a tutti quelli che sono con noi uniti almeno col vincolo spirituale della fede in Dio, a tutti infine, quanti anelano a liberarsi dai dubbi e dagli errori, bramosi di luce e guida; e vi esortiamo con scon-

giurante paterna insistenza non solo a comprendere intimamente l'angosciosa serietà di quest'ora, ma anche a meditare le sue possibili aurore benefiche e soprannaturali, e a unirvi e operare insieme per il rinnovamento della società in spirito e verità.

Scopo essenziale di questa Crociata necessaria e santa è che la stella della pace, la stella di Betlemme, spunti di nuovo su tutta l'umanità nel suo rutilante fulgore, nel suo pacificante conforto, qual promessa e augurio di un avvenire migliore più fecondo e più felice.

Vero è che il cammino dalla notte a un luminoso mattino sarà lungo; ma decisivi sono i primi passi sul sentiero, che porta sopra le prime cinque pietre miliari scolpite con bronzeo scalpello le seguenti massime;

1°) Dignità e diritti della persona umana

1) Chi vuole che la stella della pace spunti e si fermi sulla società, concorra da parte sua a ridonare alla persona umana la dignità concessale da Dio fin dal principio; si opponga all'eccessivo aggruppamento degli uomini, quasi come masse senz'anima; alla loro sovrabbondanza di eccitazioni istintive e sensibili, e alla loro volubilità;

favorisca, con tutti i mezzi leciti, in tutti i campi della vita, forme sociali, in cui sia resa possibile e garantita una piena responsabilità personale, così quanto all'ordine terreno come quanto all'eterno;

sostenga il rispetto e la pratica attuazione dei seguenti fondamentali diritti della persona: il diritto a mantenere e sviluppare la vita corporale, intellettuale e morale, e particolarmente il diritto ad una formazione ed educazione religiosa; il diritto al culto di Dio privato e pubblico, compresa l'azione caritativa religiosa; il diritto, in massima, al matrimonio e al conseguimento del suo scopo, il diritto alla società coniugale e domestica; il diritto di lavorare

come mezzo indispensabile al mantenimento della vita familiare; il diritto alla libera scelta dello stato, quindi anche dello stato sacerdotale e religioso; il diritto ad un uso dei beni materiali, cosciente dei suoi doveri e delle limitazioni sociali.

2°) Difesa della unità sociale e particolarmente della famiglia

2) Chi vuole che la stella della pace spunti e si fermi sulla società, rifiuti ogni forma di materialismo, che non vede nel popolo se non un gregge di individui, i quali, scissi e senza interna consistenza, vengono considerati come materia di dominio e di arbitrio;

cerchi di comprendere la società come un'unità interna, cresciuta e maturata sotto il governo della Provvidenza, unità la quale, nello spazio ad essa assegnato e secondo le sue peculiari doti, tende, mediante la collaborazione dei diversi ceti e professioni, agli eterni e sempre nuovi fini della cultura e della religione;

difenda la indissolubilità del matrimonio; dia alla famiglia, insostituibile cellula del popolo, spazio, luce, respiro, affinchè possa attendere alla missione di perpetuare nuova vita e di educare i figli in uno spirito, corrispondente alle proprie vere convinzioni religiose; conservi, fortifichi o ricostituisca, secondo le sue forze la propria unità economica, spirituale, morale e giuridica; curi che i vantaggi materiali e spirituali della famiglia vengano partecipati anche dai domestici; pensi a procurare ad ogni famiglia un focolare, dove una vita familiare, sana materialmente e moralmente, riesca a dimostrarsi nel suo vigore e valore; curi che i luoghi di lavoro e le abitazioni non siano così separati, da rendere il capo di famiglia e l'educatore dei figli quasi estraneo alla propria casa; curi soprattutto, che tra scuole pubbliche e famiglia rinasca quel vincolo di fiducia e di mutuo aiuto, che in altri tempi maturò frutti

così benefici, e che oggi è stato sostituito da sfiducia colà ove la scuola, sotto l'influsso o il dominio dello spirito materialistico, avvelena e distrugge ciò che i genitori avevano istillato nelle anime dei figli.

3°) Dignità e prerogative del lavoro

3) Chi vuole che la stella della pace spunti e resti sulla società, dia al lavoro il posto da Dio assegnatogli fin da principio. Come mezzo indispensabile al dominio del mondo, voluto da Dio per la sua gloria, ogni lavoro possiede una dignità inalienabile, e in pari tempo un intimo legame col perfezionamento della persona; nobile dignità e prerogativa del lavoro, cui in verun mondo non avviliscono la fatica e il peso, che sono da sopportarsi come effetto del peccato originale, in ubbidienza e sommissione alla volontà di Dio.

Chi conosce le grandi Encicliche dei Nostri Predecessori e i Nostri precedenti Messaggi non ignora che la Chiesa non esita a dedurre le conseguenze pratiche, derivanti dalla nobiltà morale del lavoro, e ad appoggiarle, con tutto il nome della sua autorità. Queste esigenze comprendono, oltre ad un salario giusto, sufficiente alle necessità dell'operaio e della famiglia, la conservazione ed il perfezionamento di un ordine sociale, che renda possibile una sicura, se pur modesta proprietà privata a tutti i ceti del popolo, favorisca una formazione superiore per i figli delle classi operaie particolarmente dotati di intelligenza e di buon volere, promuova la cura e l'attività pratica dello spirito sociale nel vicinato, nel paese, nella provincia, nel popolo e nella nazione, che, mitigando i contrasti di interessi e di classe, toglie agli operai il sentimento della segregazione con l'esperienza confortante di una solidarietà genuinamente umana e cristianamente fraterna.

Il progresso e il grado delle riforme sociali improro-

gabili dipende dalla potenza economica delle singole nazioni. Solo con uno scambio di forze, intelligente e generoso, tra forti e deboli sarà possibile a compiersi una pacificazione universale in maniera che non restino focolai di incendio e di infezione, da cui potrebbero originarsi nuove sciagure.

Segni evidenti inducono a pensare, che nel fermento di tutti i pregiudizi e i sentimenti di odio, inevitabili ma tristi parti di questa acuta psicosi bellica, non sia spenta nei popoli la coscienza della loro intima reciproca dipendenza nel bene e nel male, che anzi sia divenuta più viva e attiva. Non è forse vero che sempre più chiaramente pensatori profondi vedono, nella rinunzia all'egoismo e all'isolamento nazionale, la via di salvezza generale, pronti come sono a domandare ai loro popoli una parte gravosa di sacrifici, necessari per la pacificazione sociale in altri popoli? Possa questo Nostro Messaggio natalizio, diretto a tutti coloro che sono animati da buona volontà e cuore generoso, incoraggiare e aumentare le schiere della Crociata sociale presso tutte le Nazioni! E voglia Dio concedere alla loro pacifica bandiera la vittoria, di cui è degna la loro nobile intrapresa!

4°) Reintegrazione dell'ordinamento giuridico

4) Chi vuole che la stella della pace spunti e si fermi sulla vita sociale, collabori ad una profonda reintegrazione dell'ordinamento giuridico.

Il sentimento giuridico di oggi è spesso alterato e sconvolto dalla proclamazione e dalla prassi di un positivismo e di un utilitarismo ligi e vincolati al servizio di determinati gruppi, ceti e movimenti, i cui programmi tracciano e determinano la via alla legislazione e alla pratica giudiziale.

Il risanamento di questa situazione diventa possibile a ottenersi, quando si ridesti la coscienza di un ordinamento giuridico, riposante nel sommo dominio di Dio e custodita da ogni arbitrio umano; coscienza di un ordina-

mento che stenda la sua mano protettrice e punitrice anche sugli inobliabili diritti dell'uomo e li protegga contro gli attacchi di ogni potere umano.

Dall'ordinamento giuridico voluto da Dio promana l'inalienabile diritto dell'uomo alla sicurezza giuridica, e con ciò stesso ad una sfera concreta di diritto, protetta contro ogni arbitrario attacco.

Il rapporto dell'uomo verso l'uomo, dell'individuo verso la società, verso l'autorità, verso i doveri civili, il rapporto della società e dell'autorità verso i singoli debbono essere posti sopra un chiaro fondamento giuridico e tutelati, al bisogno, dall'autorità giudiziaria. Ciò suppone:

a) un tribunale e un giudice, che prendano le direttive da un diritto chiaramente formulato e circoscritto;

b) chiare norme giuridiche, che non possano essere stravolte con abusivi richiami ad un supposto sentimento popolare e con mere ragioni di utilità;

c) riconoscimento del principio che anche lo Stato e i funzionari e le organizzazioni da esso dipendenti sono obbligati alla riparazione e al ritiro di misure lesive della libertà, della proprietà, dell'onore, dell'avanzamento e della salute dei singoli.

5°) Concezione dello Stato secondo lo spirito cristiano

5) Chi vuole che la stella della pace spunti e si fermi sulla società umana, collabori al sorgere di una concezione e prassi statale, fondate su ragionevole disciplina, nobile umanità e responsabile spirito cristiano;

aiuti a ricondurre lo Stato e il suo potere al servizio della società, al pieno rispetto della persona umana e della sua operosità per il conseguimento dei suoi scopi eterni;

si sforzi e adoperi a sperdere gli errori, che tendono a deviare dal sentiero morale lo Stato e il suo potere e a scioglierli dal vincolo eminentemente etico, che li lega alla vita individuale e sociale, e a far loro rinnegare o ignorare praticamente l'essenziale dipendenza, che li unisce alla volontà del Creatore;

promuova il riconoscimento e la diffusione della verità, che insegna, anche nel campo terreno, come il senso profondo e l'ultima morale e universale legittimità del « regnare » è il « servire ».

* * *

CONSIDERAZIONI SULLA GUERRA MONDIALE E SUL RINNOVAMENTO DELLA SOCIETA'

Diletti figli! Voglia Dio che, mentre la Nostra voce arriva al vostro orecchio, il vostro cuore sia profondamente scosso e commosso dalla serietà profonda, dall'ardente sollecitudine, dalla scongiurante insistenza, con cui Noi vi inculchiamo questi pensieri, che vogliono essere un appello alla coscienza universale e un grido di raccolta per tutti quelli che sono pronti a ponderare e misurare la grandezza della loro missione e responsabilità dalla vastità della sciagura universale.

Gran parte della umanità, e, non rifuggiamo dall'affermarlo, anche non pochi di coloro che si chiamano cristiani, entrano in certa guisa nella responsabilità collettiva dello sviluppo erroneo, dei danni e della mancanza di altezza morale della società odierna.

Questa guerra mondiale, e tutto ciò che le si connette, si tratti dei precedenti remoti o prossimi, o dei suoi procedimenti ed effetti materiali, giuridici e morali, che altro rappresenta se non lo sfacelo, inaspettato forse agl'inconsiderati, ma intuito e deprecato da coloro i quali penetravano a fondo col loro sguardo in un ordine sociale, che dietro l'ingannevole volto o la maschera di formole convenzionali nascondeva la sua debolezza fatale e il suo sfrenato istinto di guadagno e di potere?

Ciò che in tempi di pace giaceva compresso, al rompere della guerra scoppiò in una trista serie di azioni, contrastanti con lo spirito umano e cristiano. Le conven-

zioni internazionali per rendere meno disumana la guerra, limitandola ai combattenti, per regolare le norme dell'occupazione e della prigionia dei vinti, rimasero lettera morta in vari luoghi; e chi mai vede la fine di questo progressivo peggioramento?

Vogliono forse i popoli assistere inerti a così disastroso progresso? o non debbono piuttosto, sulle rovine di un ordinamento sociale, che ha dato prova così tragica della sua inettitudine al bene del popolo, riunirsi i cuori di tutti i magnanimi e gli onesti nel voto solenne di non darsi riposo, finchè in tutti i popoli e le nazioni della terra divenga legione la schiera di coloro, che, decisi a ricondurre la società all'incrollabile centro di gravitazione della legge divina, anelano al servizio della persona, e della sua comunanza nobilitata in Dio?

Questo voto l'umanità lo deve agl'innumerevoli morti, che giacciono sepolti nei campi di guerra: il sacrificio della loro vita nel compimento del loro dovere è l'olocausto per un nuovo e migliore ordine sociale.

Questo voto l'umanità lo deve all'infinita dolente schiera di madri, di vedove e di orfani, che si son veduti strappare la luce, il conforto e il sostegno della loro vita.

Questo voto l'umanità lo deve a quegli innumerevoli esuli che l'uragano della guerra ha spiantati dalla loro patria e dispersi in terra straniera; i quali potrebbero far lamento col Profeta: « Hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostrae ad extraneos » (*Jer. Lam.* 5, 2).

Questo voto l'umanità lo deve alle centinaia di migliaia di persone, le quali, senza veruna colpa propria, talora solo per ragione di nazionalità o di stirpe, sono destinate alla morte o ad un progressivo deperimento.

Questo voto l'umanità lo deve alle molte migliaia di non combattenti, donne, bambini, infermi e vecchi, a cui la guerra aerea, — i cui orrori Noi già fin dall'inizio più volte denunziammo, — senza discernimento o con insuf-

ficiente esame, ha tolto vita, beni, salute, case, luoghi di carità e di preghiera.

Questo voto l'umanità lo deve alla fiumana di lagrime e amarezze, al cumulo di dolori e tormenti, che procedono dalla rovina micidiale dell'immane conflitto e scongiurano il cielo, invocando la discesa dello Spirito, che liberi il mondo dal dilagare della violenza e del terrore ...

Annotationes

Quinque puncta practica ad ordinem et pacem vitae socialis necessaria

Primum punctum: *Dignitas et iura personae humanae.*

Homo hodiernus ad dignitatem personae (vide assertum secundum harum annotationum) practice iterum evehi debet, cum longe ab hac dignitate recesserit. Est enim plerumque nil nisi pars turbae seu multitudinis undecumque informis sive massae. Notae characteristicae huius condicionis vitae describuntur: homines labilitatem oeconomicam, socialem, politicam, intellectualem, moralem patiuntur: ex una parte defectu validorum principiorum et stabilium persuasionum, ex altera parte superabundantia eorum laborant, quae ope instinctus et sensibilitatis avide et continuo recepta hominem arundinem vento agitatam reddunt. Massa ergo, verae indoli personali hominis practice et theoretice contraria, reprobanda et tollenda est.

Proin haec consideratio massae aliena ab illis est, qui cum Marxismo massam positive aestimant (Ortega y Gasset) aut qui cum G. Le Bon massam ut merum factum solum psychologistice analysant. Immo haec refutatio massae novam reprobationem Liberalismi continet, quippe qui massam modernam creavit, cum hominem meram appendicem mechanismi mercatus seu circulationis « capitalis »

fecerit, nimirum exaggerando mediante moderna technica divisionem laboris et diffusionem relationum oeconomicarum, nullo respectu organicae et naturalis cohaerentiae hominum habito. At actualis quoque Anti-Liberalismus, qui dicitur, denuo condemnatur, quippe qui massam non tollit, sed e contra ut fundamentum propriae exsistentiae et conservationis habet et nutrit, cum homines, sub ratione sive nationis, sive stirpis, sive proletariatus artificialiter in totalem et uniformem multitudinem redacti, aptissimum instrumentum gubernationis stricte auctoritariae evadant. Porro reprobantur certae methodi artis politicae modernae, quae homines adhuc magis in massam detrudunt: translatio coacta multitudinis hominum huc et illuc, sicuti figurae in abaco moventur; abusus modernorum mediorum communicationis uti diffusionis radiophonicae, cinemae, ephemeridum, ita ut deficiente omnimoda libertate loquendi, scribendi et audiendi, spontanea et naturalis efformatio ac notitia genuinae opinionis publicae impediantur aequaliaque iudicia et aestimationes, a prorsus nova arte propagandistica ad volitum effectum callide composita, turbae imponantur imprimanturque, quod ipsam potestatem publicam non dedecere hodierni gloriantur. Denique reprobatione massae monemur, ne ad condicionem oeconomicam-socialem hominum meliorandam mediis utamur, quae, nedum massam removeant, ipsam diffusura esse dicenda sunt. Hoc enim obtineret, si introducerent organisationes quam maximas et quam universalissime obligatorias, quarum esset omnimodam curam securitatis vitae loco singulorum suscipere.

Ut illa maior securitas vitae habeatur simulque interposita individuali responsabilitate massa tollatur, maior et magis proportionata diffusio proprietatis privatae attendi debet. Fructum nempe laboris naturalem esse proprietatem privatam sapientissime iam Enc. Rerum novarum docuit, immo, in quantum fieri potest, proprietatem *soli*. Iam in Allocutione Pentecostali, anno 1941, Pius XII idem

postulavit, uti in annotationibus (« Periodica », fasc. III, 1941, pag. 249) animadvertimus): Quis non meminit iam Pium XI in « Quadragesimo anno » eandem viam ad sic dictam redemptionem proletariatus commendasse! Pius XII hoc vulnus modernae societatis iterum et profundius tangit, cum nempe propriam sedem fixam et stabilem permultis hominibus deesse asserit, ex quo efficitur, ut, sicuti nec externe profundiores radices in solo proprio agunt, ita nec interne in bonis moribus consuetudinibusque stabilibus consolidentur.

Practice resultat corpus oeconomiae nationalis magis harmonice evolvendum esse, maxime, in quantum naturales condiciones admittunt, inter partem industrialem et agrariam et inter varias partes naturales territorii nationalis. Porro illae species populationis imprimis promovendae sunt, quae proprium laborem cum et in propria proprietate impendunt, uti agricolae, fabri, minor et media mercatura, productio industrialis similis condicionis. Formae associationum cooperativarum modo dictis speciebus ulterius iuvamen praebere possunt. Porro collocatio et usus « capitalis » fini obiectivo oeconomiae nationalis severe subordinetur. Imprimis solum ad nutrimentum et ad habitationem aptum speculationi capitalisticae subtrahatur, quod multum conferet, ut inter pretium rerum ad vitam necessariarum et ad vitam non necessariarum sanior proportio restabiliatur. Ita etiam salario familiari melius provideatur, quod ex iustitia sociali labori omnino dependenti seu operario deberi Pius XII cum Antecessore suo declarat. Denique sanus usus progressus technici obtineat, ut maior mixtio localis inter productionem industrialem et agrariam habeatur, ita ut etiam quam plurimi homines in productione industriali occupati commodis vitae ruralis saltem aliquo modo gaudeant, Quanti momenti sanctitas iurium personalium ad vitam socialem reformandam sit, nemo tristissimis factis hodiernis edoctus non videt. Quid illa iura postulent, ipsa verba Summi Pontificis clare

enuntiant. Valet istud principium, quod antea (pag. 87) statuimus, sc. numquam posse immediate ex ratione « boni communis » id, quod structura interna socialis vitae essentialiter continet, determinari aut negligi aut mutari. Aliis verbis: numquam potest immediate ex necessitate « boni communis », sive vera sive ficta, aliqua actio iustificari, quae et quatenus aliquod ius personale directe quoad substantiam aut quoad usum tollit. Opponit se Magister Supremus falso cultui « boni communis » seu « communitatis » hodie tantopere propagato inculcans communitatem nec vivere nec florere posse, ubi dignitatis et libertatis personae respectus non teneatur. Imprimis, ubi homines sub influxu condicionum socialium anormalium libertate sua personali de facto falso utuntur, illud damnum maiori damno et offensa iustitiae et caritatis reparari nequit, nempe iura personalia tollendo. Praetermittendo particularia solum adnotetur Summum Pontificem de iure personali laborandi, non de iure ad laborem, quod dicitur, locutum fuisse. Illud ius laborandi postulat, ne quis impedimentum habendi aut inveniendi laborem ad sustentationem propriam et suorum omnino necessarium patiatur. Talia impedimenta provenire possunt ex privilegiis ab aliqua determinata stirpe aut natione usurpatis, ex vi alicuius factionis politicae, ex praedominio organisationum sive patronorum sive operariorum, ex abusu concentratae potentiae « capitalis ».

Secundum punctum: *Unitas vitae socialis, praesertim familiae.*

Qui hominum socialem vitam ad modum massae exsistentem tollere vult, aeque et Individualismo et Collectivismo adversari debet, cum in utroque casu non nisi unitas externa, mechanica superficialis, societati adveniat. Proin societas humana ad suam naturalem structuram et descriptionem reduci debet, cui etiam supernaturalem vitam Ecclesiae convenienter feliciterque se adaptasse historia demonstrat. Natura nempe ipsa homines in spatio

et tempore degentes et laborantes quasi sponte multipliciter coadunat: ratione vicinitatis loci, ratione communis originis ex eodem solo patrio, ratione communis sortis historicae et formae culturalis (« natio », quae dicitur), ratione communis professionis, imprimis vero ratione vinculi consanguinitatis in foedere coniugali fundati (Familia).

Hisce effertur modo dictas uniones naturaliter in efformandam et explendam personam humanam tendere ipsique illam plenitudinem stabilitatemque internam conferre, quam hominibus ad modum massae exsistentibus deesse Pius XII antea docuit. Unde elucet Statum aequaliter a veritate aberrare, si aut individualistice de vera vita illarum unionum non curat aut collectivistice illas uniones propria vita privat et solum ut instrumenta voluntatis politicae habet. Immo funestam « politisationem » totius vitae socialis humanae, quam hodie sub formis politicis collectivisticis observamus, nocumentum mortale et personae humanae et ordini et paci universali parare omnibus persuasum esse deberet.

Familiam Summo Pontifici permagnae curae esse iam aliunde luculenter et abunde verbis et scriptis constat. Unde etiam hanc occasionem arripit ut enixe inculcet, quae sana doctrina socialis de vita familiae restabilienda postulat. Familiae unitatem et oeconomicam et iuridicam et moralem-religiosam firmandam et augendam esse Supremus Magister clare breviterque exprimit. De mediis oeconomicis ad hunc finem obtinendum sub puncto priore iam egimus. Adnectit Allocutio quaedam de sanctitate matrimonii, de auctoritate patrisfamilias, maxime de iure suo educationis, denique de cura eorum, qui ad societatem domesticam pertinent. Scholam publicam quod attinet, formationem educationemque familiae in infantibus compleri debere clare effertur.

Tertium punctum: Laboris honor et praerogativa.

Hisce temporibus laborem humanum in Allocutione Pontificia proprium locum occupare nemo miratur. Hodie

nempe ubique et in diversissimis castris de momento laboris multum disseritur. Qui attente nostrum « tertium assertum » (pag. 82) legit, societatem seu socialem vitam concretam non nisi in mutuis praestationibus sive actibus laboris circa varia bona humana obiectiva imprimis consistere inveniet.

Hic ordo obiectivus divinitus impositus omnem laborem et aequali honore afficit et simul secundum obiectivam mensuram aestimationis diversimode ponderando ad hierarchicam unitatem totius laboris humani sicuti ad unicum « opus Dei » in gloriam Creatoris coniungit. Principium aequalitatis honoris est in hoc, quod omnis labor est praestatio personalis et in evolutionem personae humanae uti imaginis Dei tendit. Principium diversae ponderationis est in hoc, quod inter bona humana variis praestationibus realisanda obiectiva differentia dignitatis et valoris habetur.

Errant ergo, qui ideis Marxismi imbuti labori manuali maximam et fere unicam aestimationem attribuere contendunt. Non solum contra obiectivam hierarchiam valorum humanorum offendunt, sed etiam ipsum laborem manualem mera materialistica et sensualistica consideratione depravantes suo proprio valore, nempe personali dignitate privant.

Errant quoque, qui diversam aestimationem hominum in rebus sat extrinsecis et contingentibus fundant, sicuti sunt: inaequalitas rei fortunae, maior aut minor capacitas sumptus quoad res materiales, condicio elevata in vita publica, sive ex mera traditione sive ex vi organisationis politicae seu oeconomicae proveniens.

Secundum Summum Pontificem sola illa societas sana est, quae hominem, quatenus ad bona communia labore suo seu praestatione confert, in medio ponit simulque modo dicta principia aequalis honoris et diversae ponderationis quam perfectissime semper verificat. Illud « semper » significat talem societatem, sicuti nimiam labilitatem

in « scala sociali » ut sano cultui traditionis adversam reprobat, ita ascensum proportionatum in « scala sociali » omni homini labore et praestatione sua probato minime prohibere.

Allocutio Pontificia convenientem ordinem externum hominum laborantium, maxime societatis oeconomicae postulat. Imprimis praeter alias uniones sub puncto priore memoratas de ordine corporativo cogitandum est, quae unio ratione communis professionis nititur. Talium corporationum esset non solum de condicionibus oeconomicis laboris curare, sed etiam formationem moralem et intellectualem uniuscuiusque professionis necnon suum honorem promovere et tueri.

Alienum autem a mente Summi Pontificis est officium et honorem hominis laborantis ex aliquo mandato Status aut Nationis derivare. Titulus nempe et honor laboris, quo maior excogitari nequit, in « tertio asserto » (pag. 82) continetur.

Quartum punctum: *Restitutio ordinis iuridici.*

Ordinem sanum socialem sine sano ordine iuridico exsistere non posse ex his, quae in « quarto asserto » (pag. 89 ss.) exposita sunt, luce clarius est. De facto mundus hodiernus deficientia ordinis iuridici laborat, quod Pius XII verbis sat severis aperte profitetur. Merus respectus utilitatis et potentiae in vita iuridica ita dominatur, ut de omni securitate et claritate actum sit. Jamvero securitas et claritas ab ordine iuridico postulandae sunt, ut suam functionem organisatoriam circa structuram internam socialis vitae implere possit.

Hinc ad ipsam structuram internam socialis vitae recurrendum est, quippe quae fundamentaliter haec omnia continet, quae varia etiam mutabilia iura circumscribere et definire debent. Solum ibi lineamenta ordinis perspicua sunt, qui relationes hominum inter sese, hominum ad communitatem et viceversa, subditorum ad auctoritatem et auctoritatis ad subditos comprehendit. Aliis verbis: posi-

tivismus iuridicus sive rationalisticus sive irrationalisticus reliquendus est. Homines ad fontem iuris divinitus datum recurrant, nempe ad ius naturale.

Imprimis postulantur tribunalia et iudices, qui a legislatione clare determinata et circumscripta diriguntur, hinc intra hunc limitem vera et plena autonomia, non solum theoretice sed etiam practice, gaudent. Porro postulatur, ut obiectiva ratio singularum normarum iuris omni arbitrariae interpretationi subtrahatur, maxime ut funestissimus ille « dynamismus » iuris caveatur, qui sic dictum « sentimentum populi » subiectivistice et utilitaristice depravatum pro clara norma iuridica substituit et ut fontem decisionis adhibet. Denique Summus Pontifex serio nec sine ratione actuali monet Statum et magistratus organisationesque ab ipso dependentes ad restitutionem et compensationem obligatos esse, si modo iniusto libertatem, proprietatem, honorem, prosperitatem socialem, sanitatem hominis damno affecerint.

Quintum punctum: Christiana conceptio Status.

Status ad suam veram et specificam indolem unionis organisatoriae circa structuram internam vitae socialis, proin ad suam veram dignitatem a Divino Creatore collatam iterum evehi debet. Itaque non abs re monuimus Statum sic dictum « laicistam » aeque repugnare ac Statum, qui usurpata plenipotentia essentialiter determinet, quae bona communia ab hominibus prosequenda, quae non (pag. 87). Idem Summus Pontifex postulans a civibus et ab auctoritate publica disciplinam rationis, nobilem humanitatem, christianum responsabilitatis animum intendit. Re vera hodierni homines dynamismo effrenato Status, et ad intra et ad extra exercito, crudelissime flagellantur. Redeat Status ad suam propriam functionem subsidiariam qua minoribus unitatibus, imprimis personae humanae in ordine ad suos fines proprios serviat. Recedat Status a « Totalitarismo », qui omnes et omnia ut mera instrumenta voluntatis politicae considerat.

Agnoscant omnes non esse nisi unicum ordinem moralem, qui et vitam privatam et vitam publicam necnon politicam regit. Imprimis leges morales iustitiae et caritatis etiam vitam Status et potestatis publicae ligant. Nimia iam est calamitas, quae generi humano inde obvenit, quod Status seipsum et vitam publicam a voluntate Dei Creatoris solvit.

Relinquatur falsissima illa conceptio auctoritatis publicae, quae sibi ipsi sufficit, nullam veram responsabilitatem agnoscit, indolis nempe suae ut « ministri Dei » et ordinis obiectivi divini obliviscens, in quo tamen est ipsius unicum fundamentum et decus. Secus, qui talem auctoritarismum colunt, verae auctoritatis perversores evadent.

Ea denique, quae SS. D. N. de quibusdam factis bellicis in fine Allocutionis adnectit, bene, etsi triste, doctrinam expositam et praxim commendatam exemplis stricte contrariis illustrant. Iam bellum incoeptum non ubique in guberniis « disciplinam rationis, nobilem humanitatem, christianum responsabilitatis animum » ostendit. Quae dein secuta sunt, superabundanter probant falsum cultum « boni communis » hac Allocutione a Summo Pontifice condemnatum non esse nisi larvatum cultum nudae vis, ruinam omnis dignitatis et prosperitatis in sociali vita, definitivam degradationem personae humanae in partem massae.

G. Gundlach, S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

9 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Litterae apostolicae 10 nov. 1942, quibus Exc.mus P. D. Thomas Tien vicarius apostolicus de Tsingtao constituitur (*AAS* xxxv [26 ian. 1943] p. 26).

B — Litterae apostolicae *Exponendum Nobis curavit,* 11 iunii 1941, quibus basilicae minoris honoribus decoratur dathedrale templum Birmingamiensis archidioecesis (*AAS* xxxv [20 mart. 1943] p. 65-66).

C — Sermo quem SS.mus D. N. Pius Pp. XII habuit die 24 decembris anni 1942, in pervigilio Nativitatis D. N. Iesu Christi, adstantibus Em.mis PP. DD. Cardinalibus et Exc.mis DD. Episcopis ac Romanae Curiae Praelatis (*AAS* xxxv [26 ian. 1943] p. 5-9).

D — Nuntius radiophonicus a Summo Pontifice die 24 decembris anni 1942, in pervigilio Nativitatis D. N. Iesu Christi, universo orbi datus (*AAS* xxxv [26 ian. 1943] p. 9-24).

E — Litterae apostolicae *Decimo tertio saeculo,* 6 ian. 1943, quibus templum paroeciale Florentinae civitatis in honorem S. Marci Deo dicatum titulo basilicae minoris ornatur (*AAS* xxxv [20 mart. 1943] p. 66-68).

F — Allocutio a Summo Pontifice habita dei 21 mensis februarii anni 1943, VII ineunte anno Pont. Academiae Scientiarum, adstantibus Em.mis PP. Cardinalibus, Exc.mis Exterarum Nationum Legatis et eiusdem Academiae sociis, aliisque Romanae Curiae Praelatis praeclarisque viris (*AAS* xxxv [20 mart. 1943] p. 69-79).

G — Epistula *Pulcherrimum sane,* 24 febr. 1943, ad Em.mum P. D. Petrum tit. Sanctae Crucis in Hierusalem S. R. E. Presbyterum Cardinalem Fumasoni Biondi, Praefectum S. Congregationis de Propaganda Fide (*AAS* xxxv [20 mart. 1943] p. 81-82).

10 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide

Decretum 12 ian. 1943, quo decernitur vicariatum apostolicum Orae Benini deinceps ab urbis Lagos, ubi Ordinarius residet, nomine vicariatus apostolici Lagosensis appellandum esse (*AAS* XXXV [20 mart. 1943] p. 81-82).

11 - Sacra Congregatio Rituum

Causae beatificationis et canonisationis

1 — *Ruremonden.* Decretum 10 iul. 1942, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis Servi Dei Arnoldi Janssen, fundatoris Societatis Verbi Divini nec non duarum Congregationum, Missionalis Servarum Spiritus sancti, et Servarum Spiritus sancti de Adoratione perpetua (*AAS* XXXV [26 ian. 1943] p. 27-30).

2 — *Ruthenen.* Decretum 6 dec. 1942, Super dubio: An signanda sit commissio reassumptionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, canonisationis B. Mariae Gulielmae Aemiliae de Rodat, Virginis, fundatricis Congregationis a Sacra Familia (*AAS* XXXV [20 mart. 1943] p. 82-83).

3 — *Pistorien.* Decretum 6 dec. 1942, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis Servi Dei Iosephi Giraldi, laici professi Ordinis Fratum Minorum (*AAS* XXXV [24 mart. 1943] p. 82-86).

4 — *Taurinen.* Decretum 6 dec. 1942, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis Servae Dei Ioannae Franciscae a Visitatione S. Mariae, in saeculo Annae Michelotti, fundatricis Parvarum Servarum a S. Corde Iesu pro infirmis pauperibus (*AAS* XXXV [20 mart 1943] p. 86-89).

5 — *Mediolanen.* Decretum 3 ian. 1943, Super dubio: An, stante approbatione virtutum et miraculorum, *Tuto* procedi possit ad sollemnem venerabilis Servi Dei Contardi Ferrini beatificationem, beatificationis et canonisationis eiusdem venerabilis Servi Dei Contardi Ferrini, viri laici, professoris Athenaei Papiensis et aliorum (*AAS* XXXV [20 mart. 1943] p. 89-91).

12 - Sacra Paenitentiaria Apostolica
Officium de Indulgentiis

Decretum 9 febr. 1943 quo oratio ad ss.mam Trinitatem « Sanctissima Trinitas, adoramus Te et per Mariam rogamus Te. Da omnibus unitatem in fide eamque fideliter confitendi animum » indulgentiis ditatur (*AAS* XXXV [20 mart. 1943] p. 92).

13 - Provisiones ecclesiarum

Decretis S. Congregationis Consistorialis nominati sunt:

29 Dec. 1942, Exc.mus P. D. Gregorius Modrego Casaus, cathedrali ecclesiae Barcinonensi.

29 dec. 1942, Exc.mus P. D. Franciscus Barbado Viejo, hactenus episcopus Cauriensis, cathedrali ecclesiae Salmantinae.

29 dec. 1942, R. D. Raphael García et García De Castro, cathedrali ecclesiae Giennensi.

29 dec. 1942, R. D. Raymundus Iglesia Navarri, cathedrali ecclesiae Urgellensi.

29 dec. 1942, R. D. Emeterius Echeverria Barrena, Prior Quatuor Ordinum militarium in provincia Cluniensi.

9 ian. 1943, R. D. Ferdinandus Gomes dos Santos, cathedrali ecclesiae Penedensi.

9 ian. 1943, R. P. Gregorius Alonso, Ordinis Recollectorum S. Augustini, praelatus praelaturae *nullius* Maraiensis.

13 ian. 1943, R. D. Henricus Pinson, cathedrali ecclesiae S. Flori.

22 ian. 1943, Exc.mus P. D. Aegidius Aloisius Lanzo, hactenus Auxiliaris Em.mi P. D. Henrici S. R. E. Cardinalis Sibilia, episcopi Sabinensis et Mandelensis, cathedrali ecclesiae Salutiarum.

22 ian. 1943, R. D. Aemilius Baroncelli, cathedrali ecclesiae Verulanae.

26 ian. 1943, Exc.mus P. D. Iosephus Kolb, metropolitanae ecclesiae Bambergensi.

11 mart. 1943, Exc.mus P. D. Marius Vianello, hactenus episcopus Fidentinus, archiepiscopali ecclesiae Perusinae.

Decretis S. Congregationis de Propaganda Fide nominati sunt:

15 oct. 1942, Exc.mus P. D. Thomas Pothkamuri, hactenus episcopus Gunturensis, cathedrali ecclesiae Bangalorensi.

10 nov. 1942 R. D. Paulus Ro seu Okatomo, sacerdos cleri saecularis Coreani, vicarius apostolicus de Séul seu Keijo.

17 dec. 1942, R. D. Ernestus Tweedy, archiepiscopali ecclesiae Hobartensi.

18 dec. 1942, R. P. Marcus Lacroix O. M. I., vicarius apostolicus Sinus de Hudson.

12 ian. 1943, R. D. Hugo O'Neill, coadiutor cum iure successionis Exc.mi P. D. Iacobi Whyte, episcopi Dunedinensis.

12 ian. 1943, R. D. Thomas Niu, cleri indigenae sacerdos, vicarius apostolicus de Yangku.

12 ian. 1943, R. P. Laurentius Déprimoz, Missionariorum Africae sodalis, coadiutor cum iure successionis Exc.mi P. D. Leonis Classe, vicarii apostolici de Ruanda.

12 ian. 1943, R. P. Thomas Hughes, Societatis pro Missionibus ad Afros presgyter, vicarius apostolicus Ondo-Ilorinensis.

13 ian. 1943, R. P. Alfonsus Escalante, e Societate de Maryknoll pro Missionibus exteris, vicarius apostolicus de Pando.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

Peter Browe S. J., *Die Judenmission im Mittelalter und die Päpste* (Miscellanea Historiae Pontificiae edita a Facultate Historiae Ecclesiasticae in Pontificia Universitate Gregoriana, vol. VI, Collectionis n. 8), Romae (Libreria S.A.L.E.R.), 1942, 16×24 cm., 325 p.

Die Missionsmittel: Die Zwangspredigten. Die Streitreden. Die Streitschriften. Die Einwirkung durch die Liturgie und das Gebet. Die Taufe als Missionsmittel. Die Mittel nach der Taufe. *Die Erfolge der Mission*: Die Geschichte der Erfolge. Die Gründe für den geringen Erfolg der Judenmission.

Paul Bruin, *Beruf und Sprache der biblischen Schriftsteller*, Romae (Herder), 1942, 15,5×21 cm., 109 p.

Lukas der Arzt. Eigenart des Inhaltes. Eigenart des Stils im Evangelium und in der Apostelgeschichte: Krankenheilungen, Dämonenaustreibungen, Totenerweckungen, Medizinisches in anderen Erzählungsabschnitten. *Matthäus der Zöllner. Johannes der Fischer. Paulus der Zelttuchweber. Jakobus der Landmann und Judas sein Bruder. — Hagiographenberuf und Hagiographensprache im Alten Testament.*

II - E Periodicis

ANALECTA ORDINIS CARMELITARUM DISCALCEATORUM, XVII (1942), fasc. III-IV (iul.-dec.) — *Litterae pastorales* (A. R. P. Praepositi generalis) *ad universum Carmelitarum discalceatorum Ordinem recurrente IV centenario a nativitate Sancti Patris N. Ioannis a Cruce*, p. 157-169.

ANALECTA SACRI ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM XXVI, Anno 51 (1943), fasc. I (ian.-febr.) — *Litterae*

encyclicae (A. R. P. Magistri generalis) *de doctrina S. Thomae in Ordine tradenda,* p. 5-58.

COMMENTARIUM PRO RELIGIOSIS ET MISSIONARIIS, XXIII (1942), fasc. V-VI (sept.-dec.) — X. M. Paventi, *De origine iuramenti atque tituli missionis,* p. 276-291.

IL DIRITTO ECCLESIASTICO, LIV (1943), n. 1-2 (genn.-febbr.) — Carlo A. Ferrero di Cavallerleone, *L'ordinamento giuridico nella parola del Pontefice,* p. 1-4.

PALESTRA DEL CLERO, XXII, (1943), vol. I, fasc. 7 — Giuseppe Cavazzana, *La giurisdizione straordinaria nel codice di Diritto canonico,* p. 99-102 — Fasc. 9 (20 marzo) — Continuatio eiusdem articuli, p. 129-134.

PASTOR BONUS (Roma, VII (1943), fasc. 2 (febr.) — G. Oesterle OSB, *De iuribus parochorum iuxta codicem iuris canonici* (*continuatio*), p. 77-88.

PASTOR BONUS (Trier), LIII (1942), fasc. 11/12 (nov.-dez.) — Fritz Tillmann, *Ueber « Frömmigkeit » in den Pastoralbriefen des Apostels Paulus,* p. 161-165.

SAL TERRAE, XXXI (1943) n. 4 (abr.) — Severiano del Páramo, *Multi sunt vocati, pauci vero electi,* p. 211-218.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE MENDACIO INIUSTO

Non est in animo asserere omne mendacium esse iniustum seu continere malitiam laesae iustitiae commutativae. Hoc enim solus asserere potes is, qui voluntatem alium decipiendi ad naturam seu essentiam mendacii pertinere contendit, contra multos illos gravesque auctores, qui id negandum esse censeant. Seposita ergo hac quaestione et supposita doctorum sententia communi mendacia saltem aliqua laedere iustitiam commutativam, quaerendum esse putamus, quibusnam mendaciis seu locutionibus contra mentem eiusmodi insit malitia (sive gravis sive saltem levis) [1].

I. Iustitia *commutativa* laeditur, (saltem) ratione finis qui intenditur, iniusti, illis mendaciis, quibus laeditur *alterius ius strictum ad percipiendam* ex ore mentientis veritatem: tunc enim laeditur illa stricta aequalitas arith-

---

[1] Laedi omni vero mendacio *a*) virtutem **veracitatis**, patet et ab omnibus conceditur. Item nemo negat: *b*) mendacio illo, quo alius iuste contristatur, laedi **caritatem**; *c*) eo mendacio, quo contra praeceptum legitime praecipientis loco veritatis enuntiatur falsum, laedi **obedientiam** (sive generalem illam, quae inest cuilibet peccato, sive illam specialem, quando mendacium profertur ex contemptu praecepti vel praecipientis); *d*) illo mendacio, quo peccatur contra cultum superioribus debitum, quando videlicet homo mentiendo vult negare superioris excellentiam suamque ab eodem dependentiam, laedi virtutem **observantiae**; *e*) illo mendacio, quo negatur cultus Ecclesiae, parentibus, patriae debitus, laedi virtutem **pietatis**.

metica vel (quoad res incorporeas) quasi-arithmetica, quae est propria iustitiae commutativae. Id obtinet:

1. quando possessor malae fidei affirmat rem, quam scit esse alienam, esse suam; hoc enim mendacio vult efficere, ut illius rei dominus ius suum strictum non obtineat; — idem dicendum est de possessore dubiae fidei affirmante rem illam esse certe suam quam scit probabiliter esse alienam;

2. quando damnificator iniustus et theologice culpabilis mentiendo negat, se alteri damnum intulisse, *et hac ratione* laedit damnificati ius; hoc enim mendacio laedit damnificati ius strictum postulandi restitutionem sibi iure stricto debitam;

3. quando in negotiis iuridicis, cuiusmodi est v. g. emptio-venditio, mendacio impeditur iusta pretii cum merce comparatio; nam in eiusmodi negotio necessario appetenda et obtinenda est aequalitas arithmetica inter mercem et pretium; ideoque uterque contrahens implicite ad eandem obtinendam sese obligat alterique contrahenti tradit — quatenus necessarium est — ius ad eundem finem obtinendum; unde fit, ut, si mendacio causetur error substantialis, contractus sit invalidus, - - si accidentalis, contractus evadat rescindibilis, quatenus videlicet venditor iniustitiam mendacio suo contra emptorem commissam eo reparare debet, quod illi concedat ius a contractu inito resiliendi;

4. quando in iudiciis de causis iustitiae commutativae, ubi nempe agitur de iuribus dubiis determinandis vel de iustitia laesa reparanda, mendacium contra huiusmodi finem dicitur; nam iste finis obtineri nequit, si *iudex non gaudet iure stricto cognoscendi* veritatem ex ore tum actorum tum testium: quare hi omnes tenentur ex virtute iustitiae commutativae *non negare veritatem, circa quam iuste interrogantur;* mentiendo autem eandem laedunt [2].

---

[2] *a*) In iudiciis criminalibus, quibus nullo modo

II. Violatur iustitia commutativa, si mendacio *impeditur ius strictum* quod quilibet habet ad sibi *procuranda* vel retinenda illa bona, quae natura seu Creator omnibus vult esse communia, cuiusmodi sunt « vita, sanitas, libertas, fama » (*Noldin-Schmitt*, De praeceptis[27] n. 370). Unde qui v. gr. pauperem extrema necessitate laborantem impediret ab occupatione panis alieni, mendaciter dicendo hunc panem esse veneno infectum, laederet iustitiam commutativam.

Idem sine dubio dicendum est de illo mendacio, quo homo impeditur ab illis doctrinis cognoscendis, quarum cognitionem Deus vult esse omnibus communem. Sunt enim aliquae veritates (imprimis e revelatione naturali principia moralia universaliora, ex revelatione supernaturali illae veritates, quae necessitate medii ab omnibus explicite credendae sunt), quas Deus magis quam sanitatem, libertatem, famam vult esse omnibus hominibus communes. Et si iustitia commutativa prohibet mendacia impedientia assecutionem vel conservationem illorum bonorum temporalium, certe eadem iustitia prohibet mendacia, quibus assecutio vel conservatio harum veritatum impeditur[3].

---

agitur de reparanda iustitia commutativa, sed de sola punitione rei vel absolutione innocentis, veritas a testibus per se non est manifestanda vi iustitiae commutativae, sed vindicativae (quae ab aliis revocatur ad legalem, ab aliis ad distributivam, ab aliis ut specialis virtus « vindicationis » statuitur (cf. *Noldin-Schmitt*, De principiis[26] 1939, n. 275). Attamen ille testis, qui mendaciis suis causat innocentis condemnationem, huiusce laedit ius strictum non patiendi damnum ex alterius malitia.

b) Ius, quod habent parentes educandi prolem, non pertinet ad iustitiam commutativam, quia non iustitiae, sed « gravi pietatis officio tenentur alendi et instituendi liberos » (*A. Vermeersch*, Theol. mor. II[3] n. 275). Unde si pueri mentiendo laedunt ius educandi parentibus insitum, non laedunt iustitiam commutativam, sed pietatem, nisi mentiendo simul laedant parentum iura quoad bona sua interna, externa, mixta.

[3] Hinc non sequitur, quemlibet hominem virtute iustitiae commutativae teneri ad communicandas cum ignorantibus illas veritates; nam etiam ius circa bona temporalia « non ita intellegendum est, quod dives extreme indigenti ea conferre teneatur, quibus indiget, sed ita, ut teneatur non impedire eum, qui in

A veritate non aberrare videtur ille, qui hanc iustitiae commutativae obligationem extendit ad omnes illas veritates (sive rationis sive revelationis), quae e Dei voluntate sive ab omnibus hominibus, sive a diversarum classium membris cognoscendae sunt, etsi non ita necessariae sint, ut sine earundem cognitione finis ultimus obtineri nequeat. Ita *J. de Lugo* (De iustitia et iure. Disp. 1, sectio 1, n. 5) dicit, iniuriam gravem committi ab eo, qui alium falsum doceat de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, de gratuitate gratiae efficacis[4]. Lugo et Noldin sibi tamen videntur adversari, Lugone dicente « iniuriam *gravem* committi », Noldin affirmante « *gravem* iniuriam generatim non committi ».

III. Mendacio illo laeditur iustitia commutativa, quo quis impeditur ab *assequendo corporali bono aliquo licito, etsi non necessario.*

Consentiunt hac in re theologi. At iuxta *Génicot-Salsmans* mendacium nonnisi « probabilius » laedit iustitiam, si alter « per tale medium proxime seu per causam per se ... inique impeditur a consequendo bono, ad quod ius inchoatum quoddam ex voluntate benefactoris habet (*Génicot-Salsmans*, Instit. Theol. mor. I[13] (1936) n. 515 nota). Attamen doctrina haec non tantum probabilior, sed certa est; nam sine ullo dubio quilibet homo per se habet ius strictum bona legitime acquirendi, v. g. recipiendi ab alio dona; atqui hoc ius inique impeditur mendacio, quo e. g. donatarius apud donatorem ut donatione indignus vel tanquam dono non indigens exhibetur. Bene *A. Lehmkuhl* (Theol. mor. I[12] n. 1162): « Si quis impeditur a consequendo bono, quod iuris quidem titulo reclamare non potuit, potuit vero licite accipere, in illo iure laeditur, quod

---

extremo periculo de necessariis sibi provideat » (*Noldin-Schmitt*, l. c.).

[4] Alii mitius, ut v. g. *Noldin-Schmitt*, De praeceptis n. 464, 2, C: « Qui alium fraude induxit in errorem speculativum, e. g. non esse purgatorium, gravem iniuriam generatim non committit, nisi versetur circa praecipua dogmata fidei, vel errores sint multi magnique momenti ».

quilibet habet bona legitime acquirendi. Habuit igitur ius ad bonum illud non immediate quidem, sed remote, mediate, hypothetice, mediante nimirum alterius voluntate benefica. Si quis vero a consequendo bono excluditur, quod solo peccato sive suo sive alieno accipere potuit, neque immediate, neque mediate et remote ius ullum habuit ». Similiter *Noldin-Schmitt*, De praec.[27] n. 430, et auctores communiter.

Notandum est hanc doctrinam, salvo meliore iudicio, probabiliter non pendere a quaestione infra solvenda, utrum mendacium sit ex sese laesio iustitiae commutativae (v. g. quatenus privat audientem libertate agendi), sed in eo fundari, quod quilibet habet ius strictum, ne « in illo iure vel in usu illius iuris laedatur, quod quilibet habet bona legitime acquirendi » (*Lehmkuhl*, supra), per actionem quamcumque praesertim ex natura sua malam, quae est ratione sui seu per se (non per accidens tantum) directa et vera causa dictae laesionis; atqui ex supposito mendacium, dictum ad impediendum exercitium illius iuris, est actio mala ex natura sua (utpote laedens veracitatem), quae directe ut vera causa laedit ius alterius bona legitime acquirendi (seu usum huius iuris).

Nec dici potest, ita agentem uti iure suo, nam habere potest ius ponendi actionem, qua non immediate et per se ius alterius laeditur, non vero actionem, praesertim in se malam, immediate et per se laesivam iuris alterius.

Si hoc mendacium non esset causa, qua illud ius directe et per se, sed tantummodo indirecte et per accidens laederetur, ex *Lugonis* sententia (quae tamen non ab omnibus admittitur), esset nihilominus causa per se, quia ex supposito dicitur ex intentione alteri nocendi.

A pari, immo a fortiori ille committit mendacium perniciosum (contra iustitiam commutativam), qui alium mentiendo impedit a discenda doctrina, quam legitime acquirere potest; sunt enim bona spiritualia maioris valoris et utilitatis quam temporalia. Unde sapienter *Nol-*

din-Schmitt, De praeceptis[26] n. 464, 2 d: « Idem [videl. iniustitiam committi et restitutionis obligationem induci] dicendum est, si quis alium vi, metu, fraude a studio litterarum vel artium avertit aut scientia vel arte acquisita uti non sinit ».

IV. Illud quoque mendacium est contra iustitiam commutativam, quo quis illegitime *privatur libertate sese determinandi vel agendi.* Ex hac enim ratione auctores saepe repetunt argumentum, quo probetur iniustitia mendacii impedientis aliquem a legitima boni acquisitione. Secundum L. *Wouters* « fraus et mendacium iniusta sunt; quatenus aeque ac metus alium libertate agendi privant » (Manuale Theol. mor. I n. 996, nota 1); et *A. Vermeersch* dicit mendaces committere iniustitiam, « si et quatenus tollant deceptione libertatem actionis, ut si quis deceptus de tempore non possit appellare a sententia, vindicare ius praescriptum » (Theol. mor. I[3] n. 536).

Supponunt ergo auctores, hominem quemlibet ita gaudere iure stricto ad usum liberi arbitrii, ut, qui alium invitum ab hoc usu illegitime impediat, violet iustitiam commutativam. Et revera inter bona, quae Deus vult omnibus esse communia, recensetur etiam « libertas » (*Noldin-Schmitt,* l. c. n. 464). Iamvero, si mendacio obtenebratur intellectus ita, ut de appetibilitate alicuius actionis vel omissionis rite iudicare nequeat, consequenter et necessario impeditur a convenienti usu liberi arbitrii. Hac ratione homini verum damnum (proxime et per se spirituale) infertur, quod est contra iustitiam, « cum dictante ita omnibus rationis lumine, nemo damnum habere debeat ob malitiam alterius » (*Wirceburgenses* III[2], De iure et iustitia, Diss. VI. cap. 2. De restitutione, art. 1). Unde recte *A. Vermeersch* (Theol. mor. II[3] n. 551): Iniuriae circa libertatem reus « est vir privatus, qui alterum vel physica vi liberis gressibus aut actionibus prohibuerit, vel moraliter iniustis minis quaedam facere vel omittere coegerit, vel fraude liberas eius electiones impedi-

verit... Iniuriosus quoque est, qui personam non consentientem v. g. per abusionem hypnotismi suis iussionibus subdit. Debet is ex iustitia personam istam aptis mediis sui iuris reddere ». Item *A. Lehmkuhl* (Theol. mor. I[12] n. 1161): « Media iniusta, quorum usus in proposita quaestione restitutionis obligationem secum trahit eiusmodi sunt: vis, fraus, dolus, mendacium, iniusta detractio »: ergo mendacium de se seu antecedenter ad impeditionem efficacem boni assequendi est medium iniustum, — quae iniustitia (etiam) in eo cernitur, quod mendacio impeditur usus libertatis. Recte *Noldin-Schmitt* (l. c. n. 430, 2): « Notandum est non solum fraudes, mendacia et criminationes, sed etiam importunas preces et blanditias molestas, quibus alterius libertas impeditur, esse media iniusta »[5].

V. Ulterius progrediendo statuimus, mendacium non illud tantum esse maculatum iniustitia, quo libertas electionis vel actionis impeditur, sed illud quoque, quo *audiens* illegitime (spectato solo ordine iustitiae commutativae), *mere decipitur*. Argumentum valde simplex est hoc: Illa actio (v. gr. percussio, calumnia) est sensu stricto iniusta, per quam tanquam causam per se alteri rationabiliter

---

[5] Inde, quod importunae preces et blanditiae, utpote libertatem impedientes, recensendae sunt inter media (de se) iniusta minime sequitur moderatas preces et blanditias, quibus homo v. g. ab oratore, contionatore ad bene vivendum vel benefaciendum inducitur, esse media de se iniusta seu libertatem impedientia; etenim moderatae preces et blanditiae libertatem non tollunt: utique si essent ita immoderatae, ut libertatem tollerent, essent revera media de se iniusta et tunc solum adhiberi possent sine iustitiae laesione, si necessaria essent ad sui aliorumve defensionem contra iniustum aggressorem (similiter ut alterius percussio, vulneratio, occisio, quamvis actiones per se iniustae, hanc iniustitiae rationem amittunt, si servato moderamine inculpatae tutelae, adhibentur ad sui aliorumve defensionem contra iniustum aggressorem). Illa autem libertatis aliqualis diminutio per moderatas preces et blanditias ad bonum incitantes etiam ideo non sunt contra iustitiam, quia alter non est rationabiliter invitus. Ideo Christus Dominus noster et ipse motiva quam efficacissima protulit et huiusmodi motiva apostolis proferre mandavit.

invito (*id est rationabiliter non renuntianti iuri suo*) *proxime* damnum infertur.

Atqui eiusmodi est omne mendacium, quo alterius rationabiliter inviti deceptio (sive ut medium sive ut finis) intenditur. Ergo omne mendacium, quo alterius rationabiliter inviti deceptio (ut medium vel finis) intenditur, est actio sensu stricto iniusta.

Ad maiorem: Per se patet 1) illa actione iustitiam non laedi, qua alterius volentis et consentientis damnum eligitur vel intenditur;

2) item patet, damnum interdum alteri (irrationabiliter) invito inferri posse legitime absque iustitiae violatione, ut v. g. legitima punitione;

3) demum patet, actione ea, quae est damni causa non per se, sed per accidens, vel damni mera occasio, (praescindendo ab iniusta intentione), strictam iustitiam non laedi.

His suppositis maior probatione non indiget et ab omnibus conceditur. Probanda est *minor* et revera efficaciter ita demonstratur:

Mendacio, quo alterius (rationabiliter inviti) deceptio intenditur, huic alteri infertur a) damnum b) tanquam per causam per se.

1) *Inferri* (saltem affective, etsi non semper affective) errorem, in liquido est. *Errorem* autem esse *damnum* (etsi error sit mere speculativus et sine ulla sequela quoad libertatem determinationis vel secuturae actionis) quisnam neget? Recte *D. Prümmer* (Man. Theol mor. II[2-3] n. 169): «Inducere alium in errorem est nocere illi. *L. Wouters* (Man. Theol. mor. I, n. 1065, 3 b): « Restrictio late mentalis, cum qua coincidit aequivocatio, per se illicita est; adversatur enim sinceritati, atque de facto passim audientem in errorem ducit»; ergo restrictio ob deceptionem ideo illicita est, quia deceptio est damnum. Secundum *A. Lehmkuhl* (Theol. mor. I[12] n. 917) mendacium illicitum est, quia est « plerumque etiam proximi deceptio, qua ei aliquod

malum, scil. error causatur »; et (Casus I n. 450): Mendacium damnosum « praeter errorem mere intellectualem aliud damnum causat ». *I. d'Annibale* (Summula Theol. mor. II², Tract. VII De iniuriis et restitutione, Cap. IV, De iniusta laesione bonorum, quae ad animam pertinent): « Nocet, qui decipit... Decipit autem, qui errores docet et qui mentitur aut simulat ». *J. Costa-Rosetti* (Instit. Ethicae et Iuris naturae, 1883, pag. 251) « Error », ait, « est malum physicum intellectus et privatio veritatis logicae, quae eum perficit et ornat; quare error est macula spiritualis in imagine Dei naturali ». *Fr. Koessing* (Ueber die Wahrheitsliebe 1. Abt. 1893, p. 210 ss.) dicit errorem non esse, sicut ignorantiam, meram carentiam alicuius perfectionis, sed verum animi damnum et aliquod malum, etsi alias funestas sequelas non habeat; alios decipere esse iniustitiam, et non solum caritatis laesionem. Idem auctor affert verba *Pauli Laymann* (Theol. mor. l. 4. tract. 3 c. 13 n. 8): « Qui mentitur, is alteri locutione falsa errorem ingenerare vult, id autem est per se malum et alienum a ratione. Quia sicut veritas est propria humanae mentis perfectio, ita falsitas omnis est dehonestatio et dedecus eiusdem: id vero in altero efficere sive alterius mentem ad Dei similitudinem conditam dehonestare, intrinsece malum est, ita ut nec Deus veritatis auctor et falsitatis osor talem facultatem dare possit ». Quae eadem verba refert Koessing ex *C. Billuart. J. de Lugo* (De iustitia et iure, Disp. 9, Sectio 1, n. 3) haec habet: « Quando vero error est mere speculativus, videtur, quod adhuc deceptio illa sit iniuria et afferat obligationem restituendi, quia licet non inferat aliud distinctum malum consequens, ipsa tamen deceptio est mala, cum afferat errorem positivum, quod est magnum malum intellectui; peius enim est errare positive, quam ignorare per ignorantiam mere negativam. Si ergo esset iniuria gravis reddere aliquem ineptum ad scientiam aliquam acquirendam et per vim vel fraudem cogere illum ad hoc, ut maneât idiota et ignarus, gravius erit, si eum reddes

non solum ignorantem, sed positive errantem; unde aliqui universaliter dicunt, eum, qui falsam doctrinam docuit, teneri ex iustitia revocare proximum ab errore, et iniuriam irrogare decipiendo. *Navarra,* lib. 2 de restit. c. 2, n. 3, *Caietanus* in Summa, verbo 'Restitutio', 3, q. 1... *Aragon* in praesenti q. 62, art. 2, *Ledesma* 2, part. 4 q. 18, art. 2, dub. 1, qui id explicat etiam de docente falsum in speculabilibus...

Idem videntur docere *Armilla* verbo 'Magister' n. 1 et verbo 'Contendere', num. 1, *Alcozer* in Summa, cap. 27 de peccatis magistrorum... Ceterum in eiusmodi obiectis mere speculativis existimo, communiter loquendo, non intervenire iniuriam gravem... Ratio est, quia licet quilibet error positivus sit aliquod malum intellectuale, est tamen malum parvi momenti; quid enim refert rustico, si ei persuadeas sidera esse paria. Alioquin peccarent graviter contra iustitiam, qui nova falsa circa res indifferentes et quae aliud nocumentum non afferunt, aliquibus narrant, quod quidem nimis durum esset». Ergo de Lugo sentit mendacia circa res quascunque, etiam indifferentes, esse laesiones iustitiae.

Quod de Lugo hanc suam expositionem haesitanter (dicendo «videtur») profert fortasse inde explicandum est, quod theologos non noverit, qui ante ipsum eandem hanc doctrinam tam explicite et tam clare proposuerint. Ita v. g. *S. Thomas* 2, 2, q. 110, a. 4 c dicit quidem: «Si... falsa opinio ex mendacio generata sit circa aliquid, de quo non referat, utrum sic vel aliter cognoscatur, tunc ex tali mendacio *damnificatur* proximus: sicut si quis fallatur in aliquibus particularibus contingentibus ad se non pertinentibus; unde tale mendacium secundum se non est peccatum mortale». Similiter 2, 2, q. 110, a. 3 ad 4. obiectionem, quod «minus *nocumentum* est, quod aliquis generet falsam opinionem in animo alicuius, quam quod aliquis occidat vel occidatur; ergo licite potest homo mentiri, ut unum praeservet ab homicidio et alium praeservet a morte» respondet: «Mendacium non solum habet rationem peccati ex *damno* quod infertur proximo, sed ex sua inordinatione». Ergo S. Doctor asserit mendacio, quo quis decipitur, etsi tantum in rebus parti-

cularibus contingentibus ad se non pertinentibus, proximo inferri damnum (id quod nobis pro hoc probationis loco satis est); sed nullibi docet hac damnificatione peccari contra iustitiam stricte dictam — et hinc intellegi potest, quod J. de Lugo suae expositioni limpidissimae inserat illud « videtur »[6].

2) Mendacium, quo proximo damnum intellectuale infertur, esse huius damni *causam per se* et *proximam* inde patet, quod verba ex n a t u r a s u a et *proxime* conceptus causant in mente audientis tanquam instrumentales loquentis causae.

N e v e d i c a t u r errorem eo demum in audiente oriri, quod hic *velit* credere, ergo mendacium esse deceptionis aut meram occasionem, ad cuius praesentiam audiens ipse errorem concipiat, — aut causam mere per accidens. Verum quidem est audientis errorem eo fieri perfectum, quod audiens ipse libere affirmet rem ita esse, ut eam esse loquens affirmat. At hoc non impedit, quominus mendacium sit erroris causa per se; nam hoc sequitur *a*) ex absurdis obiectionis sequelis: si res ita se haberet ut obiectio asserit, praeter illud mendacium, quo negatur veritas, ad quam ex ore loquentis percipiendam interrogans habet ius strictum, nullum mendacium esset contra iustitiam et nullam induceret obligationem restitutionis, etenim in quocunque mendacio error in audiente formaliter gignitur per liberum audientis consensum; *b*) audiens per se habet obligationem saltem in rebus, a quibus multa bona et multa officia pendent — non suspendendi suum consensum, sed credendi iuxta axioma: « Nemo malus (mendax), nisi

[6] Iustos limites excedere videtur *M. Liberatore* (Ethicae et iuris naturae elementa[3], P. 2, p. 60), cuius haec verba Koessing (p. 204) affert: « Ad id enim sermo institutus natura est, ut animi sensa cum aliis communicemus. Proinde vi ordinis naturae is, qui nobiscum loquitur, ius acquirit verum capiendi ex sermone, quem cum ipso communicamus. Huius igitur ius laedimus, si mentiendo aliud mente agitamus, aliud foris exprimimus ». Assertum auctoris ita distinguendum esse videtur: Qui mecum loquitur et cui loquor habet aliquod ius s p e r a n d i ex me cognoscere verum, concedo; ius strictum cognoscendi verum, nego, secus mihi non liceret servare secreta.

probetur ». Ergo mendacium (eius qui hanc audientis novit obligationem) sine dubio est saltem concausa erroris nascentis, idque non minus quam vis et metus, quibus ita extorquetur voluntatis determinatio, ut haec sit involuntaria secundum quid (cf. *J. de Lugo*, De iustitia et iure. Disp. 1, sectio 1, n. 22).

3) Generatim homo *rationabiliter invitus patitur deceptionem*, id est rationabiliter non renuntiat iuri, quod habet strictum, non patiendi bonis suis illegitime illatum damnum. Possunt quidem occurrere adiuncta, in quibus absque iustitiae laesione alteri, utpote irrationabiliter invito damnum inferre licet, ut supra dictum est, sed tunc ipsum mendacium caret, non quidem macula laesae veracitatis, attamen macula laesae iustitiae, v. g. ubi mendacium necessarium videretur contra iniustum aggressorem alicuius secreti. Quare, si ex eiusmodi mendacio iniustus aggressor errorem pateretur in intellectu, immo etsi alia quoque subire deberet damna, mendax ad haec resarcienda non esset obligatus. Quoad mendacium *iocosum*, quo alterius deceptio intenditur, facile accidere potest, ut deceptus non sit invitus quod attinet damnum erroris sibi illatum, quamvis forte sit invitus quoad laesionem veracitatis a loquente commissam. Unde si mendacio iocoso alterius error neque intenditur neque inducitur, de iustitiae laesione sermo esse nequit. A quaestione, utrum tale mendacium nomen mereatur mendacii necne, hic abstrahimus; sunt qui id asserant, sunt qui id negent.

Unde probata et maiore et minore argumenti, verum est assertum supra positum: Mendacium non illud tantum est maculatum iniustitia, quo libertas electionis vel actionis impeditur, sed illud, quoque, quo audiens mere speculative decipitur. Quare huiusmodi mendacium aequiparandum est vulneri iniuste inflicto, quemadmodum ut vulnus concipitur proiectio sordium in proximi faciem et oculos, quae consideratur (etiam abstrahendo a laesione honoris) tan-

quam laesio iniusta, quamvis forte facultas videndi ut talis inde detrimentum non capiat.

Quare assentiendum est *Herculano Oberrauch* (Institutiones iustitiae christ. s. Theol. mor. Oenip. 1774, P. 1, § 322; apud Koessing l. c. pag. 209): « Cum quilibet intellectus ex natura sua atque connata habilitate ad veritatem apprehendendam seu, quod idem est, ad verum concipiendum formatus factusque sit, ita ut ista ad veritatem destinatio sit ipsissimus intellectus, facile apparet, quod veritas sit unicum *bonum* intellectus, ignorantia et, quod cum ignorantia incidit, dubium eiusdem imperfectio, *falsitas* vero eiusdem *verum* et unicum malum; ut adeo veritatem intellectui ostendere, sit beneficium aliquod in eundem collatum, eandem abscondere negatio beneficii, *errorem* demum eidem inicere, *certa iniuria* ».

Aliter sentit *J. Costa-Rossetti,* (Instit. Ethicae et Iuris naturae, pag. 287) cui adhaerent alii: « Violare officium veracitatis per mendacium innocuum (iocosum, officiosum, utile) est quidem intrinsece malum, sed non privat alterum bono utili vere proprio; nam non quilibet error, etsi malum physicum est, privat hominem bono utili, nam 1) sunt veritates, quas cognoscere in hac vita inutile vel nocivum esse potest; b) error omnis est practicus aut speculativus; error practicus quidem privat bono utili et vere proprio, quatenus malum ab errore distinctum, e. g. damnum pecuniae, producit; error speculativus vero est aut eiusmodi, ut usum utilem et liberum intellectus impediat, qui est bonum utile vere proprium..., aut est ita nullius momenti, ut hunc usum utilem et liberum intellectus non impediat, et tunc mendacium, eius causa, soli veracitati opponitur, e. g. si quis dicat rustico numerum stellarum esse certo parem, vel duas muscas esse a se visas, cum unam solam viderit ». Iuxta hanc opinionem, « malum physicum » homini (invito) inferre *per se* non est laesio iustitiae commutativae. Procedit Costa-Rosetti e conceptu iustitiae nimis restricto, quem mutuasse asserit (pag. 282) a J. de Lugo (Disp. 1, s. 1, n. 5 sqq.); at Lugo docet (ut vidimus supra p. 234) simplicem errorem speculativum alicui inicere esse laesionem iustitiae commutativae. Iuxta Costa-Rosetti « Criterium officiorum iustitiae commutativae est eorum materia: bonum utile alterius ipsi vere proprium »

(Thesis 104, pag. 282 sq.). Iam quaeritur, quid sit illud « utile », quo ablato alteri damnum vel nocumentum infertur; iuxta hunc auctorem mendacium non laedit iustitiam, si non impedit « usum utilem et liberum intellectus »; ergo (secundum eius sententiam) liberum esse ab intellectuali errore simplici (per mendacium causato) est inutile; at hoc est distinguendum: est inutile quod attinet futuras actiones, concedo; est inutile quod attinet ipsius personae humanae dignitatem in nobilissima sua facultate, nempe intellectu, nego; nam, ut ipse auctor recte docet (pag. 251), « error est malum physicum intellectus et *privatio* veritatis logicae, quae eum perficit et ornat; quare error est macula spiritualis in imagine Dei naturali, in sacrario veritatis et sanctuario Dei infinite veri. Ergo qui errorem proprium [vel alterius] intendit, hanc imaginem, hoc sacrarium vel sanctuarium Dei polluere intendit » et sic laedit personae humanae dignitatem, qua laesione carere est certe plus quam « utile », — qua laesione affici est certe iniuria.

Ceterum qua latitudine utilitatis nobis concipienda sit, ipse *Lugo*, d. 1, s. 1, n. 14 exponit, ubi dicit de potestate iurisdictionis, quae est solum in utilitatem subditi, non praecipientis (saltem per se et proxime): « Potestas tamen ipsa gubernandi subditos est bona superiori, et ideo peccat contra iustitiam, qui legitimo superiori aufert vel impedit violenter talem potestatem, quia aufert illi aliquod bonum utile et aestimabile, non minus quam si auferret divitias, vestes vel famam, cum non minus reputet superior potestatem iurisdictionis tanquam proprium bonum, quam cetera omnia, quae in suis bonis habet, et quae sunt materia iustitiae et iniustitiae ».

Iterum notare iuvat, nos abstrahere a quaestione, an locutio contra mentem, qua nemo decipitur, sit veri nominis mendacium, ut si quis e pruritu audientibus noto soleat « mentiri ». Proinde neque affirmamus, qualibet locutione contra mentem laedi iustitiam. Oblivioni non est dandum, quod est apud *A. Sabetti-F. Barrett*, (Comp. Theol. mor. 17, 1906 n. 313): « Errant sane, qui malitiam mendacii vel unice vel primario reponunt in eo, quod ius audientium laedatur. Ex hoc enim deduceretur, eum, apud quem

nullum ius proprie habemus, posse quandoque mentiri, quod plane destrueret nostram fidem. - - Cf. *Mazzella,* De virt. infusis n. 698 ». — Quoniam ergo mendacium fallens est actio de se iniusta, nova accedit ratio cur dicendus sit iustitiam stricte dictam laedere, qui mendacio alium privet libertate agendi (supra IV), qui mendacio alium impediat ab assecutione boni liciti, etsi non necessarii (supra III), qui mendacio alium impediat ab assecutione boni necessarii (supra II): cum enim hisce in casibus iustitia laedatur adhibito medio de se mere illicito, a fortiori dicenda est laesa iustitia adhibito mendacio, quippe quod est medium in se non tantum illicitum, sed etiam iniustum.

* * *

Ex laesione iustitiae mendacio per se causata oritur *obligatio restitutionis* iuxta generales regulas de restitutione facienda ob iniustam aliorum damnificationem. Qua de re sequentes possunt statui regulae (cf. praesertim *J. de Lugo,* De iustitia et iure. Disp. 1, sectio 1, n. 2-7).

1. Si mendacio causatus est error *practicus* adeo ut ob deceptionem voluntas se determinet aut ad aliquid agendum quod sine deceptione non fecisset, aut ad aliquid omittendum, quod secus non omisisset, non videtur dubium, quod decipiens sequentem actionem vel omissionem, unde decepto (vel alii) oritur aliquod damnum, debeat impedire et, si non impedit, pro secuturo damno damnificatum indemnem facere debeat, inquantum damnum praevidit: damnum grave sub gravi, si mentiendo graviter peccavit. — Hoc imprimis valet, si deceptus per errorem sese determinat ad peccandum, nam « omnes aequiparant dolum [mendacium] vel fraudem cum violentia, nec apparet, cur magis sit contra iustitiam aliquem metu cogere ad peccandum quam dolo et fraude eum decipere et inducere ad peccandum, cum sicut quilibet habet ius, ne ei vis inferatur, similiter ius habeat, ne decipiatur, ut ita extorqueatur ab ipso consensus, quem alias non praeberet, et qui proculdubio ratione ignorantiae est etiam involuntarius secundum quid, sicut quando metu consentit ». (*J. de Lugo,* l. c. n. 22). Et *de Lugo* (n. 13) tenet, eum, qui mendacio alium seducit ad luxuriam, non tantum peccare contra castitatem, sed etiam contra iustitiam, tenerique post peccatum illud commissum, item

ex iustitia, deceptum, qui ignoret remedium contra peccatum, docere de eiusmodi remedio; «nam sicut qui venenum alteri dedit, tenetur postea ex iustitia dare ei antidotum et remedium contra venenum quod sumpsit, ut hoc modo reparetur malum quod iniuste intulit, sic qui peccati venenum per vim aut dolum alteri dedit, tenetur ex iustitia ostendere ei necessitatem et periculum quod ignorat, et remedium etiam, quod necessarium est ad peccati venenum evacuandum».

2. Si mendacio causatus est error *mere speculativus a*) de re nullius vel *parvi momenti,* obligatio restituendi semper erit levis tantum, etsi forte mentiens (ob erroream conscientiam) graviter peccavit. Qui autem vult pro hoc casu affirmare saltem levem restitutionis obligationem ad removendum ex decepti intellectu malum physicum erroris, debet concedere ab hac obligatione levi dari excusationem e levi causa, v. g. quod non facile obvius sit deceptus, vel quod decipiens errorem corrigere nequeat sine aliquo sui ipsius rubore.

b) Si ex errore speculativo *grave nocumentum* infertur decepto (vel aliis), iniuria est gravis et inducit per se gravem restitutionis obligationem. Quod iuxta *J. de Lugo* (l. c. n. 5-7) accidere potest:

«primo, si obiectum illud speculativum sit de re pertinente ad fidei dogmata principalia et gravia, ut si diceres rustico, Spiritum Sanctum non procedere a Filio, sed a solo Patre, vel primam gratiam efficacem non dari gratis sed ex meritis, vel quid simile; non enim peccares solum contra fidem, sed etiam contra iustitiam, quia error ille genitus a te scienter in mente rustici, grave malum illius est propter gravitatem illius materiae».

Secundo, si ille, qui ex officio, licet non ex stipendio, sed voluntarie alios docendi curam assumpsit, «non curat de veritate doctrinae, sed pro vera doctrina docet communiter sententias falsas et improbabiles, peccaret contra iustitiam, quia instrueret mentes discipulorum, quos ex officio tenetur docere talem vel talem facultatem, erroribus et fallaciis pro vera scientia et redderet eos magis et peius ignorantes quam antea ... Secus vero dicendum esset, si probabilia saltem doceret, licet ea non crederet esse vera; satisfacit enim suo muneri probabilem doctrinam tradens, quae fortasse verior est quam opposita; alioquin vae magistris, qui quasi venalem doctrinam habent eas sententias tradendo, quae magis aptae videntur ad conciliandum sibi aliquorum benevolentiam, quorum illae sententiae esse existimantur».

Tertio peccaret mortaliter contra iustitiam, qui doceret falsa circa veritates aliquas speculativas universales, quae sunt principia et fundamenta, ex quorum errore «sequeretur non una vel altera conclusio falsa circa varias quaestiones, sed tot, ut merito discipulus magna ex parte fraudaretur acquisitione talis disciplinae, quam addiscere intendebat; tunc enim perinde esset decipere circa illud principium vel principia, sicut si deciperetur circa partem notabilem illius disciplinae, quam tradit. Secus esset, si scienter etiam falsum doceret magister circa unam vel alteram quaestionem logicam vel philosophicam; hoc enim leve damnum communiter existimatur... praesertim, quod discipulus vel ingeniosus est vel tardus et rudis; si enim minus perspicax sit, parum refert, quod hoc vel illud mente concipiat; si vero rem bene penetrat, facile ipse de se paulo post doctrinae errorem advertet, et mentem suam corriget».

Et haec quidem de mendacio iniusto dicta qua certitudine gaudeant, quatenus accuranda, quatenus sint corrigenda, benignus iudicet lector.

I. B. Umberg

Casus canonico-morales

DE MATRIMONIO

1° De forma celebrationis. — 1. Titius, vicarius cooperator, pluries recepit consensum matrimonialem sine ulla delegatione Ordinarii loci nec parochi sui. Alii sacerdoti hoc miranti asserit se certo valide et licite hoc egisse: etenim, in dubio Ecclesia supplet iurisdictionem (can. 209); atqui ius omnium vicariorum cooperatorum assistendi omnibus matrimoniis in paroecia, cui addicti sunt, est obiectum positivi dubii iuris, quippe sit quaestio acriter disputata per plures annos in optimis periodicis quae in sensus contrarios non spernenda argumenta praebebant; ergo ...

R. Commissio interpretationis Codicis omnino reiecit hoc praetensum ius vicarii cooperatoris qua talis. Respondit enim eum (ratione officii, de quo in canone 476 § 6 « non posse valide assistere matrimoniis (A.A.S., 24 febr. 1942, p. 50). Attamen videntur fuisse valida matrimonia quibus praefuit Titius ante promulgationem huius responsi, ergo ante diem vicesimum quartum februarii 1942. Etenim eius opinio non carebat probabilitate extrinseca nec etiam omni probabilitate intrinseca ob verba non ita clara canonis 476 § 6: « ... ratione officii parochi vicem supplere eumque adiuvare in universo paroeciali ministerio ... » Videntur etiam fuisse valida matrimonia usque ad diem vicesimum quartum maii 1942, nam interpretatio authentica legis dubiae debet promulgari (c. 17 § 2) et tunc novae legi fere acquivalet et vim suam exserit tantum expletis tribus mensibus a die qui Actorum numero appositus est ... (c. 9).

2. Statuta dioecesis cuiusdam declarant episcopum concedere vicariis cooperatoribus « eamdem in parochia spiritualem iurisdictionem ... ac ipsi parochi ». Quid hoc continet quoad matrimonia?

R. Vicarii cooperatores in hoc casu valide assistent matrimoniis in paroecia cui addicti sunt. Etsi assistentia matrimoniis non sit stricto sensu actus iurisdictionis, assimilatur tamen iurisdictioni quoad multa, praesertim quoad delegationem, a canonistis et ab ipso Codice. Ut licite assistant matrimoniis, exigitur consensus (saltem generalis aut tacitus aut legitime praesumptus) parochi, nam vicarius cooperator in exercitio potestatum suarum « subest parocho » (c. 476 § 7) qui potuit matrimonia in genere aut matrimonia quaedam sibi reservare.

3. Mulier catholica unice in templo protestantico cum calvinista nupsit. Nunc, 65 annos nata (maritus 80 annos adimplevit), vellet animae suae consulere, sed vir nunquam consentiret consensum coram sacerdote renovare.

R. Non videtur locus esse canoni 1098 ita ut mulier possit cum marito consensum renovare coram duobus testibus laicis, nam « grave incommodum » requisitum non designat obstaculum proveniens unice a mala voluntate unius e contrahentibus. Sola solutio esset ut obtineatur a Sancta Sede sanatio in radice: quia non raro hodie sanationes conceduntur pro matrimoniis, ut dicitur, mere « civilibus »; verisimiliter non difficilius esset obtinere pro matrimoniis in templo haeretico initis. Decretum S. Officii (A.A.S., IX, 1917, 13), relativum ad casus matrimoniorum mixtorum, nostro non identicos sed analogos, nos docet S. Sedem sibi reservare ius talia matrimonia sanandi, sed paratam esse hanc facultatem petentibus concedere.

4. Sacerdos, nominatus parochus sed ante missionem in beneficii possessionem, matrimonio assistit in nova sua paroecia. Postea anxius est et interrogat Vicarium Generalem, qui respondet se arbitrari intentionem episcopi esse dare omnem potestatem novis parochis. Paulo post, in nova editione Statutorum, declaratur omnem novum parochum, statim ut materialiter domicilium in paroecia acquisivit, posse se considerare ut « vicarium oeconomum » usque ad installationem suam canonicam.

R. Parochus assistit valide matrimoniis solum « a die adeptae canonicae possessionis beneficii » (c. 1095 § 1, 1°), nisi Ordinarius ab hac canonica possessione in scriptis dispensaverit (c. 1444 § 1). Sed, vacante paroecia, omnino legitimum est episcopum eius curam ad tempus concredere « vicario oeconomo » (c. 472) qui, omnibus iuribus parochi quoad curam animarum praeditus, potest matrimoniis assistere. Etiam antequam Statuta declaraverunt sacerdotes, nominatos parochos, debere ante installationem canonicam haberi ut vicarios oeconomos, videtur haec fuisse voluntas episcopi sufficienter manifestata Vicario Generali; ergo matrimonium cui praefuerat hic sacerdos validum fuisse videtur, saltem rationem habendo canonis 209 quoad dubium positivum et probabile.

5. Cappellanus militum, eorum matrimoniis ubique assistere possunt. Unus ex meis militibus, origine catholicus, nupsit unice coram ministro acatholico cum muliere protestantica. Nunc vellet Ecclesiae obedire. Audivi eius parochum a Sancta Sede postulasse pro eo censurarum absolutionem, sed nondum responsum obtinuisse. Nescio quid faciam.

R. Interventio parochi fuit parum opportuna. In omni hypothesi erat saltem inutile recurrere Romam pro excommunicatione Ordinario reservata (c. 2319), etiam si subiective excommunicatio incursa fuerat ab homine verisimiliter talium rerum valde ignaro. Ob « appositionem manus » Sanctae Sedis, Ordinarius aut quilibet alius nequit ab hac censura absolvere « nisi ex gravi urgentique causa » (c. 204 § 2).

Quoad matrimonium, an hic miles erat unus ex his « ab acatholicis natis, etc. » de quibus c. 1099 § 2 in fine? Si hoc verificatur, matrimonium validum esse potuit. Secus, fuit invalidum. Tunc non tibi licet assistere matrimonio nisi obtinueris « cautiones » de quibus c. 1061 et dispensationem impedimenti mixtae religionis (aut etiam disparitatis cultus si dubius esset baptismus uxoris acatholi-

cae), quam dispensationem verisimiliter tibi concedet Ordinarius loci sive per potestatem sibi delegatam sive ob casum urgentem ad normam canonis 81.

6. Qua ratione possit dari cappellano hospitii vel sanatorii potestas assistendi matrimoniis, praesertim ad consulendum saluti aeternae concubinariorum aliquando degentium in his domibus?

R. Si munus huius cappellani ei relinquit tempus et vires, quae adhibere potest in servitium paroeciae, in cuius territorio hospitium reperitur, poterit ab episcopo nominari vicarius cooperator huius paroeciae et recipere ab episcopo aut a parocho delegationem generalem pro omnibus matrimoniis in territorio paroeciae, ergo in ipso hospitio.

Si non potest officium vicarii cooperatoris exercere, episcopus posset hoc hospitium, ad normam canonis 464 § 2, a parochi cura subducere, dando cappellano, solum intra hospitium et pro eius incolis, omnes parochorum potestates, non excepta assistentia matrimoniis.

7. Vacante paroecia, superior religiosus, petitioni episcopi morem gerens, functiones parochi exercebat. Cum abesse deberet, delegavit Patrem Caium ut assisteret die sequenti matrimonio praeparato. Sed, ipso die, sacerdos consobrinus puellae petit a vice-superiore et statim obtinet licentiam hoc matrimonium benedicendi; Caius tacet, nihil facit, postea tamen anxius est de valore huius matrimonii.

R. Vice-superior nullam potestatem habebat assistendi matrimoniis: nec erat vicarius cooperator nec vicarius substitutus: si superior, ultra hebdomadam exiturus, ei dedisset in paroeciam potestates vicarii substituti vel si fuisset ab episcopo nominatus vicarius cooperator, superior non delegasset alii religioso, nempe Caio, potestatem assistendi huic matrimonio. Ex eo quod vice-superior locum tenebat superioris absentis quoad curam disciplinae religiosae iuxta constitutiones huius religionis, nullam obtinuerat potestatem quoad matrimonia.

Qua carebat potestate, eam alteri delegare valide non potuit. Nemo dat quod non habet.

Igitur matrimonium invalidum fuit. Non videtur posse hic invocari error communis (c. 209), etiam si omnes nuptiis praesentes putaverunt hunc sacerdotem rite delegatum esse: generatim admittitur Ecclesiam non supplere iurisdictionem pro paucis personis, v. g. pro duobus sponsis seu uno matrimonio, sed pro sat multis, v. gr. tota serie matrimoniorum. Ita censebat inter alios P. Vermeersch qui me adduxerat ad melius exponendam hanc sententiam. (Nouvelle Revue théologique, 1923, pp. 363-365). Cfr. in eumdem sensum L'Ami du Clergé, 1930, p. 647 sqq. (contra id quod scriptum erat in eodem periodico, 1925, p. 628) et Cimetier in Petite Revue du Clergé, 1939, p. 70.

2° *De consensu interno*. — Joanna, antequam nuberet, amicis declaravit se omnino recusare cum massone nubere. Anno 1941, valde stupet videndo mariti sui nomen in serie principum massonum. Confessarius omnino affirmat tale matrimonium invalidum fuisse et esse. Sed, cum Joanna hac de re Officiali dioecesano loqueretur, ipse nullam spem ei relinquit declarationis nullitatis, quia Joanna hodie potest unum solum testem adducere qui dicta sua ante matrimonium audierit. Joanna scandalizatur ex hac oppositione in Ecclesia inter forum internum et forum externum.

R. Confessarius parum prudenter locutus est. Valde difficile est scire quae fuerit voluntas praedominans Joannae, utrum matrimonium praetulerit an exclusionem massonis, utrum talis exclusio fuerit pro ea vera « condicio sine qua non » consensus coniugalis. Officialis sapienter Joannam deterruit a processu qui nullam spem boni exitus praebebat.

Forsitan Joanna obtinere posset ab episcopo (aut etiam a tribunali civili) separationem ab habitatione. Secus, nihil remanet infelici Joannae, ad tollendam oppositionem inter utrumque forum, nisi ut nunc det consensum interiorem

absolutum matrimonio suo, ad normam canonis 1136 § 2, et conetur virum oratione et sancta vita in bonam viam adducere.

3° Dispensatio. — Vicarius Generalis non arbitratur se posse concedere dispensationem secundi gradus consanguinitatis collateralis. Etenim haec dispensatio non invenitur in serie facultatum quinquennalium episcopo concessarum nec videtur esse locus applicationi canonis 1045, nam etsi casus sit urgens, non « omnia sunt parata ad nuptias ».

R. Expressio biblica « omnia parata sunt... », a commentatoribus Codicis diversis modis intelligitur: alii huic tribuunt sensum valde strictum et litteralem, alii latissimum. Insuper, aliqui admittebant canonem 1045 canone 81 compleri posse, quod negabant alii. De hoc puncto Commissio interpretationis authentice elegit opinionem affirmativam (A.A.S., 14 sept. 1942,, p. 241). Vicarius Generalis videtur fuisse nimis timoratus, etiam si decisionem dedit antequam cognosceret hoc responsum, quia ex diversis auctorum opinionibus poterat sibi conscientiam formare et exercere iurisdictionem quam positivum dubium iuris reddebat validam (c. 209). A fortiori post responsum romanum ei licebat canone 81 uti.

4° Apparentia matrimonii. - Titia, caelebs, 50 annos nata, quae magistra fuit in schola catholica, ob domum bello eversam, debuit refugium eligere in alia urbe. In qua cohabitat cum suo consobrino Caio, etiam caelebe, qui ei magnam amicitiam ostendit, inculpabilem. Attamen haec cohabitatio locum dat suspicionibus. Cupit Titia non vere nubere cum Caio sed, ad supprimendam occasionem horum dicteriorum, se praebere formalitati « matrimonii civilis », ut aiunt. Tunc aliam domum eligerent in alia parte urbis et omnes eos iudicarent vere coniugatos.

R. Hic modus agendi nequit admitti aut tolerari nisi

sub his duabus condicionibus: 1° ne sit pro his pseudoconiugibus periculum proximum incontinentiae, seu sit seria spes eos victuros esse ut fratrem et sororem; 2° ne sit periculum scandali, multo maioris quam in statu anteriore, si a sat multis cognosceretur eos, qui verisimiliter ecclesiam frequentant (saltem Titia), mere « civiliter » iunctos esse; unde plerique eos haberent ut concubinarios. Sunt quaestiones dirimendae ex consideratione omnium adiunctorum in concreto, v. gr. qui sint anteriores mores Caii, utrum voluntate firma praeditus sit et seriam praxim religiosam servaverit, etc.

5° *Divortium civile.* — Claudia, Parisiis coniugata, aliquibus annis postea ibi petit et obtinet divortium a tribunali civili. Omnino statuerat non inire alias nuptias, sed divortium petierat unice ut posset dotem suam recuperare quam maritus pessime vivendo dilapidabat. Juxta usum dioecesis parisiensis, debuisset licentiam petere a Curia episcopali, sed hanc obligationem ignorabat. In paroecia in qua nunc degit, extra dioecesim parisiensem, remanet fidelis religioni; immo, vellet saepe pane eucharistico refici, sed parochus, ob legem dioecesanam, recusat ad communionem eam admittere; suadet solum ut quandoque communionem eucharisticam recipiat in urbe magna sat vicina, in qua est ignota. Alius sacerdos, hoc audiens, indignatur contra « iniustitiam » parochi.

R. Non est cur indignetur. Optimum est existere et applicari leges dioecesanas quae conentur inicere horrorem divortii et eripere bonas animas morbo tam contagioso. Fere omnis lex, lata propter bonum commune, habet aliquando incommoda pro subditis quibusdam: in hoc nulla est iniustitia, cum bonum commune bono privato praevalere debeat. Attamen potest esse locus dispensationi. Bene ageret parochus casum exponendo Curiae dioecesanae et petendo ut sibi liceat novae suae paroecianae sanctam communionem praebere, quoties eam recipere voluerit, post-

quam explicaverit aliis piis personis hanc feminam non esse peccatricem publicam, sed bona fide egisse, etsi aliquam licentiam requisitam ob ignorantiam inculpabilem non petierit.

F. Jombart, S. I.

MONUMENTA

14 - SS. D. N. Pius Pp. XII

ALLOCUTIO HABITA IN FESTO PENTECOSTES, DIE 13 IUNII A. 1943, CORAM OPIFICIBUS EX ITALIAE DIOECESIBUS CONVENIENTIBUS.

(*AAS* XXXV [26 iun. 1943] p. 171).

Gioia paterna

La vostra gradita presenza, diletti figli e figlie, che nel lavoro passate le ore e le giornate per guadagnare la vita a voi e alle vostre famiglie, ridesta in Noi un gran pensiero e un gran mistero: il *pensiero* che il lavoro fu imposto da Dio al primo uomo, dopo il peccato, per chiedere alla terra il pane col sudore del suo volto; e il *mistero* che il Figlio di Dio, disceso dal Cielo a salvare il mondo e fattosi uomo, si sottopose a questa legge del lavoro e passò la sua giovinezza, faticando in Nazareth insieme col suo Padre putativo, cosicchè fu stimato e chiamato « il Figlio del legnaiuolo »[1]. Mistero sublime, che Egli cominciasse prima a lavorare che ad insegnare, umile operaio prima che maestro di tutte le genti![2].

Voi siete venuti a Noi come al *Padre*, che tanto più ama d'intrattenersi coi suoi figli, quanto più duro e incessante è il loro travaglio quotidiano, più difficile e grave di angustie e di ansie è la loro vita. Siete venuti a Noi come al *Vicario di Cristo*, che prova in Sè, perpetuato per ineffabile partecipazione della potenza divina, quel senso di tenerezza e di commiserazione per il popolo, da cui fu mosso il nostro Redentore ad esclamare un giorno: « *Mi-*

---

[1] Matt. 13, 55.
[2] Cfr. *Act.* 1, 1.

sereor super turbam [3]: Ho compassione di questo popolo! » Siete venuti a Noi come al *Pastore*, che in voi e oltre di voi estende lo sguardo sulla assai più numerosa porzione del gregge affidatoGli dall'amore di Dio, e nel vostro attaccamento e nella vostra devozione raccoglie, come da fedele rappresentanza, i sentimenti, i voti e l'affetto di tanti suoi figli lontani.

Di gran cuore vi ringraziamo per così viva gioia, che Ci offre anche l'opportunità di dirvi una parola d'intima benevolenza e d'incoraggiamento, una parola che sia per voi guida, sostegno e conforto in questi giorni tormentati di affanni e di lutti.

Provvide riforme sociali

Delle dure condizioni presenti la moltitudine degli operai, più di altri gravata e afflitta, non è però sola a risentire il peso; ogni ceto deve portare il suo fardello, quale più, quale meno penoso e molesto; nè soltanto lo stato sociale dei lavoratori e delle lavoratrici domanda ritocchi e riforme, ma tutta l'intera e complessa struttura della società ha bisogno di raddrizzamenti e di miglioramenti, profondamente scossa com'è nella sua compagine. Chi non vede però che la questione operaia, per l'arduità e la varietà dei problemi che implica, e per il vasto numero dei membri che interessa, è tale e di così gran necessità e importanza, che merita più attenta, vigilante e provvida cura? Questione se altra mai delicata; punto, si direbbe, nevralgico del corpo sociale, ma talvolta anche terreno mobile e infido, aperto a facili illusioni e a vane inattuabili speranze, per chi non tenga davanti all'occhio dell'intelligenza e all'impulso del cuore la dottrina di giustizia, di equità, di amore, di reciproca considerazione e convivenza, che inculcano la legge di Dio e la voce della Chiesa.

---

[3] Marc. 8, 2.

La Chiesa tutrice delle giuste aspirazioni del popolo lavoratore

Certo voi non ignorate, diletti figli e figlie, che la Chiesa intensamente vi ama e, non soltanto da oggi, con ardore ed affetto materno e con vivo senso della realtà delle cose, ha considerato le questioni che toccano voi più particolarmente; i Nostri Predecessori e Noi stessi con ripetuti insegnamenti non abbiamo tralasciato occasione alcuna di far comprendere a tutti i vostri bisogni e le vostre necessità personali e familiari, proclamando come fondamentali esigenze di concordia sociale quelle aspirazioni che vi stanno tanto a cuore: un salario, che assicuri l'esistenza della famiglia, tale da rendere possibile ai genitori l'adempimento del loro naturale dovere di crescere una prole sanamente nutrita e vestita; un'abitazione degna di persone umane; la possibilità di procurare ai figli una sufficiente istruzione e una conveniente educazione, di prevedere e provvedere per i tempi di strettezze, di infermità e di vecchiaia. Queste condizioni di provvidenza sociale devono condursi a compimento, se si vuole che la società non sia ad ogni stagione scossa da torbidi fermenti e da sussulti pericolosi, ma si tranquilli e si avanzi nell'armonia, nella pace e nel mutuo amore.

Ora, per lodevoli che siano vari provvedimenti e concessioni di pubblici poteri e il sentimento umano e generoso che anima non pochi datori di lavoro, chi potrebbe veramente affermare e sostenere essere stati tali intenti dappertutto raggiunti? Ad ogni modo i lavoratori e le lavoratrici, consapevoli della loro grande responsabilità per il bene comune, sentono e ponderano il dovere di non aggravare il peso delle difficoltà straordinarie, da cui si trovano oppressi i popoli, presentando clamorosamente e con moti inconsulti le loro rivendicazioni in quest'ora di universali e imperiose necessità; ma persistono nel lavoro e

vi durano con disciplina e con calma, recando un inestimabile sostegno alla tranquillità e al vantaggio di tutti nella convivenza sociale. A tale pacifica concordia di animi Noi tributiamo il Nostro elogio e vi invitiamo ed esortiamo paternamente a perseverare in essa con fermezza e dignità; il che però non deve indurre alcuno a ritenere, come ammonivamo già nell'ultimo Nostro Messaggio natalizio, che ogni questione sia da considerarsi risolta.

I FALSI PROFETI

La Chiesa, custode e maestra della verità, nell'asserire e propugnare coraggiosamente i diritti del popolo lavoratore, a varie riprese, combattendo l'errore, ha dovuto mettere in guardia a non lasciarsi illudere dal miraggio di speciose e fatue teorie e visioni di benessere futuro e da gli ingannevoli adescamenti e incitamenti di falsi maestri di prosperita sociale, che dicono bene al male e male al bene e, vantandosi amici del popolo, non consentono tra capitale e lavoro e tra datori di lavoro e operai quelle mutue intese, che mantengono e promuovono la concordia sociale per il progresso e l'utilità comune. Tali amici del popolo voi li udiste già nelle piazze, nei ridotti, nei congressi; ne conosceste le promesse sui fogli volanti; li sentiste nei loro canti e nei loro inni; ma alle loro parole quando mai hanno risposto i fatti o hanno sorriso le speranze con la realtà? Inganni e delusioni ne provarono e ne provano i privati e i popoli, che loro prestarono fede e li seguirono per vie, le quali, lungi dal migliorare, peggiorano e aggravano le condizioni di vita e di avanzamento materiale e morale. Tali falsi pastori danno a credere che la salvezza deve procedere da una rivoluzione, che tramuti la consistenza sociale o rivesta carattere nazionale.

Non rivoluzione sociale ...

La rivoluzione sociale si vanta di innalzare al potere la classe operaia: vana parola e mera parvenza di impossibile realtà! Di fatto voi vedete che il popolo lavoratore rimane legato, aggiogato e stretto alla forza del capitalismo di Stato; il quale comprime e assoggetta tutti, non meno la famiglia che le coscienze, e trasforma gli operai in una gigantesca macchina di lavoro. Non diversamente da altri sistemi e ordinamenti sociali, che pretende di combattere, esso tutto raggruppa, ordina e costringe in uno spaventevole strumento di guerra, che domanda non solo il sangue e la salute, ma anche i beni e la prosperità del popolo. E se i dirigenti vanno alteri di questo o di quel vantaggio o miglioramento conseguito nell'ambito del lavoro, menandone e diffondendone rumoroso vanto, tale profitto materiale non è mai che riesca un degno compenso delle rinunzie a ciascuno imposte, che ledono i diritti della persona, la libertà nella direzione della famiglia, nell'esercizio della professione, nella condizione di cittadino, e in particolar modo nella pratica della religione e fin nella vita della coscienza.

No, non è nella rivoluzione, diletti figli e figlie, la salvezza vostra; ed è contro la genuina e sincera professione cristiana il tendere, -- pensando solo al proprio esclusivo e materiale vantaggio, che appare però sempre incerto —, ad una rivoluzione che proceda dall'ingiustizia e dall'insubordinazione civile, e il rendersi tristamente colpevoli del sangue dei concittadini e della distruzione dei beni comuni. Guai a chi dimentica che una vera società nazionale include la giustizia sociale, esige una equa e congrua partecipazione di tutti ai beni del Paese; altrimenti voi intendete che la Nazione finirebbe in una lustra sentimentale, in un vaneggiante pretesto, palliativo di ceti particolari per sottrarsi ai sacrifici indispensabili a conseguire l'equilibrio e la tranquillità pubblica. E scorgereste allora come,

venuta meno al concetto di società nazionale la nobiltà largitagli da Dio, le competizioni e le lotte interne diventerebbero per tutti una temibile minaccia.

... MA CONCORDE E BENEFICA EVOLUZIONE

Non nella rivoluzione, ma in una evoluzione concorde sta la salvezza e la giustizia. La violenza non ha fatto mai altro che abbattere, non innalzare; accendere le passioni, non calmarle; accumulare odi e rovine, non affratellare i contendenti; e ha precipitato gli uomini e i partiti nella dura necessità di ricostruire lentamente, dopo prove dolorose, sopra i ruderi della discordia. Solo una evoluzione progressiva e prudente, coraggiosa e consentanea alla natura, illuminata e guidata dalle sante norme cristiane di giustizia e di equità, può condurre al compimento dei desideri e dei bisogni onesti dell'operaio.

Non distruggere dunque, ma edificare e consolidare: non abolire la proprietà privata, fondamento della stabilità della famiglia, ma promuoverne la diffusione quale frutto della fatica coscienziosa di ogni lavoratore o lavoratrice, in modo che ne venga la diminuzione graduale di quelle masse di popolo irrequiete e audaci, che, talora per cupa disperazione, tal'altra per ciechi istinti, si lasciano trasportare da ogni vento di fallaci dottrine, o da subdoli artifici di agitatori privi di ogni morale. Non disperdere il capitale privato, ma promuovere il suo ordinamento prudentemente vigilato, come mezzo e sostegno a ottenere e ampliare il vero bene materiale di tutto il popolo. — Non comprimere nè dare esclusivamente preferenze all'industria, ma procacciarne l'armonico coordinamento con l'artigianato e con l'agricoltura, che fa fruttificare la multiforme e necessaria produzione del suolo nazionale. — Non avere, nell'uso dei progressi tecnici, in mira unicamente il maggior guadagno possibile, ma dei frutti, che se ne ricavano, giovarsi anche per migliorare le condizioni perso-

nali dell'operaio, per rendere meno ardua e dura la sua fatica e rafforzare i vincoli della sua famiglia, nel terreno dove abita, nel lavoro di cui vive. Non mirare a far dipendere totalmente la vita dei singoli dall'arbitrio dello Stato, ma piuttosto procurare che lo Stato, di cui è dovere promuovere il bene comune, con istituzioni sociali, quali sono le società di assicurazione e di previdenza sociale, supplisca, assecondi e compia quel che giova a confermare nella loro azione le associazioni operaie, e specialmente i padri e le madri di famiglia, che assicurano a sè e ai loro col lavoro la vita.

La fede in Cristo e la fedeltà alla Chiesa radici profonde di vera fratellanza

Voi direte forse che questa è una bella visione della realtà; ma come si potrà metterla in atto e darle vita in mezzo al popolo? Fa di bisogno, anzitutto, grande probità di volere e perfetta lealtà di propositi e di azione nell'andamento e nel governo della vita pubblica, tanto da parte dei cittadini quanto da parte delle Autorità. Fa di bisogno che uno spirito di vera concordia e fratellanza animi tutti: superiori e inferiori, direttori e operai, grandi e piccoli, in una parola tutti gli ordini del popolo.

Questa vostra adunata intorno a Noi, diletti figli e figlie, cui esalta il fatto di essere dai vari vostri campi di attività qui convenuti nella casa del Padre comune rappresentanti di tutti i gruppi, è per Noi prova e documento che voi conoscete, sentite e comprendete dove abbia le sue radici profonde il divinamente genuino senso sociale di « fratelli, stretti ad un patto », « tutti fatti a sembianza d'un Solo, figli tutti d'un solo riscatto »: cioè nella santa comune religione, nella stessa professione di fede verso il Redentore di tutti, Gesù Cristo, nella uguale fedeltà alla sua santa Chiesa e al suo Vicario. E Noi eleviamo a Dio la Nostra fervida preghiera che tutto il vasto, immenso po-

polo di lavoratori e di lavoratrici partecipi della vostra fede; sicchè conceda il Signore che, pur attraverso differenze di opinioni e di mezzi, si apra, in giustizia e carità, il cammino verso quel progresso, benefico e pacifico, da Noi tanto ardentemente auspicato, che renda l'Italia prospera e forte di una inconcussa e cristiana compagine.

Mostruosa calunnia

Ma Noi non ignoriamo — e voi stessi avete potuto farne l'esperienza — come in questi tempi gravosi e difficili al vivere familiare e civile le passioni umane prendano occasione per rialzare la testa e suscitare sospetti e travisamenti di parole e di fatti. E' così che una propaganda di spirito antireligioso va spargendo in mezzo al popolo, soprattutto nel ceto operaio, che il Papa ha voluto la guerra, che il Papa mantiene la guerra e fornisce il denaro per continuarla, che il Papa non fa nulla per la pace. Mai forse non fu lanciata una calunnia più mostruosa e assurda di questa! Chi non sa, chi non vede, chi non può accertarsi che nessuno più di Noi si è insistentemente opposto, in tutti i modi consentitiCi, allo scatenarsi e poi al proseguire e al dilagare della guerra; che nessuno più di Noi ha continuamente invocato e ammonito: pace, pace, pace!; che nessuno più di Noi ha cercato di mitigarne gli orrori? Le somme di denaro, che la carità dei fedeli mette a Nostra disposizione, non sono destinate nè vanno ad alimentare la guerra, ma ad asciugare le lagrime delle vedove e degli orfani, a consolare le famiglie in angosciosa ansietà per i loro cari lontani o dispersi, a sovvenire i sofferenti, i poveri e i bisognosi. Testimoni di tutto ciò sono il Nostro cuore e il Nostro labbro, che non si contraddicono fra loro, perchè Noi non neghiamo coi fatti quello che diciamo, e abbiamo la coscienza della falsità di quanto i nemici di Dio vanno insidiosamente spacciando per turbare gli operai e il popolo, e dalle pene della vita che

essi soffrono trarre argomento contro la fede e contro la religione, la quale pure è l'unico conforto e l'unica speranza che sostiene nel dolore e nella sventura l'uomo sulla terra. No; i Nostri Discorsi e i Nostri Messaggi nessuno li potrà cancellare o travolgere nel loro intento e nella loro sostanza. Tutti hanno potuto ascoltarli come parola di verità e di pace, come impeti del Nostro animo per la tranquillità del mondo e per illuminare i potenti. Sono testimoni irrefutabili dei desideri che immensi erompono dal Nostro cuore, perchè in questa terra, data all'uomo come dimora per un pasaggio a vita migliore e imperitura, domini l'ordinata concordia di tutto il genere umano. La Chiesa non teme la luce della verità, nè per il passato, nè per il presente, nè per il futuro. Quando le circostanze dei tempi e le passioni umane permetteranno o richiederanno la pubblicazione di Documenti, non ancora resi di pubblica ragione, concernenti la costante azione pacificatrice della S. Sede, non timida dei rifiuti e delle resistenze, durante questa immane guerra, apparirà in luce più che meridiana la stoltezza di tali accuse, procedenti, più che dall'ignoranza, da quell'irreligione e da quel disprezzo della Chiesa, che alligna solo in alcuni cuori umani, pur troppo più inclinati e pronti a pervertire le rette e benigne intenzioni, onde è animata la Sposa di Cristo, che non a favorire il popolo, a calmare e mitigare le difficoltà del vivere, a sostenere gli spiriti in mezzo alle gravi condizioni dell'ora presente. Dite ai diffamatori della Chiesa che la verità brillerà, come oggi pur brilla nei vostri cuori, in tutti coloro, che rendono ragionevole ossequio a quanto comprendono di bene, e che non credono alla menzogna e alla calunnia. Dall'aperta realtà dei fatti e dell'opera Nostra ne andranno confusi quanti con l'ingannevole loro parola si studiano di rigettare sul Papato la responsabilità di tutto il sangue delle battaglie terrestri e delle rovine delle città, dei conflitti aerei e degli abissi dei mari.

Il conforto della preghiera

Innalzate, o cristiani operai e operaie, la vostra fede col pensiero della mente e col sentimento del cuore, irrobustendovi e rinnovellandovi ogni dì nel conforto della preghiera, che inizi, santifichi e chiuda la vostra giornata di lavoro; pensiero e sentimento che illuminino e infervorino le anime vostre, specialmente nel riposo delle domeniche e delle feste, e vi accompagnino e vi guidino nell'assistere alla santa Messa. Sull'altare, incruento Calvario, il nostro Redentore, nella sua vita terrena fattosi operaio al par di voi, come fino alla morte fu obbediente al Padre, rinnova perpetuamente il sacrificio di Se stesso a pro del mondo e si fa largitore di grazie e di pane di vita per le anime, che lo amano e nei loro affanni ricorrono a Lui per essere ristorate. Davanti all'altare, nella chiesa, ogni lavoratore cristiano rinnovi la sua volontà di operare ossequente alla legge divina del lavoro, qualunque esso sia, della mente o delle braccia, di procurare con le sue fatiche e rinunzie il pane per i suoi cari, di mirare al fine morale della vita di quaggiù e alla beatitudine eterna, conformando le sue intenzioni con quelle del Salvatore e armonizzando la sua opera come un inno di lode a Dio.

La osservanza della legge di Dio nella vita delle fabbriche

In ogni cosa e in ogni tempo, diletti figli e figlie, sostenete e custodite la vostra dignità personale. La materia che voi trattate, creata da Dio fin dall'inizio del mondo, e attraverso il lavorio dei secoli modificata da Lui nelle viscere e sulla superficie della terra con cataclismi, fermenti, eruzioni e trasformazioni, per preparare la migliore stanza all'uomo e al suo lavoro, sia per voi un continuo ricordo della mano creatrice di Dio ed elevi l'animo

vostro verso di Lui, Legislatore supremo, le cui norme si debbono osservare anche nella vita delle fabbriche. Forse a voi si accostano e lavorano insieme fanciulli e fanciulle. Ricordatevi che ai fanciulli e agli innocenti è dovuta una gran riverenza, e che Cristo di chi li scandalizza dichiarò che sarebbe meglio per lui che una macina gli fosse appesa al collo per precipitarlo nel profondo del mare[4]. O padri e madri, quali ansie accompagnano i passi dei vostri figli e delle vostre figlie alle fabbriche, quali timori! Voi operai sostenete le loro veci nella custodia e nella vigilanza sull'innocenza e sulla purezza di quella giovane età, quando la professione e le necessità di famiglia la costringono ad allontanarsi dall'occhio amorevole dei genitori. Dagli anziani e dal loro esempio, dalla volontà energica e decisa della direzione della fabbrica nell'esigere una onesta disciplina dipende il conservarsi della gioventù negli opifici fisicamente e spiritualmente sana, o se invece si corrompa con immoralità, con avidità di godimenti e con prodigalità, mettendo a repentaglio anche le future generazioni. Nessuna parola, nessuna facezia, nessuna novella esca dalle vostre labbra, che offenda l'udito dei giovani che vi ascoltano. Possa la gioventù operaia, nel Clero, nelle Congregazioni religiose femminili, nei membri dell'Azione Cattolica, trovare persone, che in armonia con i dirigenti si prodighino con tutta l'energia fisica e morale in loro favore, anche nella vita quotidiana della fabbrica.

Non cessino però mai il mutuo affetto e rispetto, il buon esempio, la parola ammonitrice incoraggiante, l'aiuto anche modesto tra gli stessi operai...

---

[4] Cfr. MATT. 18, 6.

Annotationes

Allocutio Pontificia festo Pentecostes coram operariis utriusque sexus, ex tota Italia congregatis, habita aliquas applicationes doctrinae socialis catholicae continet, quam Pius XII in ultimo nuntio radiophonico, festo Natali 1942, et recurrente quinquagesimo anniversario Litt. Enc. « Rerum novarum », die Pentecoste 1941, exposuit.

I. *Indoles socialis quaestionis hodiernae.*

Dum pro Leone XIII quaestio socialis imprimis condicionem opificum respiceret, Pius XII cum Antecessore suo totam structuram humanae societatis instaurandam redintegrandamque esse inculcat. « ... *nè soltanto lo stato sociale dei lavoratori e delle lavoratrici domanda ritocchi e riforme, ma tutta l'intera struttura della società ha bisogno di raddrizzamenti e di miglioramenti, profondamente scossa com'è nella sua compagine* ».

Hisce verbis Summus Pontifex, communi traditioni doctrinae socialis catholicae inhaerens, humanam societatem interna structura eaque *organica* « *compagine* » gaudere et relationes sociales hominum, maxime in vita oeconomica, nec in merum mechanismum resolvi nec ad modum mechanismi ordinari posse affirmat. Notum est Liberalismum, pro sua philosophia ateleologica, tali mechanicismo faventem mechanismum « mercatus », etiam « mercatus laboris » ut fere unicum principium ordinis in vita oeconomica habere et processum continuum commutationis rerum et praestationum, hinc etiam relationes sociales humanas mechanice in aequilibrium tendere autumare. Proin Liberalismus, praesertim cum etiam applicationem modernae technicae et organisationem vitae oeconomicae solum sub respectu mechanismi « mercatus » evol-

veret, facilius admisit et admittit societatem humanam, in dies magis omni organica cohaerentia destitutam, circa « mercatum laboris » mechanice bipartitam paulatim evenire: ex una parte ii, qui ampliorum mediorum productionis singulatim aut collective proprietarii sunt et in « mercatu laboris » operam salariatam quaerunt (Capitalistae), ex altera parte ii, qui a proprietate illorum mediorum separati, coacti sunt suam operam dominis mediorum productionis quasi cotidie offerre, seu « Proletarii ». Aliis verbis: Liberalismus homines mediae condicionis, sc. eos, qui laborem personalem cum et in sua proprietate privata, hinc independenter praestant, negligere valde inclinat idest independentes agricolas, fabros, industriales et mercatores mediae et minoris condicionis.

Aeque notum est Liberalismum quaestionem potestatis « *potere* » proprietarii mediorum productionis super alios homines, praesertim super non-proprietarios, nequaquam solvere nec solvere posse, quamquam haec potestas insolubiliter cum dominio privato iuncta est. Erronee enim putat suum principium liberae concurrentiae, supposito iure proprietatis privatae illimitato, efficere ut mechanismus « mercatus » nullam turbationem ex concreta et inaequali distributione proprietatis privatae, hinc nec ex diversitate potestatis penes homines oeconomice conversantes patiatur, et semper aliquod aequilibrium in relationibus socialibus tandem aliquando resultet. Nemo nescit theoriam falsam Liberalismi de mechanismi « mercatus », ut principium ordinis in sociali vita oeconomica, ad funestas sequelas duxisse. Quo magis enim ex parte Capitalistarum ob rationes allatas necessitas accumulationis et concentrationis « capitalis » formas unionis plenissimas potestate oeconomica produxit et quo magis ob easdem rationes in dies crescens numerus « Proletariorum » et generatim hominum, qui laborem dependentem ut unicum fontem sustentationis habent, ad validissimas organisationes in « mercatu laboris » (syndicatus) com-

pulit, eo magis quaestio potestatis, cum proprietate privata insolubiliter iunctae, urgens facta falsam theoriam de mechanismo « mercatus » ut principium ordinis etiam practice enervavit et loco aequilibrii periculosissimas tensiones in societate humana creavit.

Pius XII vero, cum relationes hominum in vita oeconomica iunctorum totum quid interna structura praeditum et analogiam cum organismo prae se ferens componere verbis supra allatis de novo asserat, principium unitatis et ordinis ex fine obiectivo vitae socialis oeconomicae, prout est totum quid (oeconomia nationalis), repetit, sc. ex finali ordinatione obiectiva omnium virium productivarum in continuam realisationem materialis prosperitatis ut fundamenti reliquae vitae culturalis et religiosae populi. Proin hic finis est principium ordinans et omnes campos productionis hominesque ibi collaborantes versus unum corpus sociale oeconomicum unit. Sequitur contra Liberalismum ordinem oeconomicum non esse indolis mechanicae, sed finalis; porro sequitur socialem cohaerentiam et unitatem, quam homines in vita oeconomica constituunt, primarie ex sphaera obiective ordinatae productionis, et solum dependenter ab hac, ex sphaera distributionis, uti est « mercatus », exsurgere. Quaestio vero potestatis super alios cum proprietate privata insolubiliter iunctae, in quantum inaequalitas distributionis proprietatis modo dictam obiectivam ordinationem processus productivi socialis turbare potest, primarie sic solvenda est, ut in omni campo productionis homines independentes mediae condicionis eo modo praevaleant, ut inde corpori sociali oeconomico quam maximum aequilibrium ab intrinseco adveniat.

Igitur cum Pius XII universali traditione doctrinae socialis catholicae innixus, institutionem proprietatis privatae ut talem iuris naturalis esse firmiter defendere pergat, ex altera vero parte societatem humanam, maxime oeconomicam, ad unitatem organicam « compago » hodie redu-

cendam esse aeque firmiter asserat, consequitur eum iudicare, saltem si ulterior intentio spectatur, nucleum quaestionis socialis hodiernae in restabilienda « media classe » hominum seu eorum qui intra sphaeram productionis media condicione supra descripta gaudent, esse reponendum.

Quo aspectu quaestionis socialis hodiernae doctrina Summi Pontificis Communismo quoque se opponit, quippe qui nec theoretice nec practice hominibus mediae condicionis in sphaera productionis favet. Theoretice enim Communismus eadem mechanistica conceptione vitae socialis et negatione omnis obiectivae teleologiae et organicae structurae huius vitae nititur ac Liberalismus. Porro aeque ac Liberalismus quaestiones vitae socialis fere exclusive sub respectu industrialismi moderni capitalistici solvere, immo ipsam agriculturam ad modum fabricae industrialis instituere intendit. Hinc etiam practice cum Liberalismo memoratam, in dies crescentem bipartitionem hominum circa « mercatum laboris » et causas organisatorias et technicas illam promoventes, de quibus supra locuti sumus, ut evolutionem necessariam habet et insuper ut viam versus futuram societatem communisticam considerat. « Redemptionem proletariatus » autem, de qua in Litt. Enc. « Quadragesimo anno » agitur, tantum in quam maxima extensione condicionis proletaricae videt, ubi tandem aliquando proletariatus cum ipsa societate coincidat, a qua sola dein, loco proprietariorum privatorum, omnis homo laborans dependeat. Ponit ergo mechanicam uniformitatem pro organica structura societatis. Potestatem vero super alios, quae cum proprietate privata insolubiliter iuncta est, plane tollere vult, sublaturus institutionem verae commutationis et veri « mercatus » inter membra societatis. Nam in futura societate communistica distributio bonorum productorum et praestationum oblatarum quaesitarumque nullo modo vera commutatione inter homines et vero « mercatu » fiet, sed ipsa societas proletarica singulis necessitatibus providebit, bona correspondentia assignabit,

pro laboribus laborantes attribuet, quamvis ad hunc finem debeat utique totum processum productionis per auctoritatem centralem dirigere. Patet proprietatem privatam, quam societas communistica singulis forsan relinquit, sublata facultate et possibilitate disponendi de rebus possessis via commutationis et « mercatus », enervari neque titulum veri dominii privati continere. Quibus expositis apparet systema communisticum nec cum principiis doctrinae socialis catholicae nec cum iis componi posse, quae Pius XII de indole quaestionis socialis hodiernae docet.

Certe Communismus, uti iam temporibus Caroli Marx in famosissima illa « Declaratione Communistica » (Manifesto Communistico) fecit, opponet conservationem et restitutionem independentium hominum mediae condicionis intra sphaeram productionis « utopiam » esse et « scientiae » de vita oeconomica contradicere. Iamvero illa « scientia », uti vidimus, falsa mechanica conceptione vitae socialis eiusque evolutionis nititur. Qui autem veram naturam crisis hodiernae Capitalismi, seu modi vitam oeconomicam capitalistice instituendi, perpendit, radicem in ipso « mercatu » inveniet, quem utpote independentem ab omni obiectiva finali ordinatione socialis processus productivi de cetero non agnita quam maxime extendi et in quam maximam unitatem et uniformitatem redigi posse supponebatur. Ob hanc rem, uti iam diximus, extremam divisionem laboris et implicatissimam et amplissimam cohaerentiam relationum oeconomicarum promovebant; hic respectus solus applicationem modernae technicae regebat, accumulationem et concentrationem « capitalis » et supra memoratam bipartitionem societatis iustificabat; uno verbo omnia illa elementa, admittebat, quae intra sphaeram productionis independentibus hominibus mediae condicionis nociva erant. Hodie ipsa crisi oeconomica clarum est illam theoretice falsam conceptionem de mechanica natura et functione « mercatus » indefinite extendendi ut fundamenti ordinis et aequilibrii in vita oeconomica etiam prac-

tice refutatam esse. Interim loco liberi « mercatus » ad oeconomiam socialem centralistice directam, hinc ad aliam speciem mechanismi confugere tentatur, quae vix a communistico conatu saltem practice differre videtur. Vera autem sanatio vitae oeconomicae hodiernae spectatis factis nos cogere deberet, obiectivae finali ordinationi processus productivi socialis primum locum dare indeque ordinem et structuram organicam societatis oeconomicae et dein « mercatum » reconstruere. Huic intentioni autem unice corresponderet, evolutionem oeconomicam, quae adhuc semper crescente divisione laboris et implicatione relationum oeconomicarum et aliis modo dictis elementis insignita erat, in viam plane contrariam paulatim vertere. Hoc vero, uti etiam ex modo dictis patet, ex parte realitatis oeconomicae instaurationi hominum independentium mediae condicionis intra sphaeram productionis favebit. In tali igitur instauratione indolem quaestionis socialis hodiernae videre, nequaquam « utopia » est.

Adversarii huius organicae et obiective finalisticae conceptionis vitae oeconomicae socialis non raro ad successus provocant, quos societas et oeconomia communistica in hodierna Russia habent. At datis his successibus solum sequitur aliquod systema quoad utilisationem mediorum productionis et operae humanae methodis organisatoriis et technicis modernis construi et ad maximam perfectionem mechanicam instrumenti evolvi posse ita, ut hoc instrumentum aut conservationi dominationis politicae alicuius factionis aut ad bellum praeparandum et gerendum optime serviat. Nullo modo sequitur nos habere ibi veram oeconomiam socialem (nationalem), cuius conceptum supra evolvimus. Accedit quod illi anorganicae uniformitati apparatus oeconomici bolschewistici indoles propria agriculturae plane cedere debet, et quidem in aliquo territorio, ubi quaestio agricolarum est nucleus quaestionis socialis.

II. Momentum quaestionis opificum

Summus Pontifex condicionem opificum, generatim omnium, qui laborem dependentem ut unicum fontem sustentationis habent, punctum maxime laesum et laesionibus obnoxium in corpore sociali (« *punto nevralgico del corpo sociale* ») vocat. Quod primo aspectu iis, quae modo de indole quaestionis socialis exposuimus, contradicere videtur. At Pius XII ipse de difficultate et diversitate quaestionum loquitur, quae cum sanatione condicionis laboris dependentis cohaerent « *l'arduità e la varietà dei problemi che implica* ». Ultimatim alludit ad instaurandam organicam structuram corporis socialis oeconomici, quae, sicut probatum est, intime cum quaestione sic dictarum « mediarum classium » nexa est; insuper hoc etiam ex concretis postulatis elucet, quae postea in Allocutione quoad sanam oeconomiam ponuntur. Solutio ergo quaestionis opificum vera a sanatione totius organismi oeconomici, hinc etiam a quaestione hominum independentium mediae condicionis intra sphaeram productionis separari nequit.

Hic nexus ab Augusto Oratore denuo affirmatur, cum de ingenti numero eorum, qui laborem dependentem praestant, loquatur. Unde vero hoc ingens augmentum venit? Secundum ea, quae supra de evolutione oeconomiae capitalisticae diximus, illud augmentum maxima ex parte eo effectum est, quod homines adhuc independentes, in scala sociali descendere coacti, laborem dependentem susceperunt, et quod vice versa homines in proletarica condicione exsistentes impediti sunt, ne in scala sociali ascendentes classibus sic dictis mediis se aggregarent seu independenter laborem personalem in et cum proprietate privata praestarent. Iterum igitur videmus, quomodo illum, qui quaestionem hodiernam laboris dependentis undique perscrutatur et ponderat, effugere nequeat, quantopere vera solutio cum instauratione organicae structurae societatis

cohaerens id tangat, quod supra indolem quaestionis socialis hodiernae vocavimus.

Momentum quaestionis laboris dependentis, speciatim opificum, sine dubio hodie immediate urget. Aeque ac Leoni XIII et Pio XI intime Pio XII persuasum est hic de obligatione iustitiae agi, quam non solum Status sed etiam omnia membra societatis implere debent. Alienus ab omni sic dicto Patriarchalismo Summus Pontifex declarationibus, quas in ultimo nuntio radiophonico, die Natali 1942, dederat, iterum subscribit, etiamsi operarios admonet, ut doctrinam et praxim falsam, sub velamento iustitiae propagatam, « *falsi profeti* » caveant.

S. Pontifex inter media operarios iuvandi explicite organisationes ipsorum operariorum seu syndicatus in primo loco ponit, quorum activitas circa condiciones contractus operae a Statu et ab aliis institutionibus socialibus promovenda et complenda sit « *Lo Stato... supplisca, assecondi e compia quel che giova a confermare nella loro azione le associazioni operaie* ». Breviter: Pius XII insistens doctrinae iam propositae occasione quinquagesimi anniversarii Litt. Enc. « Rerum novarum », die Pentecostes 1941, postulat ut disciplina illa iuris, quae circa hominem laborantem ut talem versatur (« diritto di lavoro ») secundum ea evolvatur et in praxim deducatur, quae Pius XI in prima parte Litt. Enc. « Quadragesimo anno » approbaverat et ut fructum principalem doctrinae Leoninae laudaverat.

Hic forsan quaeritur cur Pius XII nec hac vice nec antea occasione iubilaei Litt. Enc. « Rerum novarum » famosi « Ordinis Corporativi » mentionem faciat, quamquam ille ordo in secunda parte Litt. Enc. « Quadragesimo anno » merito ut structura idealis vitae oeconomicae socialis effertur. A veritate non aberit, qui in abusibus ideae « Ordinis Corporativi » recenter observatis causam invenit, cur Pius XII de illa parte doctrinae Antecessoris sui, in se tam pretiosa, sileat. Jam Pius XI ipse talem casum abusus

illius ideae benigne carpserat; postea in aliis nationibus « Ordo Corporativus » non raro hac intentione aut saltem cum hoc effectu practico institutus est, ut vera et efficax defensio iurium operariorum impossibilis redderetur. Immo tali modo introducendo abusive « Ordinem Corporativum » et admittendo solum « syndicatum unicum » damnum operariorum potius augebatur; nam, laeso iure naturali operariorum se associandi, operarii christiani prohibiti sunt ne syndicatu proprio contribuerent ut corpus sociale secundum principia christiana reformaretur.

Causa autem magis theoretica, cur Pius XII, de « Ordine Corporativo » sileat fortasse iam occasione iubilaei Litt. « Enc. Rerum novarum », saepimus memorati, in hac nostra ephemeride indicata est (1941, pag. 243): « ... implicite his dictis Summus Pontifex insinuat ideam Ordinis Corporativi, in Quadragesimo anno propositam, solum in abstracto ut formam optimam ordinandae societatis indicari, non vero sub omnibus condicionibus in concreto; nam sine dubio hic varia adjuncta partim in personis, partim in rebus praerequiruntur, ne immature talem ordinem in praxim deducere intendatur ». Inter praesupposita vero realia, quae efficiunt ut « Ordini Corporativo » verum aequilibrium *ab intrinseco*, hinc possibilitas autonomae vitae adveniat, sine dubio illa est, quod in unoquoque campo productionis, corporative instituto, pondus producentium independentium mediae condicionis praevaleat. Secus Ordo Corporativus, secundum suam veram ideam autonomus, in instrumentum Status aut huius vel illius organisationis, potestate oeconomica et politica praestantis, degenerat, seu non in bonum verum operariorum nec in bonum societatis totius vergit, si veram indolem quaestionis socialis hodiernae supra expositam respicis.

Postulata concreta, quae Papa de fructu et ceteris condicionibus laboris dependentis exhibet, cum anteriori doctrina Summi Magistri prorsus cohaerent. Id iterum inculcandum, nullum sc. systema oeconomico-sociale vel com-

munisticum meliorem statum vitae pro operariis intendere quam quod hoc loco a Pio XII postulatur. Insuper ita postulatur, ut progressus operariorum simul progressus ipsorum dignitatis ut patrumfamilias, ut membrorum societatis oeconomicae, ut civium, uno verbo ut personarum humanarum sit.

III. Non revolutio, sed evolutio

Certe Summus Pontifex in hac parte suae allocutionis non intendit doctrinam moralem de liceitate aut illiceitate revolutionis dare. Erant et sunt profecto inter catholicos, qui liceitatem revolutionis sic dictae nationalis affirment, dum iidem revolutionem sic dictam socialem illicitam esse strenue defendunt. Fortasse ex eo, quod Summus Pontifex de utraque revolutione pari severitate iudicet, talem distinctionem secundum mentem Summi Magistri non esse percipere poterunt.

Re vera Pius XII suis verbis de revolutione tantum asserere vult tensionem illam acerrimam inter duas partes « mercatus laboris », de qua supra in exponenda indole quaestionis socialis egimus, ulla revolutione feliciter finiri et tolli non posse, nec ex parte proprietariorum mediorum productionis seu Capitalistarum nec ex parte laboris dependentis seu « Proletariatus ». Alludit ad experimentum Bolschewisticum; alludit etiam ad recentiores revolutiones sic dictas « nationales », quae, cum statim syndicatus omnes supprimerent, sat clare ostenderunt cuius originis fuerint. Hoc ultimo casu insuper horrendum abusum vocis et valoris « nationis » habemus, cuius verum sensum et nexum cum sociali, *universali* prosperitate, materiali et spirituali, Summus Pontifex pulcherrime exponit. Profundissima autem ratio cur medium revolutionis in quaestione sociali reiiciendum sit in hoc est, quod tale medium, in se mechanicum, numquam malum proprium, nempe anorganicam dismembrationem societatis, tollere

potest. Restat ergo solum via verae evolutionis, quae efficaciter finem socialis vitae oeconomicae supra expositum prae oculis habeat et organicae naturae vitae socialis, et consequenter intrinsecae cohaerentiae omnium relationum socialium, respectum teneat. Aliis verbis: omnis radicalismus, qui hoc vel illud remedium particulare exaggerat et unice postulat, mechanicismum in vita sociali supponit, qui a doctrina catholica alienus est.

Summus Pontifex Suae allocutioni exhortatione ad vitam vere moralem et religiosam finem imponit. Etiam hic propria activitas ipsorum operariorum primum locum habeat necesse est. Instituantur ergo praeter syndicatus uniones catholicae operariorum, quae vitam culturalem, moralem et religiosam colant (cf. Litt. Enc. « Quadragesimo anno »).

G. Gundlach, S. I.

15 - SS. D. N. Pius Pp. XII

Litterae Encyclicae « Mystici Corporis Christi * »

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

(*AAS* XXXV [20 iul. 1943] p. 193)

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

1. Mystici Corporis Christi, quod est Ecclesia [1], ex ipsius Redemptoris labiis primitus excepta doctrina, ex qua magnum in sua luce ponitur beneficium, satis numquam elatum laudibus, arctissimae coniunctionis nostrae cum tam excelso Capite, res eiusmodi profecto est, quae praestantia dignitateque sua omnes homines, quotquot Divino moventur Spiritu, ad contemplationem invitat, eorumque mentes collustrando, ad salutifera ea opera, quae praeceptis hisce consentanea sint, summopere excitat. Nostrarum igitur esse partium ducimus hac de causa per Encyclicas has Litteras vobiscum colloqui, ea praesertim enucleando edisserendoque, quae ad militantem pertinent Ecclesiam. Ad quod quidem faciendum non modo insignis huius doctrinae granditas Nos permovet, sed praesentes etiam, quibus utimur, rerum condiciones.

2. Loqui siquidem in animo est de divitiis in sinu conditis Ecclesiae, quam Christus acquisivit sanguine suo [2], et cuius membra spineo serto redimito gloriantur Capite. Quod quidem perspicuum testimonium est gloriosissima quaeque atque eximia non nisi ex doloribus nasci, atque adeo communicantibus nobis cum Christi passionibus esse gaudendum, ut et in revelatione gloriae eius gaudeamus exultantes [3].

---

* Quae diversis sectionibus et paragraphis apposita sunt non pertinent ad textum in Act. Ap. Sed. publicatum.

[1] Cf. *Col.*, I, 24.

[2] *Act.*, XX, 28.

[3] Cf. *I Petr.*, IV, 13.

3. Ac principio animadvertendum est, quemadmodum humani generis Redemptor ab iisdem fuit, quorum salutem procurandam susceperat, insectationibus, calumniis cruciatibusque affectus, ita constitutam ab eo societatem hac quoque in re divino adsimulari Conditori suo. Etenim, quamquam non infitiamur, immo potius grato erga Deum fatemur animo, turbulenta etiam aetate hac nostra non paucos esse, qui, etsi a Iesu Christi grege seiuncti, ad Ecclesiam tamen veluti ad unicum salutis portum adspiciant, haud ignoramus tamen non modo ab iis, qui, contempto christianae sapientiae lumine, ad ethnicae vetustatis doctrinas, mores institutaque miserrime regrediantur, Ecclesiam Dei contemni ac superbe hostiliterque detrectari, sed a pluribus etiam christianis, vel fucata errorum specie allectis, vel saeculi illecebris corruptelisque delenitis, eam saepenumero ignorari, neglegi ac quodam etiam taedio fastidioque haberi. Est igitur cur Nos, Venerabiles Fratres, ex ipsius conscientiae Nostrae officio, ac multorum obsecundantes votis, Ecclesiae Matris, cui post Deum omnia debemus, pulchritudinem, laudes, gloriam ante omnium oculos collocando celebremus.

4. Ac spes est haec praecepta hortamentaque Nostra uberiores esse, in praesentibus rerum adiunctis, christifidelibus paritura fructus; quandoquidem novimus tot procellosae huius aetatis aerumnas doloresque, quibus pene innumeri homines acerbissime torquentur, si veluti e Dei manibus pacata quiescentique voluntate excipiantur, eorum animos e terrenis fluxisque rebus ad caelestia aeternumque mansura naturali quodam impulsu convertere, atque arcanam quandam in eis commovere spiritualium rerum sitim impensumque desiderium, quo, Divino exstimulante Spiritu, ad Dei Regnum studiosius inquirendum excitentur ac veluti compellantur. Quo enim magis homines ex huius saeculi vanitatibus et ab inordinato praesentium rerum amore abstrahuntur, eo aptiores profecto fiunt ad supernorum mysteriorum lucem perspiciendam. Atqui luculentius fortasse hodie, quam unquam alias, terrenarum rerum levitas et inanitas cernitur, dum Regna Civitatesque corruunt, dum ingentes opes omnesque genus divitiae per vasta oceani spatia submerguntur, dumque urbes, oppida, fertilesque terrae immanibus consternuntur ruinis fraternaque caede foedantur.

5. Ac praeterea fore confidimus ut iis etiam, qui a Catholicae Ecclesiae gremio seiuncti sunt, ea non ingrata neque inutilia evadant, quae mox sumus de mystico Iesu Christi Corpore exposituri. Idque non modo quod eorum erga Ecclesiam benevolentia in dies augeri videtur, sed quod etiam, cum iidem in praesens cernant gentem adversus gentem, Regnumque adver-

sus Regnum exsurgere, atque in immensum excrescere discordias, invidias simultatisque semina, si ad Ecclesiam oculos convertant, si eius divinitus acceptam unitatem contemplentur — qua omnes cuiusvis stirpis homines fraterno foedere cum Christo coniunguntur — tum profecto eiusmodi caritatis coetum admirari cogentur, et ad eandem unitatem caritatemque participandam, divina adspirante iuvanteque gratia, allicientur.

6. Peculiaris quoque ratio est, eaque suavissima, qua huius doctrinae caput menti Nostrae occurrit eamque summopere delectat. Per elapsum scilicet annum a suscepto a Nobis Episcopatu XXV, aliquid summo solacio vidimus, quod mystici Iesu Christi Corporis imaginem in totius terrarum orbis partibus perspicue significanterque refulgere iussit. Vidimus nempe, quamvis per internecivum diuturnumque bellum fraterna gentium communitas misere diffracta esset, quotquot tamen ubique habemus in Christo filios, una omnium voluntate caritateque, animum ad communem Patrem erigere, qui, omnium sollicitudines anxitudinesque in se referens, Catholicae Ecclesiae navigio tam adversa tempestate moderatur. Qua quidem in re, non modo mirabilem christianorum coetus unitatem, sed hoc etiam testatum animadvertimus, quemadmodum Nos omnes cuiusvis nationis populos paterno amplectimur pectore, ita undique catholicos homines, e gentibus etiam inter se digladiantibus, ad Iesu Christi Vicarium, quasi ad universorum Parentem amantissimum suspicere, qui integra in utrasque partes aequabilitate incorruptoque iudicio ductus, ac turbulentas humanarum perturbationum procellas transcendens, veritatem, iustitiam, caritatemque commendet ac pro viribus tueatur.

7. Nec minus solacii id attulit, quod novimus ultro libenterque fuisse stipem corrogatam, qua sacra aedes Romae excitari queat sanctissimo Decessori Nostro ac nominali Prestiti Eugenio I dicanda. Ut igitur hoc templo, christifidelium omnium voluntatibus largitionibusque excitando, faustissimi huius eventus erit memoria perennanda, ita cupimus ut grati animi Nostri testimonium per Encyclicas has Litteras exhibeatur, in quibus res est de vivis illis lapidibus, qui superaedificati lapidi vivo angulari, qui Christus est, coaedificantur in templum sanctum, quovis templo manibus constructo longe excelsius, in habitaculum videlicet Dei in Spiritu[4].

8. Pastoralis autem sollicitudo Nostra potissimum in causa est, cur Nos in praesens hac de excelsa doctrina enucleate satis pertractemus. Multa siquidem hac super re in lucem prolata

[4] Cf. *Eph.*, II, 21-22; *I Petr.*, II, 5.

sunt; neque ignoramus non paucos hodie actuosiore voluntate ad haec studia converti, quibus etiam christianorum pietas delectatur, quod et renovatum sacrae liturgiae studium, et frequentius in morem inducta Eucharistici pabuli perceptio, et impensior denique sacratissimi Cordis Iesu cultus, quo hodie laetamur, ad altiorem contemplationem investigabilium divitiarum Christi, quae in Ecclesia adservantur, multorum animos adduxerint. Accedit quod, quae de Catholica Actione postremis hisce temporibus prodiere documenta, quandoquidem christianorum inter se et cum ecclesiastica hierarchia, imprimisque cum Romano Pontifice, magis magisque adstrinxere nexus, ad hanc causam in sua luce ponendam haud parum procul dubio contulere. Nihilo secius, si de his, quae supra attigimus, iure meritoque gaudere possumus, diffitendum tamen non est, non modo ab iis, qui sunt a vera Ecclesia disiuncti, graves, ad hanc doctrinam quod attinet, disseminari errores, sed inter christifideles etiam vel minus accuratas, vel omnino falsas serpere sententias, quae quidem mentes e recto veritatis tramite abducant.

9. Dum enim ex una parte commenticius perdurat *rationalismus*, qui perabsurdum reputat, quidquid transcendat atque evincat humani ingenii vires, dumque eidem comitatur cognatum erroris genus, *naturalismum vulgarem* quem vocant, qui in Ecclesia Christi, nihil aliud nisi vincula mere iuridica et socialia nec videt, nec cernere vult; ex altera parte falsus subrepit *mysticismus*, qui immobiles limites removere conatus inter creatas res earumque Creatorem, Sacras Litteras adulterat.

10. Haec autem contraria sibique invicem adversantia ac falsa commenta id efficiunt, ut quidam inani quodam timore perculsi, altiorem eiusmodi doctrinam utpote periculosum quiddam considerent, atque adeo ab ea tamquam a pulchro, sed prohibito Paradisi pomo abhorreant. Haud recte id sane: non enim revelata a Deo mysteria exitialia hominibus esse possunt, nec instar thesauri in agro absconditi, infructuosa permanere debent; sed idcirco divinitus data sunt, ut pie contemplantium ad spiritualem conferant profectum. Nam, ut Vaticana Synodus docet, « ratio fide illustrata, cum sedulo pie et sobrie quaerit, aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit analogia, tum e mysteriorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo »; quamquam eadem, ut ipsa sacra Synodus admonet, « numquam

idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius obiectum constituunt »[5].

11. Quibus omnibus coram Deo mature perpensis: ut summa Ecclesiae pulchritudo nova gloria affulgeat; ut fidelium qui in Christi Corpore cum Capite suo coniunguntur, nobilitas eximia supraque naturam elata luculentius innotescat; ut denique multiplicibus erroribus in hanc rem penitus claudatur aditus, Nos pastoralis Nostri officii partes duximus universo christiano gregi per Encyclicas has Litteras doctrinam proponere de mystico Iesu Christi Corpore deque fidelium in eodem Corpore cum divino Redemptore coniunctione; simulque ex suavissima eadem doctrina documenta quaedam proferre, quibus altior mysterii huius investigatio uberiores usque edat perfectionis sanctitatisque fructus.

12. Meditantibus nobis huius doctrinae caput Apostoli verba principio occurrunt: « Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia »[6]. Constat siquidem totius humani generis parentem in tam excelsa fuisse a Deo condicione constitutum, ut una cum terrena supernam posteris traderet caelestis gratiae vitam. Attamen post miserum Adae casum, universa hominum stirps, hereditaria labe infecta, divinae naturae consortium[7] amisit, omnesque facti sumus filii irae[8]. Sed miserentissimus Deus « sic ... dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret »[9], et Verbum Aeterni Patris una eadem divina dilectione sibi ex Adae progenie humanam assumpsit naturam, innocentem tamen omnique labe expertem, ut ex novo ac caelesti Ada Spiritus Sancti gratia in omnes protoparentis filios deflueret; qui quidem cum fuissent per peccatum primi hominis divinae subolis adoptione privati, per Incarnatum Verbum, fratres secundum carnem effecti Filii Dei Unigeniti, potestatem acciperent, qua filii Dei fierent[10]. Atque adeo pendens e Cruce Christus Iesus non modo violatam resarsit Aeterni Patris iustitiam, sed ineffabilem nobis consanguineis suis gratiarum copiam promeruit. Quam directo per se ipse universo humano generi dilargiri potuerat; voluit tamen per eam omnes in divinis impertiendis Redemptionis fructibus sociam quodammodo sibi operam praestarent. Sicut enim Dei Verbum, ut doloribus cruciatibusque suis homines redimeret, nostra voluit natura uti, eodem fere modo per

---

[5] Sessio III: *Const. de fide cath.*, c. 4.
[6] *Rom.*, V, 20.
[7] Cf. *II Petr.*, I, 4.
[8] *Eph.*, II, 3.
[9] Ioann., III, 16.
[10] Cf. Ioann., I, 12.

saeculorum decursum utitur Ecclesia sua, ut inceptum opus perennet [11].

13. Iamvero ad definiendam describendamque hanc veracem Christi Ecclesiam — quae sancta, catholica, apostolica, Romana Ecclesia est [12] — nihil nobilius, nihil praestantius, nihil denique divinius invenitur sententia illa, qua eadem nuncupatur « mysticum Iesu Christi Corpus »; quae quidem sententia ex iis effluit ac veluti efflorescit, quae et in Sacris Litteris et in sanctorum Patrum scriptis crebro proponuntur.

Ecclesia est corpus, unum, indivisum, perspicibile et organicum

14. Ecclesiam esse corpus saepe Sacra Eloquia praedicant. « Christus, inquit Apostolus, est Caput Corporis Ecclesiae » [13]. Quodsi corpus est Ecclesia, unum quiddam et indivisum sit oportet secundum illud Pauli: « Multi unum corpus sumus in Christo » [14]. Nec solummodo unum quiddam et indivisum esse debet, sed aliquid etiam concretum ac perspicibile, ut Decessor Noster fel. rec. Leo XIII in Encyclicis Litteris *Satis cognitum* affirmat: « Propter eam rem quod corpus est, oculis cernitur Ecclesia » [15]. Quapropter a divina veritate ii aberrant, qui Ecclesiam ita effingunt, ut neque attingi neque videri possit, sitque tantum « pneumaticum » aliquid, ut aiunt, quo multae Christianorum communitates, licet fide ab se invicem seiunctae, inter se tamen haud adspectabili nexu coniungantur.

15. At corpus multitudinem quoque membrorum exigit, quae ita inter se connectantur, ut mutuo sibi auxilio veniant. Et quemadmodum in mortali concretione nostra cum membrum dolet, cetera omnia condolescunt; et quae sana sunt aegrotantibus suppetias veniunt: ita in Ecclesia singula membra non sibi unice vivunt, sed aliis quoque opitulantur, atque omnia sibi invicem adiutricem operam praestant, cum ad mutuam consolationem, tum ad ampliorem usque aedificationem totius Corporis.

16. Ac praeterea sicut in natura rerum non ex qualibet membrorum congerie constituitur corpus, sed organis, uti aiunt, instructum sit oportet, seu membris, quae non eundem actum habeant ac sint apto ordine composita: ita Ecclesia ea maxime

---

[11] Cf. Conc. Vat., *Const. de Eccl.*, prol.
[12] Cf. ibidem, *Const. de fid. cath.*, cap. 1.
[13] *Col.*, I, 18.
[14] *Rom.*, XII, 5.
[15] Cf. *A. S. S.*, XXVIII, p. 710.

de causa Corpus dicenda est, quod recta consentaneaque coalescit partium temperatione coagmentationeque, ac diversis est sibique invicem congruentibus membris instructa. Nec aliter Apostolus Ecclesiam describit, cum dicit: « Sicut ... in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra [16].

ORGANICA STRUCTURA CORPORIS ECCLESIAE

17. Minime autem reputandum est hanc ordine digestam, seu « organicam », ut aiunt, Ecclesiae Corporis structuram solis hierarchiae gradibus absolvi ac definiri; vel, ut opposita sententia tenet, unice ex *charismaticis* constare; qui quidem donis prodigialibus instructi, numquam sunt in Ecclesia defuturi. Omnino utique retinendum est, qui sacra potestate in eiusmodi Corpore fruantur, primaria eos ac principalia membra exsistere, cum per eosdem, ex ipso Divini Redemptoris mandato, munera Christi doctoris, regis, sacerdotis perennia fiant. Attamen iure meritoque Ecclesiae Patres, cum huius Corporis ministeria, gradus, professiones, status, ordines, officia dilaudant, non eos tantum prae oculis habent, qui sacris fuerint ordinibus initiati; sed eos quoque omnes, qui evangelica consilia amplexi, vel operosam inter homines, vel umbratilem in silentio vitam agant, vel utrumque pro peculiari instituto suo efficere contendant; eosque etiam, qui licet in saeculo vivant, actuosa tamen voluntate misericordiae operibus se dedant, sive animis, sive corporibus iuvandis; ac denique eos quoque, qui casto sint connubio coniugati. Quin imo animadvertendum est, in praesentibus potissimum rerum condicionibus, patres matresque familias, ac patres matresque ex baptismate, eosque nominatim, qui ex laicorum ordine ad Divini Redemptoris regnum dilatandum adiutricem ecclesiasticae hierarchiae operam navent, honorificum, etiamsi saepenumero humilem, in christiana societate obtinere locum; ac vel eos posse, adspirante faventeque Deo, ad sanctitudinis culmen ascendere, numquam in Ecclesia ex Iesu Christi promissionibus defuturum.

---

[16] *Rom.*, XII, 4.

Sacramenta provident huius Corporis necessitatibus socialibus

18. Sicut autem humanum corpus propriis instrumentis ornatum cernitur, quibus vitae, sanitati, ac sui ipsius singulorumque membrorum incremento consulat: sic humani generis Servator ex infinita bonitate sua Corpori suo mystico mirum in modum prospexit, illud sacramentis ditando, quibus membra quasi per non intermissos gratiarum gradus, ab incunabulis ad extremum usque halitum sustentarentur, itemque socialibus totius Corporis necessitatibus uberrime provideretur. Siquidem per lustralis aquae lavacrum non modo qui sunt mortali huic vitae nati, ex peccati morte renascuntur et Ecclesiae constituuntur membra, sed spirituali etiam charactere insigniti capaces aptique fiunt ad cetera suscipienda munera sacra. Confirmationis vero chrismate credentibus novum robur inditur, ut Ecclesiam Matrem et quam ab ea acceperint fidem, strenue tueantur ac defendant. Per Paenitentiae autem Sacramentum Ecclesiae membris, in peccatum lapsis, salutaris praebetur medicina, non solum ut ipsorum saluti consulatur, sed ut ab aliis etiam mystici Corporis membris contagionis periculum removeatur, immo potius virtutis iisdem praestetur incitamentum atque exempium. Neque id satis; nam per sacram Eucharistiam fideles uno eodemque epulo enutriuntur ac roborantur, atque inter se et cum divino totius Corporis Capite ineffabili ac divino copulantur vinculo. Ac postremo hominibus ad mortem oblanguescentibus praesto est pia Mater Ecclesia, quae per sacram infirmorum unctionem, si non semper mortalis huius corporis sanitatem, ita volente Deo, impertit, supernam tamen sauciatis animis medicinam praestat, ut novos cives novosque sibi datos praestites coelo transmittat, divina bonitate omne per aevum fruituros.

19. Ac peculiari modo Christus socialibus Ecclesiae necessitatibus per duo instituta ab se sacramenta consuluit. Matrimonio enim, quo coniuges sibi invicem sunt ministri gratiae, externo Christianae consortionis providetur ordinatoque incremento; et quod maius est, rectae etiam religiosaeque subolis educationi, sine qua mysticum eiusmodi Corpus gravissimum in discrimen vocaretur. Sacro autem Ordine ii Deo mancipantur ac consecrantur, qui Eucharisticam Hostiam immolent, qui fidelium gregem Angelorum Pane et doctrinae pabulo enutriant, qui divinis eum praeceptis consiliisque dirigant, qui ceteris denique supernis muneribus confirment.

20. Quam ad rem animadvertendum est, quemadmodum Deus initio temporis hominem ditissimo corporis apparatu instruxit, quo creatas res sibi subiceret, ac multiplicatus repleret terram, ita eum christiani aevi exordio necessariis opibus comparasse Ecclesiam, ut, pene innumeris superatis periculis, non modo universum terrarum orbem, sed caelestia quoque repleret regna.

Membra huius Corporis sunt omnes fideles baptizati, etiam peccatores

21. In Ecclesiae autem membris reapse ii soli annumerandi sunt, qui regenerationis lavacrum receperunt veramque fidem profitentur, neque a Corporis compage semet ipsos misere separarunt, vel ob gravissima admissa a legitima auctoritate seiuncti sunt. « Etenim in uno Spiritu, ait Apostolus, omnes nos in unum Corpus baptizati sumus, sive Iudaei sive gentiles, sive servi, sive liberi »[17]. Sicut igitur in vero christifidelium coetu unum tantummodo habetur Corpus, unus Spiritus, unus Dominus et unum Baptisma, sic haberi non potest nisi una fides[18]; atque adeo qui Ecclesiam audire renuerit, iubente Domino habendus est ut ethnicus et publicanus[19]. Quamobrem qui fide vel regimine invicem dividuntur, in uno eiusmodi Corpore, atque uno eius divino Spiritu vivere nequeunt.

22. Neque existimandum est Ecclesiae Corpus, idcirco quod Christi nomine insigniatur, hoc etiam terrenae peregrinationis tempore, ex membris tantummodo sanctitate praestantibus constare, vel ex solo eorum coetu exsistere, qui a Deo sint ad sempiternam felicitatem praedestinati. Id enim est infinitae Servatoris nostri misericordiae tribuendum, quod heic in mystico suo Corpore iis locum non deneget, quibus olim in convivio locum non denegaverit[20]. Siquidem non omne admissum, etsi grave scelus, eiusmodi est ut — sicut schisma, vel haeresis, vel apostasia faciunt — suapte natura hominem ab Ecclesiae Corpore separet. Neque ab iis omnis vita recedit, qui licet caritatem divinamque gratiam peccando amiserint, atque adeo superni promeriti iam non capaces evaserint, fidem tamen christianamque spem retinent, ac caelesti luce collustrati, intimis Spiritus Sanctis suasionibus impulsionibusque ad salutarem instigantur timorem, et ad precandum suique lapsus paenitendum divinitus excitantur.

---

[17] *I Cor.*, XII, 13.
[18] Cf. *Eph.*, IV, 5.
[19] Cf. Matth., XVIII, 17.
[20] Cf. Matth., IX, 11; Marc., II, 16; Luc., XV, 2.

23. Horreat igitur omnium animus peccatum, quo mystica maculantur Redemptoris membra; sed qui misere deliquerit, nec contumacia sese indignum reddiderit christifidelium communione, summo excipiatur amore, in eoque actuosa caritate conspiciatur infirmum Iesu Christi membrum. Praestat enim, ut Hipponensis Episcopus animadvertit, « in Ecclesiae compage sanari, quam ex illius corpore veluti insanabilia membra resecari » [21]. « Quidquid enim adhuc haeret corpori, non desperatae sanitatis est; quod autem praecisum fuerit, nec curari nec sanari potest » [22].

(*Continuabitur* *)

---

[21] AUGUST., *Epist.*, CLVII, 3, 22: MIGNE, *P. L.*, XXXIII, 686.
[22] AUGUST., *Serm.*, CXXXVII, 1: MIGNE, *P. L.*, XXXVIII, 754.
* Reliqua pars huius documenti una cum annotationibus dabitur in sequenti fasciculo.

16 - Suprema S. Congregatio S. Officii

(*AAS.* xxxv [15 maii 1943] p. 144).

DE PROHIBITIONE LIBRORUM

Cum in pravis libris denuntiandis morae et omissiones sint saepe conquerendae plurimique christifideles in exitiali ignorantia circa denuntiationem et prohibitionem perniciosorum librorum versentur, Suprema S. Congregatio Sancti Officii opportunum ducit praecipua sacrorum canonum de hac re praescripta in memoriam revocare; per prava enim vel noxia scripta puritas fidei, integritas morum ipsaque salus animarum maximis periculis exponuntur, ut compertum est.

Profecto innumera scripta fidei ac moribus adversantia, quae praesertim nostris temporibus ubique terrarum et variis linguis quotidie fere eduntur, Sedes Apostolica ipsa sollicite ac tempestive prohibere nequit. Opus proinde est, ut locorum Ordinarii, quorum est sanam et orthodoxam doctrinam conservare ac bonos mores tueri (c. 343, 1), per se aut per sacerdotes idoneos vigilent in libros, qui in proprio territorio eduntur aut venales prostant (c. 1397, 4), et quos damnandos iudicaverint, eos suis subditis prohibeant (c. 1395, 1). Ius et officium prohibendi ex iusta causa libros pro suis subditis competit etiam Abbati monasterii sui iuris et supremo religionis clericalis exemptae Moderatori cum suo Capitulo vel Consilio, immo in casu urgenti aliis Superioribus maioribus cum proprio Consilio, ea tamen lege ut rem quantocius deferant ad supremum Moderatorem (c. 1395, 3). Attamen libros, qui subtilius examen exigant vel de quibus ad salutarem effectum consequendum supremae auctoritatis sententia requiri videatur, ad Apostolicae Sedis iudicium Ordinarii deferant (c. 1397, 5).

Omnium quidem fidelium, praesertim clericorum, est libros perniciosos competenti auctoritati denuntiare; sed

peculiari titulo id pertinet ad clericos in dignitate ecclesiastica constitutos, ut sunt Legati Sanctae Sedis locorumque Ordinarii, atque ad eos qui doctrina ceteris praecellunt, ut Universitatum catholicarum Rectores Doctoresque.

Denuntiatio autem facienda est vel huic Congregationi S. Officii, vel Ordinario loci, declaratis quidem causis, quibus liber prohibendus existimetur. Iis vero, ad quos denuntiatio defertur, sanctum esto nomina denuntiantium secreta servare (c. 1397, 1, 2, 3).

Denique Ordinarii locorum aliique curam animarum habentes fideles opportune moneant: *a*) prohibitionem librorum id efficere, ut liber sine debita licentia nec edi vel iterum edi (nisi factis correctionibus et legitima approbatione obtenta), nec legi, nec retineri, nec vendi, nec in aliam linguam verti, nec ullo modo cum aliis communicari possit (c. 1398, 1, 2); *b*) libros ab Apostolica Sede damnatos ubique locorum et in quodcumque vertantur idioma prohibitos censeri (c. 1396); *c*) lege positiva ecclesiastica esse vetitos non tantum libros speciali decreto ab Apostolica Sede singillatim damnatos et in *Indicem librorum prohibitorum* relatos, vel a Conciliis particularibus sive ab Ordinariis pro suis subditis proscriptos, sed etiam libros prohibitos *ipso iure communi*, idest ex regulis c. 1399 contentis, quibus fere omnes libri pravi et de se noxii modo generali prohibentur; *d*) ex lege naturali vetari cuiuslibet libri lectionem, quae proximum periculum spirituale praebeat, cum ius naturae prohibeat, ne quis se constituat in periculo amittendi veram fidem aut bonos mores; itaque licentiam utendi libris prohibitis a quovis obtentam nullo modo eximere ab hac prohibitione legis naturalis (c. 1405, 1).

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 17 Aprilis 1943.

I. Pepe, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

Annotatio

Haec Instructio S. Officii nihil iis addit quae de prohibitione librorum in Codice i. c. continentur, praeter unam alteramve exhortationem valde opportunam.

Sacerdotes curae animarum addicti sedulo illum satis sparsum errorem notare et removere deberent quo fideles non pauci solos illos libros libellosque damnari censent, qui in « Indice » seu albo librorum prohibitorum reperiuntur. Quare attenti fiant ad principia generalia seu regulas in c. 1399 contenta, quibus omnes fere libri pravi vel vere periculosi ipso iure communi damnantur.

Etsi omnes fideles de libris damnandis Superiores certiores facere possunt, raro laicus officium, saltem grave, illud faciendi habebit. Idque tum quia raro solus aut prae aliis id facere posset, tum quia officium illud multo magis ad clericos et animarum pastores pertinet. Multo saepius, ut videtur, Ordinarii locorum suo iure uti deberent damnandi et praesertim ut damnatos iure communi manifestandi libros pravos vel graviter periculosos. Fama huius damnationis in totam regionem facile divulgatur, ita ut interventus S. Sedis inutilis fiat. Accidit enim non raro ut liber ad S. Officium deferatur cum iam multis fidelibus graviter nocuit. Potest autem accidere ut deferantur ad S. Sedem, ut damnentur, opera quae notam non merentur. Ideo petit S. Officium ut in ipsa delatione declaretur cur liber damnabilis sit. Cetera commentario indigere non videntur.

J. Creusen, S. I.

17 - Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos

(*AAS.* XXXV [19 febr. 1943] p. 58).

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. - DE DELEGATO EPISCOPALI QUOAD MATRIMONIA

D. An Delegato episcopali, cui conceditur facultas delegata ad universitatem negotiorum iuxta canonem 199 § 1, hoc ipso concessa intelligatur vel saltem concedi possit delegatio generalis ad assistendum matrimoniis, attento canone 1096 § 1.

R. Negative.

II. - DE CURATORE DEMENTIS

D. I. Utrum vi canonis 1651 § 1 ad curatorem dandum iis, qui rationis usu destituti vel minus firmae mentis sunt, requiratur regulare iudicium, an sufficiat decretum Ordinarii, praevia eiusdem prudenti inquisitione.

II. Utrum denuntiatio citationis et communicatio sententiae, de quibus in canonibus 1712 et 1877, fieri debeant ipsi rationis usu destituto aut mente infirmo, an eorumdem curatori legitime constituto.

R. Ad I et II: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 25 mensis Ianuarii, anno 1943.

Card. M. MASSIMI, *Praeses.*

L. ✠ S. I. Bruno, *Secretarius.*

Annotationes

I.

Episcopi residentiales, Abbates vel Praelati *nullius* eorumque Vicarius Generalis gaudent potestate ordinaria intra proprium territorium. Hanc potestatem possunt alteri delegare etiam ex toto, nisi aliud expresse iure caveatur (c. 199 § 1).

Cum igitur Ordinarii locorum possint, vi officii, assistere matrimoniis celebratis intra proprium territorium (c. 1094) et valeant insuper delegatum constituere, cui concedatur facultas delegata ad universitatem negotiorum, quaerendum occurrit an in hac concessione comprehendatur etiam vel saltem comprehendi possit delegatio generalis ad assistendum matrimoniis intra territorium cuiusque Ordinarii.

Ut huic dubio negative respondeatur, sufficit ostendere iure expresse prohiberi ne haec delegatio generalis ad assistendum matrimoniis concedatur Delegato episcopali, cui tradatur facultas ad universitatem negotiorum. Id autem absque difficultate praestari posse videtur. Nam in c. 1096 § 1 excluduntur expresse quaelibet delegationes generales ad assistendum matrimoniis, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt. Hoc autem praescriptum afficere etiam ipsos Ordinarios locorum patet ex eo quod respiciat licentiam concessam ad normam canonis 1095 § 2. Iam vero in hoc loco sermo est non modo de parocho, sed etiam de ipso Ordinario loci. Itaque ii omnes qui possunt dare delegationem assistendi matrimoniis, non exclusis ipsis Ordinariis locorum, debent eam concedere expresse sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, aliis ac vicariis cooperatoribus, pro paroecia cui addicti sunt, concessis.

Haec doctrina iam communiter tradebatur ab auctoribus saltem implicite, cum ii de generali delegatione ad assistendum matrimoniis agentes, eam admitterent exclusive pro vicariis cooperatoribus; sed cum nonnulli insisterent solummodo in prohibitione facta *parochis* quoad hanc delegationem generalem concedendam aliis ac suis vicariis cooperatoribus, opportunum fuit ut authentice declararetur etiam Ordinarios locorum teneri aequo modo praescriptis canonis 1096 § 1, ac consequenter in facultate concessa Delegato episcopali ad universitatem negotiorum non posse unquam comprehendi delegationem generalem ad assistendum matrimoniis intra dioecesim celebrandis.

Clare iam patet ex iure atque ex declarationibus authenticis diebus 14 iulii 1922 et 24 febr. 1942 datis [1] quinam valeant vi officii assistere matrimoniis; eadem claritate constat pariter ex iure et ex praesenti declaratione quibus possit hac in re delegatio generalis concedi. Demum in c. 1096 § 1 et in declarationibus [2] datis d. 20 maii 1923 et 28 dec. 1927 minutatim describitur quid requiratur ad validitatem in casu particularis delegationis vel subdelegationis. Difficile ergo videtur posse iam matrimonia invalida exsistere ex eo quod sacerdos, qui assistit matrimonio, debita careat potestate. Non pauca tamen matrimonia fuisse antea invalida ex hoc capite, seu ex defectu legitimae delegationis in sacerdote assistente, deducitur ex iis quae leguntur in Instructione S. C. de disc. Sacramentorum [3] d. die 29 iunii 1941. Quod ibidem non modo inadvertentiae, sed etiam imperitiae, et quidem culpabili, tribuendum esse asseritur. Probe igitur, ait S. Congregatio, addiscant oportet sacerdotes, antequam matrimoniis assistant, statuta canonum 1094-1103, quod refertur ad validitatem et licitam eorundem assistentiam, necnon responsiones Pont.

---

[1] Cfr. AAS. XIV, p. 527; XXXIV, p. 50; Period. XIII, p. 80, XXXI, p. 194.

[2] Cfr. AAS. XVI, p. 114; XX, p. 61; Period. XIII, p. 80.

[3] Cfr. AAS. XXXIII, p. 297; Period. XXX, p. 354.

Comm. ad Codicis canones auth. interpr. d. 14 iulii 1922, 20 maii 1923 et 28 decembris 1927.

II.

Secundum canonem 1648 § 1 pro iis qui rationis usu destituti sunt agere et respondere tenentur eorum parentes aut tutores vel curatores. Ii vero, qui minus firmae mentis sunt, possunt vi canonis 1650 stare in iudicio ipsi per se tantummodo ut de propriis delictis respondeant aut ad praescriptum iudicis; in ceteris agere et respondere tenentur per suos curatores. Vocabula tutoris et curatoris ad diversas res significandas adhibebantur in iure romano[1]; nunc vero etsi interdum indistinctim adhibeantur, fortasse sit melius tutorem vocare eum, qui datur personae incapaci ad operandum ob aetatem, curatorem autem dicere illum, qui datur personae incapaci ad providendum sibi ob debilitatem mentis vel prodigalitatem.

In dubio Commissioni Codicis proposito agitur solummodo de curatore dando iis qui rationis usu destituti vel minus firmae mentis sunt; immo in titulo tantum fit mentio de curatore dementis, sub quo generico nomine comprehenduntur quotquot mentis firmitate sufficienti ad agendum et respondendum in iudiciis carere censentur.

Cum de curatore alicui pro foro ecclesiastico constituendo agatur, potest contingere ut eidem ab auctoritate civili fuerit iam datus curator. Ex hoc autem minime sequitur posse eo ipso curatorem civilem nomine pupilli sui agere vel respondere etiam in foro ecclesiastico; nisi enim accedat consensus Ordinarii proprii illius cui datus est curator, hic nullo modo a iudice ecclesiastico admitti poterit. Sufficiet vero ut Ordinarius per decretum consensum praestet.

In hoc casu, ut recte notat Roberti[3], auctoritas eccle-

[1] Cfr. Wernz-Vidal, VI, p. 175, not. 31.
[2] Cfr. Wernz, V, nn. 245 et 249.
[3] Cfr. Roberti, De Processibus (1941) I, n. 202, 2.

siastica acceptat iudicium auctoritatis civilis tum quoad necessitatem tum quoad personam curatoris. Expedit profecto ut ubi tutor vel curator a civili auctoritate constitutus adsit, hic admittatur etiam in foro ecclesiastico, nisi graves rationes aliud suadere videantur, quae norma expresse statuitur pro causis de nullitate matrimonii in art. 78 Instructionis[4] S. C. de disc. Sacram. d. 15 augusti 1936.

Semper tamen penes Ordinarium erit potestas constituendi alium curatorem pro foro ecclesiastico, si omnibus mature perpensis id statuendum esse prudenter censuerit (c. 1651 § 2). Bene autem animadvertit Lega ad hanc substitutionem non esse deveniendum, antequam serio perpendatur an remoto civili curatore, iudicialis definitio ecclesiastica sustineri valeat etiam in foro civili ad effectus civiles qui aliquando necessario posthabendi non sunt. In huiusmodi adiunctis, subiungit idem auctor, satius erit expetere promotoris iustitiae interventum, quo subveniatur incommodis praevisis, quam novum curatorem nominare[5].

In canone 1651 § 1 citato in responsione Comm. Codicis agitur de requisitis necessariis ad admittendum curatorem ab auctoritate civili iam constitutum; in dubio vero proposito agitur potius de dando curatore; atque hic casus magis stricte haberi videtur, cum vel desit provisio auctoritatis civilis vel reiciatur ea pro foro ecclesiastico ab Ordinario competenti. Fortasse aliquis error irrepsit in sola paragrapho prima canonis 1651 citanda.

In prima hypothesi duo erunt praestanda, sc. de infirmitate mentis, quae necessitatem curatoris nominandi secum ferat, prudens iudicium efformare et idoneam personam ad hoc munus exercendum designare. Haec autem, ut declarat Comm. Codicis, fieri poterunt per decretum Ordinarii, praevia eiusdem prudenti inquisitione, quin necessaria sit regularis iudicii institutio. Sufficiet ergo exercitium

---

[4] Cfr. AAS. XXVIII, p. 330.

[5] Cfr. Lega, Commentarius in iudicia ecclesiastica (1938), p. 312.

iurisdictionis voluntariae, cum finis primarius per institutionem curatoris intentus sit prospicere tutelae infirmi, nec aliunde probabile videatur ex huiusmodi provisione laesionem iurium aliarum personarum esse secuturam. At, si ii quorum interest, et in primis ipsa persona interdicenda, iura propria huiusmodi decreto Ordinarii laesa esse existiment, locus erit contestationi et sic tandem necessaria erit sententia iudicialis post processum iuris ordine servato[6].

In art. 78 § 3 Instructionis S. C. de disc. Sacramentorum, supra memoratae, praecipitur ut in curatore constituendo pro causis de nullitate matrimonii procedatur iuris ordine servato, audita altera parte necnon vinculi defensore. Haec norma pro hoc casu particulari ideo fortasse est data, quia praesumendum videatur in genere declarationem circa infirmitatem mentis interesse alterius partis et vinculi defensoris ob influxum quem potest habere in ipsam sententiam de nullitate matrimonii.

In altera hypothesi, seu in casu in quo curator ab auctoritate civili constitutus reiciendus videatur pro foro ecclesiastico, quaestio reducitur ad personam idoneam designandam quae officium curatoris exerceat in hoc foro; a fortiori igitur sufficiet decretum Ordinarii pro hac simplici designatione, cui nulla inquisitio circa necessitatem curatoris instituendi praeire debet.

Quod autem in secunda paragrapho declarationis Commissionis Codicis praescribitur circa denuntiationem citationis et communicationem sententiae faciendam curatori legitime constituto pro destitutis rationis usu vel mente infirmis, nulla explicatione indiget, cum sit velut consectarium logicum illius substitutionis totalis, quae in canone 1650 statuitur pro causis contentiosis. Sed cum in canonibus 1712 et 1877 fiat mentio sive de reo sive de actore sive de partibus in genere, sub quibus nominibus veniunt proprie non curatores, sed illi quorum vices iuridice agunt, sua utilitate haec explicita declaratio carere non videtur.

PH. AGUIRRE, S. I.

[6] Cfr. Roberti, l. c. n. 202, 3.

18 - Archivio Segreto Vaticano

(*AAS* XXXIV [Decemb. 1942] p. 384)

LETTERA AGLI ECC.MI E REV.MI ORDINARII D'ITALIA PER IL CENSIMENTO DEGLI ARCHIVI E DELLE BIBLIOTECHE ECCLESIASTICHE.

Dal Vaticano, 1° novembre 1942.

Eccellenza Reverendissima,

Per augusto incarico del Nostro Santo Padre Pio XII fel. r. dirigo all'Eccellenza Vostra Reverendissima un complesso di domande circa il contenuto degli archivi e delle biblioteche ecclesiastiche di cotesta Diocesi, pregandoLa di voler affidare a persona o a persone di propria fiducia, che giudichi le più adatte, la cura di ottenere risposte precise, esatte e complete al possibile, dovendo queste servire — e non servirebbero altrimenti — a nobili scopi, che pur tra le gravissime sollecitudini quotidiane del Sommo Pontificato in questi anni terribili, stanno grandemente a cuore della Santità Sua e per certo piaceranno anche all'Eccellenza Vostra.

In poche parole, si desidera conoscere, non vagamente ed in confuso come finora, la consistenza vera e reale, al momento presente, del patrimonio archivistico e bibliografico - eredità preziosa sotto molti rispetti di ordine superiore — di tutte le Diocesi d'Italia, non tanto allo scopo di essere ed apparire possessori e amministratori perfettamente coscienti, studiosi e di mantenere e poi legare ai posteri integro e bene in assetto ciò che si ricevette in eredità dagli avi, quanto perchè si possa metterlo (come dicesi) in valore, con vantaggio ed onore della Chiesa e profitto della scienza, e riesca non troppo difficile usarne, oltre che nei bisogni occorrenti della Diocesi e dei fedeli, in monografie, assai cercate e gradite, di storia locale, segnatamente in una vagheggiata Storia Ecclesiastica d'Ita-

lia per province o circoscrizioni di carattere proprio particolare, totalmente fondata sui documenti inoppugnabili e nella quale non solo si raccolgano, ben vagliate e completate, le notizie finora solite a ripetersi, la serie cioè dei dignitari ecclesiastici con brevi accenni a qualche atto od opera loro più cospicua, ma si pongano altresì in viva luce specialmente la vita religiosa della Diocesi nei vari tempi, le fondazioni di pietà, di carità e beneficenza e di istruzione floritevi, le opere d'arte sacra compiutevi ecc., e si vegga quanto in tali riguardi soprattutto e le popolazioni singole e la Società civile debbano all'influsso benefico della Chiesa e all'attività e vigilanza dei Sacri Pastori. Un'opera ideale di verità e di giustizia ad un tempo, molto istruttiva, ed ai giorni nostri — non occorrerebbe nemmeno rilevarlo — quanto mai opportuna, che ogni buon sacerdote ed ogni colto laico sarebbe lieto e fiero di avere almeno per la propria città ed ogni nuovo Vescovo, prima dell'ingresso in Diocesi avrebbe voluto poter trovare.

E' dunque per una utilità pubblica, d'interesse non lieve nè ristretto, che si è giudicato opportuno — non ostante l'avversità del tempo — pregare l'Eccellenza Vostra che si compiaccia di ordinare la raccolta delle notizie desiderate. Ma lo si è giudicato e lo si giudica opportuno eziandio per altri due motivi meritevoli di considerazione.

L'uno è che presentemente anche in Italia, promosse e sussidiate dal Potere civile, si compiono larghe ricerche sulla popolazione ed i fenomeni demografici nei vari tempi; ricerche che per i secoli anteriori al XIX non possono assolutamente approdare fuori degli archivi parrocchiali, dove si conservano i registri dei nati e dei morti e dei matrimoni, gli stati d'anime, ecc., tenuti allora solo dalla Chiesa. Ora, con le stesse indicazioni precise circa gli archivi parrocchiali, che si desiderano per la Santa Sede, gli Ecc.mi Ordinari, allorchè verranno pregati, subito e senza disagio, con onore della Chiesa e proprio (un bene

questo secondario, ma pure da pregiare e da curare), potranno secondare ed aiutare validamente quella vasta impresa scientifica, che preme tanto alle Autorità civili ed ai cultori delle discipline storiche, economiche e sociali, e rendersene benemeriti fra i primi. Anzi potranno, senza altro, al medesimo tempo, formare presso di sè colle schede doppie appositamente predisposte per Essi un inventario archivistico-bibliografico della Diocesi, comodissimo per quando occorre fare la sacra visita, ordinare la verifica e la consegna dei libri e carte nei trapassi dei benefici od uffici, e rispondere a giuste domande di persone in autorità e di studiosi o di altri comunque interessati.

L'altro motivo è che molto probabilmente ne avranno vantaggio almeno parecchi degli archivi e biblioteche stesse, in quanto l'ispezione necessaria a rispondere con esattezza ne rivelerà i bisogni che mai avessero o di ordinamento o di riassetto o di riparazione a carte, pergamene, codici deperenti, o del compimento di indici o inventari rimasti in addietro o non più rispondenti all'ordine attuale o smarriti. Si guardano, è vero, nelle sacre visite o dall'Eccellentissimo Ordinario o da un convisitatore anche gli archivi, ma attesi i fini prevalenti e le circostanze medesime delle visite pastorali tale esame è piuttosto rapido, rivolto principalmente ad assicurare che il parroco tenga regolarmente a giorno quei libri e quelle carte d'ufficio, a cui per le necessità stesse del ministero si è costretti a ricorrere di continuo, e che perciò ordinariamente sono meglio conservate e tenute in ordine, di preferenza a quelle antiquate e quasi mai d'uso per lui; nè può estendersi molto al di là, specialmente dove sia una parte antica considerevole, che esternamente può apparire in buono stato ed ordine e non esserlo in realtà: basti accennare ai grandi guasti dell'inchiostro corrosivo nelle carte dei secoli XVI e XVII, alle muffe favorite dall'umidità e dalla scarsa ventilazione, e, per altro verso, agli spostamenti e alle confusioni in trasporti meno at-

tenti ed agli smarrimenti per prestiti o non registrati o non richiamati. Osservandosi alcun che di simile, si è naturalmente mossi a rimediare, e molto si farà da sè con un poco di buon volere, e dove non basti, si ricorrerà a chi ha l'ufficio di consigliare ed aiutare, ed agli appositi laboratori di restauro fondati dalla Santa Sede e dal Ministero dell'Educazione Nazionale. Non solo, ma c'è da aspettarsi che compariscano frammenti di bibbie antiche, di opere di Santi Padri, di libri liturgici locali, talvolta con neumi, e di altri testi piccoli ed umili d'apparenza, ma che possono essere di un pregio inestimabile, come se ne sono trovati non pochi negli ultimi 130 anni, che hanno di molto accresciuto le nostre conoscenze delle antichità sacre e delle letterature cristiane antiche e medievali ed aperto persino qualche orizzonte prima insospettato.

Finalmente la medesima ispezione sarà per vari, forse molti, degli incaricati una buona occasione d'impratichirsi e d'innamorarsi delle memorie diocesane e patrie e farsene cultori, divenendo così ministri più utili del proprio Superiore nelle cause pertinenti al passato o dipendenti da esso, delle quali talora si hanno i documenti e per poca perizia lo si ignora, o non si riesce a rintracciarli e farli valere (cause di Servi di Dio; questioni di confini, di decime, di patronati, di legati, ecc.), e guadagnando insieme stima ed autorità presso i laici, non indifferenti alle antiche memorie del luogo nativo e degli avi, e rispettosi di chi le conosce e le può loro insegnare.

Frattanto nell'Archivio Segreto Vaticano, a lato degli schedari denominati Garampi dall'archivista, poi Cardinale, che li promosse, nei quali sono indicati i documenti papali dell'archivio stesso riguardanti i Vescovi, le chiese, i monasteri, i benefici delle Diocesi, ecc., si va formando uno schedario bibliografico degli archivi e delle biblioteche ecclesiastiche d'Italia, non escluse quelle confiscate ed ora in altra sede, di cui si trovano inventari, documenti o notizie nei libri a stampa, con l'indicazione di essi

libri; e vi si aggiungeranno le notizie bibliografiche per avventura mancanti che riceveremo dalle Diocesi, col nome di chi le fornirà, sia per una doverosa espressione di gratitudine verso lui, sia per una guarentigia delle notizie medesime a quanti le ricercheranno. Di tale schedario, che nelle stesse metropoli più insigni ben difficilmente e molto più imperfettamente si potrebbe formare per la rarità dei libri relativi, anche gli studiosi delle Diocesi potranno giovarsi, occorrendo, con risparmio di lunghe e penose ricerche per ciascuno. Inoltre si potrà, volendo, ricavarne poi facilmente una guida sicura degli archivi e biblioteche ecclesiastiche italiane, dove, sotto i nomi degli autorevoli informatori, ciascuna comparirebbe per quello che vale nelle sezioni comunicabili (va sottinteso), di interesse anche pubblico; guida che dai cultori delle discipline ecclesiastiche, storiche, letterarie, ecc., sarebbe accolta come un dono insperato de' più graditi e molto ricercata quale sussidio indispensabile al ritrovamento dei documenti.

Non si può nemmeno dubitare che l'Eccellenza Vostra, notificando a coloro che sceglierà gli scopi immediati e le mète più lontane dell'ordine del Nostro Santo Padre ed i conseguenti vantaggi, otterrà da essi che facciano volenterosamente del loro meglio per corrispondere alla fiducia posta in loro, assicurati, come saranno, di compiere opera molto utile agli studi ed onorifica per la Diocesi e per la Santa Chiesa e gradita al Nostro Santo Padre, del Quale sarà bene far loro conoscere altresì quanto abbia a cuore, come in generale tutte le scienze, specialmente sacre, così in particolare gli archivi e le biblioteche che a quelle servono.

La Santità Sua difatti ha recentemente ampliato e migliorato le Scuole Vaticane di Paleografia e Diplomatica e di Biblioteconomia, affinchè vi fosse posto comodo per tutti gli studenti, sempre più numerosi, che i Vescovi e i

Superiori delle Religioni mantengono in Roma a laurearsi, e desidera che se ne approfittino e che i più capaci e ben disposti vengano formati con cura particolare dai professori, ed assistiti anche lontano dopo il ritorno, così che siano animati a coltivare gli studi di storia della propria Diocesi e regione o del proprio Ordine e possano servire bene ai Superiori ove li incarichino di curare archivi, di comporre o proseguire inventari o di trattare cause storiche. Anzi a tale scopo precisamente ha ordinato che il corso di Archivistica sia svolto più ampiamente e praticamente, ed a chi superi gli esami venga rilasciato un diploma, del quale gli Eccellentissimi Ordinari potranno tenere conto come di un titolo. Ed ha anche parlato occasionalmente, come il 15 luglio, in un paterno ricevimento delle Scuole predette, in cui espressamente accennò « alla conservazione, all'ordinamento e al proficuo uso e consultazione degli Archivi ecclesiastici, sparsi in tutti i Paesi, nelle Curie vescovili e negli Uffici parrocchiali, presso i Capitoli, gl'Istituti ecclesiastici e gli Ordini religiosi » e diede preziose direttive da sempre meglio sospingere e sollevare il corso e l'andamento delle vostre Scuole nel campo storico e dottrinale »[1]. Inoltre ha disposto che nei Seminari regionali, senza aggravare i programmi, per cura della S. Congregazione dei Seminari e delle Università degli Studi ogni quattro anni almeno, in tempo propizio, si tengano dal Professore della Scuola Vaticana o da altro competente alcune conferenze che diano a tutti i futuri sacerdoti un'idea del valore e delle molteplici utilità degli archivi anche minori, della maniera di conservarli secondo le leggi canoniche, la Lettera circolare della Segreteria di Stato n. 16605, del 15 aprile 1923, e le altre istruzioni della Santa Sede e di sfruttarli per il bene pubblico; conferenze che basteranno a svegliare la coscienza degli alunni naturalmente disposti e a determinarne in seguito la scelta degli studi. Nè vanno

[1] V. *L'Osservatore Romano*, 15-16 giugno 1942.

taciute le forti spese del Santo Padre per pubblicazioni, oltre che di varie altre opere scientifiche, di cataloghi e guide dell'Archivio, della Biblioteca e dei Musei Vaticani e di cimeli scelti da essi, fra cui taluna che sembra diretta a preparare l'accennata Storia Ecclesiastica d'Italia; voglio dire le *Rationes Decimarum Italiae*, con le carte topografiche, appositamente disegnate, delle circoscrizioni ecclesiastiche quali erano nel Medio Evo (ne sono usciti già sei volumi) ed il *Pontificale Romano nel Medio Evo*, in quattro volumi, da cui si è formato l'odierno Pontificale. Che se torneranno tempi più propizi e basteranno i mezzi, v'è ragione di presagire un'apposita fondazione durevole, e pertanto più fruttuosa, a quello scopo.

Ho toccato tutto questo, perchè l'opera relativa del Nostro Santo Padre, sebbene agl'inizi, veduta nel suo complesso e nelle avverse circostanze, non può che arridere e sembrare ammirabile a chiunque ama la Chiesa e l'Italia, e perchè conoscendola, ogni buon ecclesiastico si presterà di certo volentieri a secondarla per quello che può. Per quello che può, e si può, dico, ben sapendo che gli Eccellentissimi Vescovi non sempre hanno collaboratori atti all'uopo, ed avendoli, per provvedere alle molte necessità urgenti che li opprimono, sono costretti ad applicarveli, ma d'ordinario, non così tanto da soffocarli e togliere loro la possibilità di attendere un poco ai buoni studi, se vogliono.

Appunto per riguardo a questo, preparando i moduli sui quali è desiderato che vengano scritte le risposte, si è fatto il possibile per risparmiare i singoli, e vi si è, spero, riusciti in modo che alla prova il lavoro si troverà facile e leggero, per non dire minimo, dalla quasi totalità degli interrogati, che saranno i parroci stessi per i loro piccoli archivi. Ed anche negli altri archivi il lavoro non sarà poi così lungo e penoso, perchè generalmente sono, o furono, in mano di possessori egregi per dignità e sa-

pere, quali i Vescovi e i Canonici, e da essi ben conservati e custoditi e catalogati, e non se ne richiede troppo, per il momento, come apparirà dal foglio accompagnatorio.

Così, piacendo a Dio, durante ancora l'anno XXV di episcopato del Nostro Santo Padre, per le premure dell'Episcopato e con la collaborazione del Clero Italiano pressochè intero verrà formato nell'Archivio della Santa Sede un utilissimo inventario generale delle ricchezze custodite negli archivi e nelle bibliotheche ecclesiastiche d'Italia ed in ogni Curia vescovile l'inventario di quelle della Diocesi. Oh perchè alla fine non tramandare questo secondo inventario ai posteri come il monumento locale del fausto anniversario ed affrettarsi ad offrire l'altro in omaggio giubilare collettivo, certamente graditissimo, al Santo Padre?

Con stima e riverenza profonda mi segno
dell'Eccellenza Vostra Rev.ma

dev.mo per servirla

Giovanni Card. Mercati,
Bibliotecario e *Archivista di S. R. C.*

Annotationes

Mandatum iussu papae Pii XII. fel. regn. ab Em.mo Cardinali Mercati, Bibliothecario et Archivista S. R. E., publicatum melius intelliges, si id cum similibus mandatis prioribus temporibus datis comparas. Revera saepius iam S. Sedes monuit, ut normae iuris canonici administrationes, curam atque custodiam archivorum et bibliothecarum spectantes accurate observarentur. Sufficiat Litteras circulares, a Secretaria Status ter ultimis decenniis ad episcopos Italiae directas, in memoriam revocare.

Litterae circulares 30 Sept. 1902 datae magni aestimandae sunt; ibi enim non solum omnes quaestiones institutionis et administrationis archivorum et bibliothecarum explicantur, sed etiam remedia et subsidia efficacia proponuntur. Cui epistolae Secretaria Status exemplar regularum bibliothecae seu archivi addidit, cuius studium bibliothecariis et archivistis etiam hodie valde commendari potest. Paulo post, 12 Dec. 1907, Secretaria Status altera epistola praecepit, ut in unaquaque dioecesi Italiae duo saltem commissarii nominarentur, ex quibus unus documentis dioeceseos, alter eius monumentis invigilaret. Praeterea episcopi monentur, ut omnes venditiones, permutationes aliasve alienationes documentorum iure canonico prohibitas severe puniant atque in visitationibus suis statum bibliothecarum et archivorum accurate examinent. Quia autem infaustum illud bellum, annis 1914-1918 terras Europae perturbans, hanc meliorationem bibliothecarum vix inceptam magna ex parte peremit, Secretaria Status 15 Apr. 1923 novis litteris vetera mandata inculcavit [1].

Epistola recens, 1 Nov. 1492 data, demonstrat S. Sedem pristinam actionem non oblivioni datam continuare atque perficere. Haec epistola ab aliis antea emissis quodammodo differt. Dum enim illae plura mandata et con-

[1] Il Monitore Ecclesiastico 48 (1923) 242-249.

silia continebant, haec unam tantum rem concretam iubet. Mandatur, ut omnia documenta et libri in tabulariis ecclesiasticis deposita, sive sunt archiva paroeciarum, sive curiarum dioecesanarum, sive seminariorum, brevi in conspectu ponantur. Hoc praeceptum ambitum universaliorem habet quam iussa prius data. Nam cum haec precipue intenderant scripta antiqua mediaevaliaque conservare, mandatum recens etiam ad scripta temporum modernorum respicit. Ad reddendum laborem faciliorem et magis uniformem simul cum litteris formula quaestiones praecisas continens missa est. Quae formula triplici forma explenda est: primum exemplar in Archivo Vaticano, alterum in curia dioecesana, tertium in ipso archivo conserventur. Cum igitur de labore agatur, qui in casibus specialibus auxilium et consilium alicuius experti archivistae requirit, tota actio Em.mo Cardinali Bibliothecario et Archivistae S. R. E. commissa est.

Quid S. Sedes hac ultima epistola intendat, ex textu clare apparet. Ubi praecipue duo fines adducuntur, quorum primus magis administrativus, alter magis scientificus est.

Quod finem administrativum attinet, mandatum conficiendi elenchum generalem documentorum in tabulariis sepositorum cum aliis praeceptis S. Patris in litteris indicatis intime connectamus oportet, ex quibus elucet S. Sedem emendationem archivorum ecclesiasticorum ultimo intendere. Ipsum conspectum documentorum, quem conficere S. Pater iubet, meliorem administrationem efficere nemo est, qui non videat. Cum autem ordo archivi nil valeat, nisi a perito archivista conservetur et perficiatur, Sua Sanctitas praeterea praecipit, ut clerici in rebus archivisticis melius instruantur, quod duplici modo fiet. Primo professor scholae Archivi Vaticani vel alii docti a S. Congreg. de Sem. et Univ. Stud. approbati saltem quarto quoque anno in seminariis et collegiis ecclesiasticis Italiae ali-

quas lectiones archivisticas habebunt, quibus clerici valorem documentorum ac modum ea secundum leges canonicas conservandi cognoscant. Hae lectiones clericos praesertim in administrationem alicuius archivi paroecialis, quae specialem scientiam archivisticam generatim non supponit, modo sufficienti introducent. Pro maioribus autem tabulariis, ut sunt archiva curiae dioecesanae, interdum etiam seminariorum aliarumque institutionum maior scientia et experientia archivistica requiritur. Propterea S. Pater ulterius iussit cursum archivisticum, qui in schola Archivi Vaticani docetur, ampliari eumque in formationem magis practicam archivistarum dirigi.

Quod finem scientificum attinet, hunc litterae circulares disertis verbis exponunt. Revera conspectus omnium documentorum, quae in archivis ecclesiasticis reperiuntur, magnum et indispensabile subsidium studiorum est. Et studia ecclesiastica historiae dioecesanae vel paroecialis, quae quadam historia ecclesiastica totius Italiae comprehendere finis est, et studia demographica hodiernis diebus tanto cum fervore instituta tali elencho necessario indigent.

Quantam curam Status civilis hodie in archiva impendat, ex lege 22 Dec. 1939 sub N. 2006 promulgata elucet. Quae lex non solum tabularia publica, sed etiam privata custodiae Status subdit eorumque thesauros specialibus normis tuetur. Epistola ab Em.mo Cardinali Mercati iussu Suae Sanctitatis data demonstrat S. Sedem archivis ecclesiasticis, quae lege civili supra memorata non tanguntur, attente invigilare. Certo praeteritis decenniis status tabulariorum ecclesiasticorum iam multo melior effectus est, sed etiam certum est multa adhuc esse facienda. Ut actio nunc feliciter incepta ad terminum suum perducatur, seria cooperatione omnium opus est.

F. KEMPF, S. J.

ACTA SUMMATIM RELATA

19 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Litterae apostolicae *Decimo primo saeculo ineunte*, 11 ian. 1943, quibus templum abbatiale Sancti Martini de Sacro Monte Pannoniae intra fines Hungaricos privilegiis basilicae minoris honestatur (*AAS* xxxv [21 april. 1943] p. 98-99).

B — Constitutio apostolica, 12 ian. 1943, qua a vicariatus apostolici Orae Benini et Nigeriae occidentalis territorio partes distrahuntur, et novus erigitur vicariatus apostolicus Ondo-Ilorinensis (*AAS* xxxv [21 april. 1943] p. 97-98).

C — Epistula *Cum proxime*, 12 mart. 1943, ad egregium virum Aloisium Gedda, Consociationis catholicorum Italiae iuvenum praesidem, ob quintum et septuagesimum annum ab inita eadem Consociatione exeuntem (*AAS* xxxv [21 april. 1943] p. 100-102).

D — Allocutio, 13 mart. 1943, ad parochos Urbis et concionatores temporis quadragesimalis, de natura et efficacitate orationis (*AAS* xxxv [21 apr. 1943] p. 105-116).

E — Epistola *Cum quintum*, 25 mart. 1943, ad Exc.mos PP. DD. Marium Toccabelli, archiepiscopum Senensem, Carolum Confalonieri, archiepiscopum Aquilanum, Faustinum Baldini, episcopum Massae Veternensis et Populoniae, quinto exeunte saeculo ab obitu sancti Bernardini Senensis (*AAS* xxxv [15 maii 1943] p. 129-131).

F — Litterae apostolicae *Quod Sanctorum patronatus*, 27 mart. 1943, quibus sanctus Franciscus de Paula, Confessor, universitatum maritimae gentis curis praepositarum, navigationis societatum, noviculariorumque omnium Italici regni peculiaris caelestis patronus declaratur (*AAS* xxxv [26 iun. 1943] p. 163-164).

G — Epistula *Peculiari animi*, 6 apr. 1943, ad Em.mum P. D. Franciscum S. R. E. Card. Marchetti Selvagiani, episcopum Tusculanum, eundemque Urbis vicarium, sacrosanctae archibasilicae Lateranensis archipresbyterum et S. Congregationis S. Officii secretarium, quina lustra episcopatus feliciter explentem (*AAS* xxxv [15 maii 1943] p. 132-133).

H — Epistula *Singulis annis*, 15 apr. 1943, ad Em.mum P. D. Aloisium S. R. E. Presbyterum Cardinalem Maglione a publicis Ecclesiae negotiis, qua publicae supplicationes indicuntur ad populorum pacem conciliandam (*AAS* xxxv [21 apr. 1943] p. 103-105).

I — Allocutio, 24 apr. 1943, ad puellas ab Actione catho-

lica ex Italiae dioecesibus Romae coadunatas anno vicesimo quinta exeunte ab inito earum apostolatu (*AAS* xxxv [15 maii 1943] p. 134-151).

K — Chirographus, 2 iun. 1943, de normis quibus regitur Hospitium a Divina Providentia in urbe Neptunia a Benedicto PP XV fundatum (*AAS* xxxv [26 iun. 1943] p. 161-163.

L — Allocutio 2 iun. 1943, ad Em.mos PP. DD. Cardinales in festo S. Eugenii I PP. fausta ominantes (*AAS* xxxv [26 iun. 1943] p. 165-179).

20 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide

Decretum 12 ian. 1943, quo decernitur vicariatum Nigeriae occidentalis deinceps vicariatum apostolicum Asab-Beninensem esse appellandum (*AAS* xxxv [15 maii 1943] p. 150-151).

Decretum 19 maii 1943 quo Constitutiones Sororum Missionariarum a Spiritu sancto definitive approbantur (*AAS* xxxv [26 iun. 1943] p. 185).

21 - Sacra Congregatio Rituum

Causae beatificationis et canonisationis

1 — *Sinarum.* Decretum 3 ian. 1943, Super dubio: An constet de martyrio et causa martyrii, nec non de signis seu miraculis in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis seu declarationis martyrii servorum Dei Gregorii Grassi, episcopi Orthosiensis, vicarii apostolici de Scian-Si septentrionalis, modo de Taiyuanfu, Rrancisci Fogolla, episcopi Bagensis, eius condiutoris, Antonini Fantosati, episcopi Adraensis, vicarii apostolici meridionalis Hunanensis, modo de Hengchow, et Sociorum, in odium fidei, uti fertur, interfectorum (*AAS* xxxv [21 apr. 1943] p. 117-120).

2 — *Marianopolitana seu Albanensis in America.* Decretum 3 ian. 1943, Super dubio: An constet de virtutibus theologalibus fide, spe, caritate cum in Deum tum in proximum, nec non de cardinalibus prudentia, iustitia, temperantia, fortitudine earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis venerabilis servae Dei Catharinae Tekakwitha, virginis Indae (*AAS* xxxv [15 maii 1943] p. 151-154.

3 — *Romana.* Decretum 12 febr. 1943, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis servi Dei Pii X papae (*AAS* xxxv [15 maii 1943] p. 155-157).

22 - S. Romana Rota

Tabulae synopticae causarum S. R. Rotae

Anno 1942

I

Causae iudicatae

A - De matrimonio

CAUSAE	Iud.	Aff.	Neg.
Nullitatis:			
Ob exclusum bonum prolis	8	1	7
Ob exclusum bonum sacramenti	2	1	1
Ob exclusum bonum sacramenti et bonum prolis	2	1	1
Ob clandestinitatem	2	2	
Ob condicionem appositam	3	1	2
Ob condicionem appositam et exclusum bonum prolis	1		1
Ob condicionem appositam et invaliditatem dispensationis super impedimento disparitatis cultus	1	1	
Ob condicionem contra bonum sacramenti	1	1	
Ob defectum consensus	6	2	4
(Dispensatio super rato)		(1)	
Ob defectum consensus et clandestinitatem	1	1	
Ob defectum formae	2		2
Ob impotentiam mulieris	2		2
(Dispensatio super rato)			(1)
Ob impotentiam viri	6	1	5
(Dispensatio super rato)		(4)	(1)
Incidentis	2	1	1
Ob impedimentum publicae honestatis	1		1
Ob simulatum consensum	1		1
(Dispensatio super rato)		(1)	
Ob vim et metum	29	12	17
Ob vim et metum et condicionem appositam	2		2
Ob vim et metum et exclusum bonum prolis	2	1	1
Ob vim et metum et exclusum bonum sacramenti	2		
Ob vim et metum, ob exclusum bonum prolis et bonum sacramenti	1	1	1
Ob vim et metum et ignoratam naturam matrimonii	1	1	
Ob vim et metum et impotentiam viri	1		1
(Dispensatio super rato)			1
Ob vim et metum et simulatum consensum	1		(1)
(Dispensatio super rato)		(1)	1
	80	35	55

B - De variis argumentis

Ceterae causae fuerunt: semel de iuribus, semel de iuribus et damnis.

II

Causae quae eodem anno 1942 transactae fuerunt, vel quae absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt; quibus adduntur decreta quoad recursus contra libellorum reiectionem.

A - De matrimonio

CAUSAE	
Nullitatis:	
Ob amentiam mulieris	1
Ob amentiam viri	1
Ob exclusum bonum sacramenti	2
Ob clandestinitatem	1
Ob condicionem appositam	3
Ob defectum consensus	1
Ob impotentiam mulieris	2
Ob impotentiam mulieris et condicionem appositam	1
Ob impotentiam viri	3
Incidentis	1
Ob impedimentum ligaminis	2
Ob impedimentum ligaminis, errorem in personam, vim et metum, impedimentum disparitatis cultus	1
Super reiectione libelli	2
Ob vim et metum	8
Ob vim et metum et condicionem appositam	1
Ob vim et metum et defectum consensus	1
Ob vim et metum et simulationem consensus	1
Refectionis damnorum:	
Super reiectione libelli	1
Separationis:	1
	34

B - De variis argumentis

Ceterae causae fuerunt: semel de creditis, bis de creditis et damnis, semel de iuribus.

N. B. — Ex 82 causis sub I allegatis, 43 causae peractae sunt cum gratuito patrocinio.

23 - Provisiones ecclesiarum

Decretis S. Congregationis Consistorialis praefecti sunt:

30 ian. 1943, R. D. Eugenius O'Callaghan, cathedrali ecclesiae Clogheriensi.

30 ian. 1943, R. D. Daniel Cohalan, cathedrali ecclesiae Vaterfordiensi et Lismoriensi.

21 apri. 1943, R. D. Sebastianus Soares de Resende, cathedrali ecclesiae Beirensi, noviter erectae.

30 apr. 1943, R. D. Dionysius Borra, cathedrali ecclesiae Fossanensi.

1 maii 1943, Exc.mus P. D. Andreas Rohracher, metropolitanae ecclesiae Salisburgensi.

7 maii 1943, Exc.mus P. D. Iosephus Grösz, hactenus episcopus Sabariensis, metropolitanae ecclesiae Colocensi.

7 maii 1943, Exc.mus P. D. Iulius Czapik, hactenus episcopus Veszprimiensis, metropolitanae ecclesiae Agriensi.

9 ian. 1943, Exc. P. D. Theophilus Matulionis, cathedrali ecclesiae Kaisedorensi.

12 maii 1943, R. D. Antonius Lanza, metropolitanae ecclesiae Rheginensi et cathedrali ecclesiae Bovensi, unitis *in personam*.

12 maii 1943, R. D. Franciscus Giberti, cathedrali ecclesiae Fidentinae.

12 maii 1943, R. D. Iosephus Dell'Omo, cathedrali ecclesiae Aquensi.

5 iun. 1943, Exc. P. D. Alafridus Cifuentes, hactenus episcopus Antofagastensis, metropolitanae ecclesiae Serenensi.

5 iun. 1943, R. P. Ioannes Rodericus MacDonald, cathedrali ecclesiae Peterboroughensi.

5 iun. 1943, R. D. Bryan J. MacEntegart, cathedrali ecclesiae Ogdensburgensi.

8 iun. 1943, R. P. D. Carolus Zinato, cathedrali ecclesiae Vicentinae.

10 iun. 1943, Exc. P. D. Ioannes Villar et Sanz, hactenus episcopus Iacensis, cathedrali ecclesiae Illerdensi.

10 iun. 1943, Exc. P. D. Thomas Gutiérrez Diaz, hactenus episcopus Oxomensis, cathedrali ecclesiae Gadicensi, cui est unita ecclesia Septensis.

10 iun. 1943, Exc. P. D. Carmelus Ballester Nieto, hactenus episcopus Legionensis, cathedrali ecclesiae Victoriensi.

10 iun. 1943, Exc. P. D. Franciscus Xaverius Lauzurica Torralba, cathedrali ecclesiae Palentinae.

10 iun. 1943, R. D. Jesus Mérida Perez, Vicarius Generalis Archidioecesis Granatensis et Abbas Collegiatae Sacri Montis, cathedrali ecclesiae Asturicensi.

10 iun. 1943, R. D. Henricus Delgado Gomez, cathedrali ecclesiae Almeriensi.

10 iun. 1943, R. D. Raphael Alvarez Lara, cathedrali ecclesiae Gaudicensi.

10 iun. 1943, R. D. Innocentius Rodriguez Diez, cathedrali ecclesiae Conchensi.

12 iun. 1943, Exc. P. D. Edvinus V. Byrne, hactenus episcopus Sancti Ioannis Portoricensis, metropolitanae ecclesiae Sanctae Fidei in America Sept.

12 iun. 1943, Exc. P. D. Idilius Soares, hactenus episcopus Petrolinensis, cathedrali ecclesiae de Santos.

17 iun. 1943, Exc. P. D. Iosephus Lefebvre, hactenus Episcopus Trecensis, metropolitanae ecclesiae Bituricensi.

Decretis S. Congregationis de Propaganda Fide nominati sunt:

13 ian. 1943, R. P. Ioannes Gay, Congregationis S. Spiritus sodalis, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Petri Ludovici Genoud, episcopi Guadalupensis.

9 febr. 1943, R. P. Franciscus Van den Bergh, Congregationis Immaculati Cordis Mariae, coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Aegidii de Boeck, vicarii apostolici de Lisala.

11 maii 1943, R. P. Apoisius Niedhammer (in religione Matthaeus a New York, O. M. Cap., vicarius apostolicus Bleufieldensis.

24 - Nominationes

Decretis S. Congregationis de Propaganda Fide nominati sunt:

19 ian. 1943, R. D. Iosephus Kao, e clero saeculari, praefectus apostolicus de Hungtung.

14 maii 1943, R. P. Ioannes MacCarthy, Societatis pro Missionibus ad Afros sodalis, praefectus apostolicus de Kaduna.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex libris

Pietro Albrigi, *Il sacrificio cristiano* (Sacra liturgia), Vicenza (Società Anonima Tipografia fra Cattolici Vicentini), 1943, 14,5×22,5 cm., 450 p.

Dottrina cattolica del sacrificio. - Formazione della messa. - Analisi della messa.

Francisco Blanco Nájera, *El código de derecho canónico traducido y comentado*, Cádiz (Establecimientos Cerón y Libreria Cervantes), 1942, 17×24,5 cm., t. I, Normas generales y personas, 515 p.

II - E periodicis

ARCHIVIO DI DIRITTO ECCLESIASTICO, V (1943), n. 1 (genn.-marzo) — Pio Fedele, *In margine a un discorso di Pio XII*, p. 40-46.

BOGOSLOVSKA SMOTRA, XXXI (1943), fasc. 1-2. — D. Budrović, *An periurium sit semper grave peccatum*, p. 49-58.

PASTOR BONUS (Romae), VII (1943), fasc. 5 (mai.) — F. Muzzarelli S. S. P., *De ordinarii loci potestate in congregationes iuris dioecesani* (continuatio), p. 156-160.

SAL TERRAE, XXXI (1943), num. 5 (mai.) — F. Lodos, *Dispensas matrimoniales. El canon 81 comparado con el canon 1045*, p. 287- 295.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

Vicesimo quinto Codicis I. C. recurrente anno *

Grata atque iucunda exstat occasio quintum vicesimum annum a Codice iuris canonici feliciter vigente commemorandi. Qui laetissimus in historia ecclesiasticae disciplinae maximi momenti eventus, quo universa Ecclesia merito gavisa est eoque gaudet, sollemni ritu ac peculiari faustitate esset recolendus. Sed horrenda belli huius insania, quae vastitatem affert Europae totique orbi, sollemnia hoc anno celebrari nec postulat nec suadet, quin immo manifesto prohibet. Dedecet sane serena gaudia cum tristitia et luctu consociari. Quisque enim perspicit quantum cladis et ruinarum, iis contemptis legibus quibus mutuae civitatum rationes temperantur, acciderit; quisque cernit, in tanta populorum conflictatione, complures cives procul a domo, matribus coniugibus liberisque comploranti bus, abripi; itemque urbes aëris incursionibus vexari, passim terra marique talia patrari, quae horrore animum et aegritudine perfundunt.

His non obstantibus, silentio prorsus praeterire memoriam Codicis saeviente alio atroci bello promulgati, mi-

* Libenter hic inserimus orationem, quae in sollemni inauguratione novi anni academici, ob speciales temporum circumstantias dein omissa, in hac Universitate erat habenda. Vult *ephemeris nostra* duobus hisce articulis, qui in prima parte veniunt, quinque lustra vigentis iuris canonici saltem aliquomodo commemorare.

nus congruum videtur, quin aperte indecorosum dicamus. Adsunt quippe, praesertim pro alma Gregoriana Universitate, peculiares rationes; non solum quia Societas Iesu, cui ipsa concredita est, dulcissimo quodam atque arctissimo totius mentis et cordis vinculo sodales suos universos Sedi Apostolicae coniungit, ac libenti gratoque animo excipit quidquid in decus et utilitatem Ecclesiae cedit; sed potissimum quia plures Universitatis Gregorianae magistri, doctrina theologica et canonica eximii, sedulam curam ac solertem impenderunt operam in Codice adornando, in canonibus, nimirum, redigendis expoliendis atque explanandis.

Sane sex Patres e Societate Iesu, omnes in Pontificia Universitate professores praeclari, in coetum seu Commissionem Consultorum cooptati fuere; nempe pimum P. Wernz, P. De Luca, P. Palmieri, P. Bucceroni, deinde etiam P. Ojetti, et P. Vidal.

Quae et quanti ponderis fuerit opera ab iisdem praestita in schematibus Codicis parandis atque expendendis, nemo est profecto qui ignoret. Quae et quanta auctoritas ac rerum peritia praesertim P. Wernz, teste E.mo Cardinali Gasparri, neminem effugit. Id unum animadvertisse sufficiet: in Codice prostant tercenti et quindecim canones, qui fere ad verbum referunt sententias a P. Wernz in classico eiusdem opere *De iure Decretalium* traditas; praeterea, in Codice nullus reperitur canon, qui contrarius sit vel alienus a doctrina ab egregio canonista proposita.

P. Ojetti, et qua Consultor et qua a secretis Commissionis, sollicitas curas, vigilias et labores assiduos impendit. Hoc in eius laudem maxime vergit: si schemata Codicis, ipsa eiusdem manu correcta, inspiciamus, quae adhuc exstant et religiose asservantur, eaque cum textu promulgati Codicis comparemus, correctiones ab eo factas universim admissas fuisse ac in textu definitivo Codicis relatas reperimus.

P. Vidal non modo consilio et opera naviter adlabo-

ravit in Codice parando; sed, praeterea, eximium Patris Wernz opus ad normas Codicis exegit, atque ita commentarium in universum Codicem edidit, quod soliditate doctrinae et magna eruditione praestat.

Liceat quoque commemorare P. Vermeersch, olim in Gregoriana Universitate egregium professorem, qui de re canonica et theologica plura scite conscripsit, quae ad genuinum sensum canonum Codicis profunde investigandum eumque accurate perspiciendum valde conferunt.

I.

Necessitas novi Codicis iuris canonici apertissima atque omnibus nota. Praeter causas, quae temporibus Gratiani, Gregorii IX et Bonifacii VIII occasionem dederunt notissimis Collectionibus, aliae urgebant peculiares gravesque.

Ingens, in primis, *legum multitudo*, quae talis erat, ut universam iuris canonici disciplinam ex fontibus haurire impossibile esset, aut paucissimis dumtaxat id attingere liceret, quibus nempe et magna librorum copia et opportunitas temporis praesto fuisset.

Aderat, praeterea, *confusa inordinatio legum*, quatenus non unus tantum aut pauci exstabant codices, qui immensam legum multitudinem congruenter collectam referrent; sed, praeter Collectiones Corporis iuris canonici, ceterae leges dispersae vagabantur per volumina complura, videlicet per Bullaria, acta Conciliorum, collectiones decretorum Sacrarum Congregationum aliaque id genus.

Ipsa *forma*, qua plurimae canonicae leges latae erant, minus apta apparebat, ac minus concinna et perspicua. Verborum sane prolixitas ac styli ratio magnopere in eis fovebatur, et pars dispositiva quae sola vim legis proprie obtinet, plerumque satis erat implexa, adeo ut summa praecepti eiusque efficacia nec semper nec facile nec firma certitudine inde erui posset.

Plures leges aderant inter se contrariae, quatenus una

cum legibus posterioribus, quae praecedentes abrogabant, etiam posteriores in fontibus adhuc servabantur, ita ut in peculiaribus casibus difficile esset dignoscere ac definire quousque posteriores leges priores penitus abrogarent aut quomodocumque iisdem derogarent.

Complures leges vim obligandi amiserant, sive ex abrogatione per subsequentes leges, sive ex desuetudine aut contrariis moribus. Non paucae, quae prius erant universales, postea particulares evaserant ex introducta immutatione per concordata vel indulta specialia. De quibusdam legibus, quo sensu essent accipiendae, utrum urgerent sub poena nullitatis necne, utrum gravem inducerent obligationem an levem, magna erat inter Auctores controversia.

Non paucae leges, quae prius utiles atque opportunae fuerant, deinde, mutatis temporum adiunctis aut *noxiae* evaserant, aut *inutiles* aut *observatu difficiles*, ideoque necessario corrigendae atque emendandae.

Demum de quibusdam rebus, ex. gr. de temporis supputatione, de quasi-domicilio, de tempore requisito ad consuetudinem praescribendam, etc., *certum atque expressum legis ecclesiasticae praescriptum deerat omnino*, ita ut recurrendum esset vel ad ius romanum, vel ad leges singularum gentium, vel ad consuetudines locorum, aut ad iurisprudentiam Auctorumve probatorum doctrinam.

II.

Unde mirum non est, quod, occasione Concilii Vaticani, Praesules Italiae, Germaniae, Galliae aliarumque nationum, inter alia *postulata* seu *vota*, illud quoque Sedi Apostolicae significaverint, videlicet ut novum iuris canonici Corpus adornaretur, praesentibus circumstantiis et condicionibus accommodatius atque opportunius.

Pius X, pietate et zelo animarum ac rerum peritia praeclarissimus, per varios hierarchiae gradus ab infimo usque ad summum conscendens, statim ac supremum suscepit

Pontificatum, consilium inivit universas leges Ecclesiae lucido ordine digestas in unum colligendi, amotis inde quae abrogatae iam essent aut obsoletae, aliis vero congruentius accommodatis ad temporum condiciones et hominum necessitates.

Quare motu proprio « *Arduum sane* » diei 19 martii 1904, huiusmodi negotium summae quidem difficultatis, at maximae simul utilitatis, aggressus est, ad id speciali mandato commisso Exm. D. Petro Gasparri, tum Archiepiscopo Caesariensi et a secretis S. Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis, Commissione quorundam Cardinalium constituta ac coetu Consultorum ex viris in canonum disciplina peritissimis designato, impigre adiuvante Exmo D. Eugenio Pacelli, praefatae S. Congregationis Subsecretario, quo nunc Pontifice Maximo gaudet Ecclesia quemque Deus diutissime sospitet.

Pius X expresse mandavit ut universus Episcopatus in gravissimum hoc opus conspiraret et concurreret. Quanta cura ac diligentia adhibita fuerit, quot labores impensi, quo studio et sollertia de singulis canonibus sit disceptatum, neminem profecto latet vixque dici potest.

Deo iuvante, opera a doctissimis viris duodecim integros annos in rem collata, novus legum ecclesiasticarum Codex promulgatus fuit Const. « *Providentissima Mater Ecclesia* » diei 27 maii 1917, in festo Pentecostes, eaque statutum ut vim obligandi consequeretur in festo Pentecostes anni proxime venturi, idest die 19 maii 1918. Quod sapienti consilio factum fuisse quisque facile perspicit, cum die Pentecostes per Christum Reparatorem lex gratiae universo orbi affulsisse et socialis vita Ecclesiae externa ac publica iure initium habuisse censeatur.

III.

Complura de valore Codicis intrinseco, ut aiunt, de eiusdem forma et ratione, de praecipuis immutationibus inductis, de novis latis iuris praescriptis ac de aliis forent

dicenda. At nonnisi pauca de his ceterisque satius verba facere videmur.

Eximii auctores iuris ecclesiastici et civilis, ut consulto praetermittamus Praelatos et ecclesiasticos viros, sive itali sive exteri, tam catholici quam acatholici, summis laudibus extollunt Codicem nostrum illumque *opus perfectum, omnibus numeris absolutum, sapientiae doctrinaeque monumentum aere perennius,* appellant. Ita v. g. Ruffini, Galisse, Orlando, Carnelutti, Del Giudice, Jemolo, Falco, Schiappoli, Stutz, Granier, Picard, etc. Alii puritatem linguae, venustatem sermonis, styli elegantiam, legum romanarum sacram maiestatem in eo admirantur. Alii brevitatem eloquii et formam canonum laudant, qua praescripta canonica perspicue atque concinne tradita reperiuntur. Sane novus Codex nequaquam coacervat, sicut in universis collectionibus praecedentibus factum fuerat, leges olim conditas, eas referendo in primaeva forma et integritate; sed, contra, ecclesiasticas praescriptiones ad breviorem atque accuratiorem articulorum formam redigit. Inde quantum utilitatis et commoditatis profluat sive ad studium et cognitionem canonum sive ad usum forensem, omnibus compertum est.

Minime tamen concludendum, nullos defectus vel lacunas in Codice haberi, omnia et singula in eo exactissime et perfectissime digesta reperiri.

Nullatenus profecto ! Quidquid ab homine procedit, humanum est, imperfectionem scilicet ac debilitatem eiusdem naturae necessario redolens. Fatendum, quosdam defectus, praesertim in re processuali et criminali adesse, quasdam etiam lacunas, quibus, uti sperare licet, opportuno tempore satis fiet. Huc sane spectant nonnullae Instructiones a S. Sede, post editum Codicem, iam latae, quibus congruae statuuntur normae quoad processum matrimonialem, quoad promovendos ad ordines aliaque negotia.

Dubiis et controversiis orituris de genuino canonum

sensu provide consultum fuit Benedicti XV Motu proprio « *Cum iuris canonici* », 17 sept. 1917, quo Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos instituta est. Sicuti olim decreta disciplinaria Concilii Tridentini authentice interpretabatur S. Congregatio Concilii, ita ista Commissio ex speciali Summi Pontificis facultate Codicem interpretatur authentice, i. e. per modum legis, adeo ut praedictae Commissionis responsa rite promulgata, vim atque efficaciam legum sortiantur, dubia theoretice dirimant omnesque obligent.

Huiusmodi responsa usque ad praesentem diem lata 273 numerantur, eisque sapienter provisum controversiis finiendis inter Codicis commentatores excitatis.

IV.

Gravi deciperetur errore qui Codicem aestimaret ac susciperet tamquam opus ab uno vel a paucis aut a pluribus exaratum, cum e converso totius Ecclesiae Latinae opus merito habendum ac revera sit. Omnes quippe catholici orbis Episcopi omnesque Praelati regularium ordinum qui legitime ad concilium oecumenicum vocari solent, in tantum opus conspirarunt suumque concursum praestiterunt. Non solum enim ab initio, ubi agebatur de consilio Codicis parandi, iudicium ac sententiam suam rogati ex Pii X mandato libere protulerunt; verum quoque deinceps, cum Codicis schemata ad eos missa fuere, amplissima facultate animadversiones faciendi concessa, easque Sedi Apostolicae ultro significarunt. Quae animadversiones a peculiari Consultorum et Cardinalium Coetu accurate examinatae ac perpensae sunt earumque ratio habita in definitivo textu Codicis redigendo.

Quapropter iure meritoque E.mus Card. Garparri in sermone Romae habito die 14 martii 1934 dixit: « Il Codice ebbe la collaborazione di tutto l'Episcopato della Chiesa Latina, il che tiene posto vantaggiosamente di un

Concilio ecumenico, e spiega come il Codice sia stato bene accolto dall'Episcopato stesso ».

Quo plausu et flagranti cupidine Codex exceptus fuerit, cuius et quanti momenti eiusdem promulgatio habita, luculentissime patet ex plane innumeris scriptis quae de illo prodiere. Quae quidem sunt dilucida commentaria, obviae explanationes, tractationes cum de iure universo tum de quibusdam eius partibus, dissertationes, inquisitiones, aliaque scripta quae ad pluries centena millia ascendunt. Nullus profecto codex civilis usquam tam ardens excitavit sui desiderium tantoque plausu et omnium admiratione fuit exceptus, quanto Codicem iuris canonici docti viri sunt prosecuti.

V.

Ut Codicis praestantia eiusque pondus probe dignoscatur, satis non est unum alterumve canonem perscrutari, quaedam tantum capita ecclesiasticae disciplinae perpendere; sed totus Codex perscrutandus, omnes et singulae eius partes considerandae, novae leges cum antiquis comparandae. Codex noster universum ius complectitur, sive publicum sive privatum, quod vocant, sive constitutivum sive administrativum, sive processuale sive poenale; illud ius, nimirum, quod penes ceteras nationes in varios codices dispesci ac distribui solet.

Plerumque Codex vigentem huc usque disciplinam retinet, ut ipsemet Legislator sapientissimus monet in can. 6; at opportunas affert immutationes, prout rerum necessitates ac temporum adiuncta aptius et congruentius postulant. Universum enim systema legum, quibus Ecclesia regitur suumque finem in salutem animarum consequendum curat, duplici constat elemento, altero divino, humano altero. Illud suapte natura perpetuum et immutabile; hoc transitorium, contra, variis aetatum condicionibus atque circumstantiis obnoxium.

Ecclesia perfectae societatis ac notis instructa, pro-

prium et nativum ius ferendarum legum inde ab initio exercere numquam destitit; cleri populique christiani disciplinae prospexit eorumque regimini sapienter consuluit; praescripta communi bono utilia, decursu saeculorum, plurima tulit, quae ad peculiares vicissitudines et necessitates prudentissime temperavit. Quare illud merito asseverari potest quod Codex iuris canonici continet profecto atque describit bis mille annos quibus Ecclesia hisce in terris vivit ac florescit, quadam fere in tabula complectens viginti saeculorum historiam, quibus Ipsa perpetuo proficientem se praebet, doctrinis, institutis, experimentis maxime dives.

Ecclesia, inquimus, divinitus instituta perenniter vivit ac floret; inter fluxas res mundanas et varias populorum vicissitudines, divino freta auxilio, numquam defuturo, constans firmaque procedit; universas gentes, sermone quidem et moribus ceterisque plane distinctas, nedum civiles verum etiam incultas, sedula cura et effusa caritate regit atque ad optatum finem perducit. Hinc facile intelligitur, cur in Codice plura adsint praescripta, quae consuetudines particulares respiciunt; nonnulla, quae ad gentes etiam incultas et efferatas referuntur; plura quibus apte consulitur populorum usibus, mutuis rationibus sacerdotium inter et imperium moderandis, concordiae, quantum fieri potest, inter ecclesiasticam legem et civilem procurandae, ex. gr. quoad cognationis legalis impedimentum, praescriptionem, contractus, transactionem et compromissum in re processuali.

VI.

Quot et quinam optimi effectus ex promulgato Codice proficiscantur, praesertim quod attinet ad regimen dioecesium et paroeciarum, ad incrementum disciplinae canonicae, ad religiosas familias piasque consociationes gubernandas, ad iustitiam expeditius ac tutius ministran-

dam, omnes certe norunt. Quare de his verba facere, supervacaneum ducimus. Potius dispiciendum, qua ratione ac methodo iuris canonici disciplina tradenda atque addiscenda sit.

Secundum normas a S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus die 7 augusti 1917 praefinitas, diligens et accurata facienda singulorum canonum explanatio; de unoquoque iuridico instituto dilucida atque absoluta exposito adornanda, ita ut inde comperiatur qui fuerit eius ortus, quae decursu temporis acciderint progressiones, quae mutationes praecipuae ac vicissitudines. Interpreti magnopere adiumento sunt traditio canonica et recta iuris philosophia. Ex his enim maior lux affertur iuridicae explanationi principiorum, quae a peritis viris elaborata, potestas ecclesiastica sua auctoritate firmavit. Eaque principia, magna ex parte e iure romano deprompta, canonistae et iuristae medii aevi, partim inconcussa servarunt, partim mutatis temporum adiunctis accommodarunt; et Scholastici, duce Aquinate, ulterius evolverunt atque ad altiora principia philosophiae perennis egregie revocarunt; ac demum canonistae et moralistae aevi moderni, magistro eximio Suaresio, in perfectum systema redegerunt.

Canonici iuris doctoribus non licet equidem praeterire theorias ac placita a civilistis proposita, at nonnisi caute et prudenter iisdem adhaerendum.

Scientia iuris ecclesiastici, quippe quae non profana, sed omnino sacra est, sancte ac religiose tractanda; immo universa disciplina Ecclesiae, quae in terris missionem ipsius Christi gerit, eiusdem spiritu alitur et fovetur. Quare ecclesiasticas leges recte addiscere earumque vim et efficaciam penitius attingere nemo valet, qui per Ecclesiam Christo coniunctus non sit eique toto animo et corde non adhaereat prorsus. Quod potissimum adfirmandum de canonibus, qui ad catholicam doctrinam spectant. Codex enim, praeter canones disciplinae, continet quoque cano-

nes fidei et morum, ex. gr. de Ecclesia eiusque potestate, de R. Pontifice, de Episcopatu, de cultu divino, de magisterio ecclesiastico, de sacramentis etc. Palam est, huiusmodi canones nec accurate exponi nec rite intelligi posse sine doctrinae catholicae accurata cognitione, adeo ut merito Pius X in sermone diei 12 iunii 1908 dixerit: Peritissimus canonista is est, qui theologicas quoque disciplinas vere callet.

Sacerdotes universi, tyrones praesertim qui in spem Ecclesiae adolescunt, meminerint semper Coelestini Papae moniti: « *Nulli sacerdotum liceat canones ignorare* », itemque verborum Gregorii IX: « *Canonum statuta custodiantur ab omnibus* ». Quo sanctius custodiuntur leges ac religiosius observantur, eo magis fervet pietas, puritas morum augetur, virtutes excoluntur, Ecclesiae et reipublicae bonum promovetur.

Faxit Deus, Deipara Virgine materno affectu adiuvante, ut quamprimum rebus inter civitates amice compositis, optatissima pace restituta, plures immo plurimi ex toto orbe huc Romam accedant alumni, sacrorum canonum scientiam ceterasque disciplinas addiscentes, in universum mundum hinc profecturi ad Ecclesiae praecepta palam publiceque in animarum salutem tradenda, iuxta Christi D. mandatum: *Euntes docete omnes gentes ... euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae.*

F. M. Cappello, S. I.

Codex I. Canonici et Theologia Moralis

Universo fere mundo sub immanis belli 1914/18 flagello ingemescente, factum promulgationis Codicis paucis tantum innotuit. Quod suavi Dei providentia ita ordinatum esse videtur.

Nam si abstrahis a facto, in historia ecclesiastica et profana toties repetito, quod scl. res magni momenti ac ponderis in silentio, quasi inobservatae germinare solent, alia ratio occurrit: medio enim in bello universali hoc opus iustitiae ac pacis christianae ab adversariis nominis christiani, ab inimicis Ecclesiae catholicae neque animadverti neque conviciis, sicuti qua verbis qua scriptis fieri solet, vexari potuit. Interim vero novi Codicis leges in universali Ecclesia receptae ac in praxim deductae sunt, adeo ut Codex iam esset « in possessione », quando bello finito, mundus attentionem in eum dirigere coepit.

Porro mediis in eversionibus politicis, quibus inde ab anno 1918 respublicae Europae, aliae penitus exstinctae, aliae de novo erectae, aliae revolutione mutatae sunt, sola Ecclesia catholica inconcussa firmitate stetit, immo maiore in dies robore est confirmata, innixa utpote non solum fidei ac devotionis christianae firmamento, sed etiam unitatis atque uniformitatis iuridicae vinculo, quod erat expressum praecise in novo Codice i. c.

Mox eadem suavi Dei providentia occasio concessa est Ecclesiae, applicandi scl. novas Codicis dispositiones illis quoque relationibus iuridicis, quibus Sacerdotium et Imperium singulis in nationibus nectuntur. Nam propter innovationes politicas, sive politicae externae sive internae, quas plures respublicae subierant, necessitas enata est denuo ordinandi relationes inter Ecclesiam et Statum; quod sub Benedicto XV et Pio XI non minus quam 18 Concordatis vel Conventionibus feliciter est factum. In huiusmodi vero contractibus celebrandis Ecclesia Codicem no-

vum tamquam basim praesupposuit, cui novae relationes politico-iuridicae inniterentur oportet, et sic ipsa Concordata quoque evaserunt instrumenta valida ad inducendum in singulas nationes novum ius [1]).

Et ita istud Codificationis opus sane arduum, a Pio X sanctae memoriae valide susceptum, quod a pluribus viris doctissimis ac in iure canonico peritissimis nimis difficile atque adeo impossibile habitum est [2]), tamen adiuvante Spiritu Sancto feliciter perfectum et sine strepitu et sine sensibili difficultate in praxim deductum est: factum, in historia ecclesiastici et quodammodo etiam profani iuris sane unicum! Sex elapsa erant saecula, ex quo ultima collectio canonica vere authentica atque universalis in Ecclesia promulgata erat, scl. Constitutiones Clementis V anno 1317 (aliae enim collectiones subsequentes, sicuti Benedicti XIV, etsi authentice publicatae, numquam illam perfectionem authenticitatis et universalitatis obtinere potuerunt). Anno demum 1917 Ecclesia iterum dotata est collectione authentica universali, et quidem — quod novum erat — collectione in forma Codificationis, scl. legum brevium, concinnarum, systematice perfecte ordinatarum, quod diu a tot viris ecclesiasticis, inflammatis votis, erat exoptatum [3]) et partim quoque praeparatum [4]).

Utique quinque lustra, ob nimiam periodi brevitatem, iudicium peremtorium de eiusdem Codicis momento atque efficacia vix aut ne vix quidem permittunt. Nam quod praxim attinet, vix una generatio clericorum et fidelium

---

[1] Cf. quae cl. U. Stutz de hac materia scripsit: Konkordat und Codex, in: Sitzungsbericht der Preuss. Akademie der Wissenschaften, phil. - hist. Klasse, XXXII, Berlin 1930.

[2] Cf. H. Lämmer, Zur Codifikation des canonischen Rechts. Freiburg 1899.

[3] H. Lämmer. Zur Codification des canonischen Rechts. Freiburg 1899, pg. 48 ss., ubi etiam vota Patrum Concilii Vaticani de hac re accurate referuntur.

[4] E. g. auctores clmi. A. Pillet, F. Deshayes, E. M. Pezzani, G. Peries, J. Cadena y Eleta, J. Hollweck, de quibus plura videre poteris apud A. van Hove, Prolegomena, Mechliniae 1928, pg. 196 ss. et U. Stutz, Der Geist des Codex Iuris Canonici, Stuttgart 1918, pg. 5 et 129 ss.

sub novi Codicis regimine est formata; quod autem theoreticam Codicis tractationem attinet, multa quidem commentaria particularia eaque validissima ac pretiosissima iam sunt publicata, attamen commentarium vere universale, completum, omni ex parte absolutum, quod sensu proprio classicum dici possit, adhuc desideratur. Praesertim vero omnes fere tractatus hucusque publicati, etsi accuratissime normas novi iuris explicent et problemata inde enata discutiant, tamen laborant interdum defectu vel profundioris inquisitionis speculativae philosophicae et theologicae vel comparationis cum iure profano vel studii historici.

Liceat ergo, modesto nostro consilio, magistrorum atque scholarium attentionem dirigere in hunc inquisitionis canonicae campum vastissimum et inexhaustum, ut periodo primae « commentariorum in usum practicum scholae et fori » succedat secunda periodus amplioris tractationis philosophicae, dogmaticae, historicae, unde profundior cognitio cum Codicis ipsius tum rationis atque indolis nostri iuris in genere nobis arrideat. Ita, ut unum solummodo problema innuam, valde utilis esset inquisitio in principia generaliora, quibus Codex in singulis disciplinis innititur, e. g. de natura et mutua habitudine fori interni et fori externi, potestatis ordinis, magisterii et iurisdictionis, de rationibus philosophicis iuris poenalis comparatis cum problematibus iuris poenalis profani, quae rationes philosophicae, biologicae, theologicae, historicae subsistant impedimentis matrimonialibus, impedimentis ad amplectendum statum religiosum, irregularitatibus ordinandorum, et alia huiusmodi permulta. Et nonne, dignitatem nostri Codicis deceret opus vere profundum, quod titulo insigniri poterit: « De spiritu Iuris canonici », a canonista catholico conscribendum? Opus quod iam anno 1918 ab aliquo acatholico editum est [5]), attamen

[5] U. Stutz, Der Geist des Codex Iuris Canonici, Stuttgart 1918.

forma et mente nullomodo nobis satisfaciente, et quod analogo modo iam diu ius Romanum [6]) exornat.

At, missis hisce quaestionibus, iam ad exponendum problema accedamus, quod ratione naturae atque scopi nostri Periodici propius nos tangit, scl. *de momento Codicis pro Theologia morali moderna.*

Leviter considerantibus videri poterit, inter Codicem Iuris Canonici et Theologiam Moralem nullam vel fere nullam intercedere habitudinem. Agitur enim de disciplinis vere differentibus: alia ordinem iuridicum et Ecclesiae organisationem externam, alia fidelium conscientiam regit; alia relationes fidelium ad ordinem Ecclesiae externum socialem, alia singularum animarum conscientiam moralem ad Deum ordinat.

Attamen de facto constat Codicem i. c. non levem exercuisse influxum in evolvenda et efformanda Theologia Morali moderna; et quidem, quantum nobis videtur, triplici sub respectu:

1) cogendo Moralistas ad adaptandos libros Theologiae moralis manuales novis Codicis dispositionibus;

2) augendo studia canonica et convertendo animos omnium clericorum in quaestiones ac problemata iuridica;

3) excitando, ad instar reactionis contra effectus modo dictos, tendentiam ad maiorem iterum separationem Theologiae Moralis a Iure Canonico.

De singulis pauca dicantur.

Ad 1). - In libris manualibus Theologiae Moralis, utpote ad formandos animarum pastores destinatis, praeter doctrinam ethicae christianae ampla materia contineatur oportet, quae indolis iuridicae et proin ex collectionibus canonicis est depromenda. Exempla sint tractatus de legis ecclesiasticae natura, obligatione et ambitu,

---

6 R. Ihering, Geist des römischen Rechtes, ed. 5, Leipzig 1891 ss. - F. Schulz, Prinzipien des römischen Rechts, Leipzig 1934.

de dispensatione et privilegio, de votis et iuramentis, de obligationibus clericorum et religiosorum, de administratione sacramentorum, praesertim baptismatis, eucharistiae, poenitentiae, ordinis et matrimonii, de cultu publico ss. Eucharistiae, Sanctorum, Reliquiarum, de librorum praevia censura et prohibitione, de sepultura ecclesiastica deneganda, de negotiis et contractibus secundum normas iuris canonici et civilis celebrandis, denique de poenis ecclesiasticis.

Sunt quidem scholae theologicae, in quibus materia mere vel praevalenter iuridica, e. g. de matrimonio et de poenis, separata traditur in lectionibus specialibus canonicis. Attamen aliae non paucae scholae eandem materiam lectionibus theologiae moralis attribuere solent, libri vero manuales theologiae moralis universam materiam tractare consueverunt.

Iam vero, Codice promulgato, plures huiusmodi materiae partes partim de novo creatae, partim funditus mutatae, partim denique saltem nova forma sunt dispositae. Quo facto Moralistae coacti sunt adaptare praelectiones et libros manuales in usum scholae conscriptos novis Codicis dispositionibus.

Cum autem istae materiae iuridicae fere dimidiam universae molis moralisticae partem constituant, facile intelligitur, Moralistas annis promulgationem Codicis immediate subsequentibus omnem diligentiam omneque studium non potuisse non colligere in hunc unum scopum, appropriandi sibi scl. novas Codicis leges easque studio accurato theologiae morali traditae inserendi. Unde enata est florida litteratura canonico-moralis, sine dubio ad formandos sacerdotes valde utilis, qua cognitio novi iuris, ultra fines studii stricte canonici, omnibus seminaristis est communicata. Altera vero ex parte huiusmodi lectiones et libri morales magna ex parte spiritu iuris sunt imbuti, et hoc eo magis, quo intensius studium ss. canonum inter

clericos post Codicis promulgationem est auctum. De quo statim nobis erit disserendum.

Ad 2). - Negari enim nequit, post annum 1918 studium iuris canonici in Ecclesia summum accepisse incrementum. Exemplum sit nobis statistica auditorum huius nostrae Pontificiae Universitatis Gregorianae, quae etsi fortasse specialibus rationibus regatur, indicium tamen manifestum evolutionis nobis praebere poterit. Et profecto numerus auditorum nostrae Facultatis Iuris Canonici modo sequenti crevit:

anno	1878	numerabantur	auditores	28
»	1888	»	»	40
»	1898	»	»	86
»	1908	»	»	76
»	1918	»	»	36 (ob bellum!)
»	1928	»	»	92
»	1938	»	»	224 (!)

Quia autem iisdem annis numerus absolutus auditorum omnium Facultatum crevit, addamus quoque tabellam statisticam relativi incrementi: prioribus annis enumeratis auditores iuris canonici relate ad numerum theologorum constituebant circa 8-10 %, dum eadem proportio percentualis anno 1938 ad 15 % evecta est. Et hoc factum sine dubio nostram attentionem particularem meretur. Nam ex proportionato incremento canonistarum, in relatione ad theologos, clare cernitur animos ecclesiasticorum magis ac antea in studia iuridica esse conversos. Adde, quod experientia teste non pauci eorum, qui iuri canonico incumbunt, a suis Ordinariis aut missos aut saltem postea esse destinatos ad theologiam moralem in Seminario vel Facultate theologica docendam. Unde eruere licet, Moralistas temporis venientis, utpote formatos non adeo principiis theologicis quam iuridico-canonicis, in doctrina morali exponenda probabiliter et praecipue considerationibus iuridicis ductum iri.

Huiusmodi rerum condicio non prima vice in theolo-

giae moralis historia manifestatur. Immo quoties aetas aurea studiorum canonicorum floruerit, toties theologiae moralis elaboratio influxum notabilem ex parte canonistarum subiit. Ita e. g. tempore Decretistarum ac Decretalistarum, florente medio aevo, ita post Concilium Tridentinum, saeculis 16 et 17 ineuntibus, florem studiorum iuridicorum subsecuti sunt fructus litterarii vere insignes in scientia theologiae moralis. At nota: dicimus « subsecuti sunt », proin huiusmodi fructus tardius solummodo esse enatos, scl. postquam canonistae iam omnem fere materiam novam bene digesserint et ipsi Moralistae scientificam inter utramque disciplinam harmoniam sufficienter praeparaverint. Unde explicatur quoque, cur nostris diebus huiusmodi tractatio vere harmonica et organica adhuc desideretur. Tempus enim sufficiens adhuc non decurrit. Et de facto in libris manualibus ordinariis Theologiae moralis elementum utrumque, theologicum scl. et canonicum, iuxtapositum quidem, non autem ad internam unitatem organicam digestum inveniri videtur. Sumus adhuc in periodo coordinationis et exspectamus periodum harmonicae unionis. Qua de causa accusatio, quae contra Moralistas modernos a quibusdam movetur, praepropera et proin temeraria nobis apparet.

Ad 3). - Reactio enim contra « invasionem iuris canonici in theologiae moralis sanctuarium » interdum iam se manifestavit [7]). Inter alia, quae Moralistarum methodo obiici solent, praecipue hoc est, theologiam moralem elementis iuridicis esse obrutam, adeo ut character theologicus huius disciplinae fere ex oculis elabatur. Unde illi auctores postulare velint, ut Theologia moralis a Iure canonico iterum absolute separetur et ad originalem suam puritatem theologicam, ad enthusiasmum doctrinae christianae elevatissimum reducatur. Considerationibus enim canonicis et mentalitate quam aiunt iuristarum inductis,

[7] Cf. quae de his tendentiis diximus in hoc Periodico (1939) 177 ss. et (1942) 333 ss.

ethica Novi Testamenti, quae oportet sit ethica vitae supernaturalis internae per gratiam, libertatis filiorum Dei, idealismi ascetici, ad indignum « minimalismum moralem », ad « ignavam casuisticam », ad « externam tantummodo legis observantiam et servitutem » deprimi.

Nemo non videt, quam exaggeratae sint huiusmodi accusationes. At, ab inimico discas! Non omnia enim, quae prolata sunt, a limine reicienda esse videntur, immo quaedam observationes ansam ulterioris perfectionis pro nostra cara disciplina morali praebere poterunt.

Et primo quidem opinamur, hisce infestationibus Moralistas modernos incitari posse, ut profundius inquirant in rationes speciales ethicae christianae, in distinctionem inter forum iuris et forum conscientiae, in argumenta theologico-dogmatica singularum legum moralium, ut ita cognitioni quoque profundiori ipsius iuris ecclesiastici inserviant. Quae studia generaliora et uni et alteri scientiae aliquando summae utilitatis esse earumque harmonicam unionem praeparare poterunt.

Addamus secundam rationem. Dispositiones enim iuris canonici variae et permultae sunt, quae ad singulos casus minutatim descendere solent. Porro legislatoris iuris positivi et iuristae practici proprium est, tendere in hoc, ut quantum fieri possit omnes casus vitae possibiles praevideat iisque per leges et decisiones appositas provideat, reducendo quam maxime campum liberi arbitrii singulorum subditorum. Ordo enim iuridicus nihil aliud est nisi ordo organizativus, quo omnes actiones societatis et societatis membrorum uniformi norma reguntur. Quae in ordinanda vita externa et sociali Ecclesiae per se bene procedunt.

Attamen, supponamus nunc, huiusmodi tendentiam, ex principiis legislationis positivae depromptam, a Moralistis ad ethicam christianam, ad formationem atque educationem conscientiarum applicari. Nonne his doctrina moralis fieret praevalenter cumulus legum singularium,

decisionum particularium, solutionum casuisticarum? Nonne his dignitas et maiestas regalis conscientiae christianae diminueretur ?

Iam vero condicio pastoralis populi christiani nostris diebus potius contrarium requirit, scl. ut singuli fideles individualiter sibi acquirant solidam legis divinae scientiam, clarum de principiis ethicis iudicium, firmam ac virilem in exequendo voluntatem, ut media in vita moderna etiam independenter a consilio confessarii rectam conscientiae christianae decisionem sibi efformare possint. Tempus enim, quo singuli fideles fere unice et exclusive externa lege et consuetudine regi poterant, quo medio quod aiunt ambiente vitae publicae christianae defendebantur et dirigebantur, praeteriisse videtur. Moderni fideles, clerici et adhuc magis laici, fere ubique terrarum, praesertim in civitatibus maioribus, iterum vivere coguntur sicuti fideles primaevae christianitatis, tamquam « agni inter lupos », tamquam « passeres solitarii in tecto », tamquam « simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravae et perversae, inter quos luceant sicuti luminaria in mundo » non solum achristiano, sed pro dolor interdum antichristiano.

Quibus certo non sufficeret apparatus iuridicus, etsi perfectissimus, quo regantur; nam impossibile est eos omnes leges ecclesiasticas scire vel memoria tenere. Neque ut acatholicos vel catholicos malos, christianae ethicae derisores et impugnatores continuo ac strenue repellant atque in mediis tentationibus cotidianis vitae modernae praecepta Dei et Ecclesiae fideliter observent, sufficeret mera lex, mera Decalogi et Codicis cognitio; sed requiritur cognitio viva et inflammata rationum supernaturalium, requiritur idealismus christianus, qui eorum actionibus in singulis casibus praeluceat eosque ad summa quaeque perfectionis christianae fastigia inflammet. Requiritur praesertim educatio fidelium talis, ut etiam sine adiutorio vel consilio sacerdotis — quem adire non raro ipsis erit difficile — sine tu-

tela paterna, cum independentia spiritus et libertate conscientiae legi christianae se conforment. Aliis verbis, educatio populi, quam pastores animarum et proin indirecte Moralistae praestent oportet, et quidem hodie magis ac antea, considerata praesertim vocatione laicorum ad apostolatum cum hierarchia ecclesiastica in Actione catholica praestandum, tendere debebit in hoc, quod S. Paulus pulcherrime dixerat: « Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia, et in omni sensu, ut probetis potiora » [8]) « ut occurramus omnes ... in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi, ut iam non simus parvuli fluctuantes ... Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in Illo per omnia » [9]).

Quae educatio summam in pastore requirit prudentiam, ne necessaria fidelium dependentia a lege obiectiva creet « infantes in fide » neve necessaria conscientiae libertas degeneret in subiectivismum perniciosum et haereticum; est ergo sane opus arduum, attamen consideratis Ecclesiae modernae condicionibus, videtur esse condicio sine qua non, ut fides Christi, praesertim inter viros procedat et floreat.

Quibus praestitis, in populo christiano, qui ius canonicum non raro oculis iniquis et malignis considerat, intelligentia magis iusta et obsequium filiale erga iuris ecclesiastici ordinem necessarium oriretur. Et sic nova via obtinebitur id, quod nostrum omnium est in votis, ut scl. Theologia moralis et Ius canonicum invicem se coordinent, se iuvent, mutuo se compleant, ut ex Codicis promulgatione Theologiae morali incrementum internum, et ex huiusmodi incremento Iuri ecclesiastico novi vitae fontes affluant: iustitia et pax osculatae sunt.

Ivo A. Zeiger, S. I.

---

[8] Phil. 1,9.
[9] Eph. 4,13.

MONUMENTA

25 - SS. D. N. Pius Pp. XII

Litterae Encyclicae « Mystici Corporis Christi »

(*Continuatur*)*

CHRISTUS EST CONDITOR MYSTICI HUIUS CORPORIS

24. Usque adhuc edisserendo vidimus, Venerabiles Fratres, ita constitutam esse Ecclesiam, ut corpori adsimulari queat; superest in praesens ut enucleate accurateque explanemus quibus de causis eadem non qualecumque corpus, sed Iesu Christi Corpus praedicanda sit. Quod quidem ex eo eruitur quod Dominus Noster mystici huius Corporis est Conditor, Caput, Sustentator, Servator.

25. Exposituris breviter, qua ratione Christus sociale Corpus suum condiderit, principio haec Nobis occurrit Decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII sententia: « Ecclesia, quae iam concepta, ex latere ipso secundi Adami, velut in Cruce dormientis, orta erat, sese in lucem hominum insigni modo primitus dedit die celeberrima Pentecostes »[23]. Divinus enim Redemptor mystici Ecclesiae templi aedificationem tum inchoavit, cum concionando sua tradidit praecepta; tum consummavit, cum clarificatus e Cruce pependit; ac tum denique manifestavit promulgavitque, cum adspectabili modo Paraclitum Spiritum in discipulos misit.

1) *Aedificationem inchoavit praedicatione divinae doctrinae.*

26. Dum nimirum concionatoris munus obibat, Apostolos eligebat, mittens eos sicut ipse erat missus a Patre[24], doctores nempe, rectores, sanctitatisque effectores in credentium coetu; eorum Principem suumque in terris Vicarium indicabat[25];

---

* Cfr. *Periodica*, p. 278.

[23] Encycl. *Divinum Illud*: *A. S. S.*, XXIX, p. 649.

[24] IOANN., XVII, 18.

[25] Cf. MATTH., XVI, 18-19.

omnia, quae audierat a Patre, eis nota faciebat [26]; Baptismum quoque designabat [27], quo crediturі Ecclesiae Corpori inserererentur; ac tandem ad vitae vesperam cum pervenisset, novissimam celebrans coenam, Eucharistiam, mirabile sacrificium mirabileque sacramentum, instituebat.

2) *Consummavit oblatione in Cruce peracta.*

27. Opus autem suum in Crucis patibulo consummavisse, haud interrupta Sanctorum Patrum testimonia asseverant, qui quidem animadvertunt in Cruce Ecclesiam e latere Salvatoris esse natam instar novae Evae, matris omnium viventium [28]. « Et nunc, ita magnus Ambrosius de latere Christi perforato agens, aedificatur, et nunc formatur, et nunc ... figuratur, et nunc creatur ... Nunc domus spiritualis surgit in sacerdotium sanctum » [29]. Quam venerandam doctrinam qui religiose perscrutatus fuerit, haud difficulter rationes, quibus eadem innititur, cernere poterit.

28. Et primo quidem Redemptoris morte, Legi Veteri abolitae Novum Testamentum successit; tunc Lex Christi una cum suis mysteriis, legibus, institutis ac sacris ritibus pro universo terrarum orbe sancita est Iesu Christi sanguine. Nam, dum Divinus Servator in angusto territorio concionabatur — non enim erat missus nisi ad oves quae perierant domus Israel [30] — simul currebant Lex et Evangelium [31]; in suae autem mortis patibulo Iesus Legem cum decretis suis evacuavit [32], chirographum Antiqui Testamenti Cruci affixit [33], in sanguine suo, pro universo humano genere profuso, Novum Testamentum constituens [34]. « Adeo tunc, ita S. Leo Magnus de Cruce Domini verba faciens, a Lege ad Evangelium, a Synagoga ad Ecclesiam, a multis sacrificiis ad unam hostiam evidens facta est translatio, ut emittente spiritum Domino velum illud mysticum, quod templi penetralia sanctumque secretum suo intercludebat obiectu, a summo usque ad imum vi subita scinderetur » [35].

29. In Cruce igitur Lex Vetus mortua est, mox sepelienda et

---

[26] Ioann., XV, 15 coll. XVII, 8 et 14.
[27] Cf. Ioann., III, 5.
[28] Cf. *Gen.*, III, 20.
[29] Ambros., *In Luc.*, II, 87: Migne, *P. L.*, XV, 1585.
[30] Cf. Matth., XV, 24.
[31] Cf. S. Thom., I-II, q. 103, a. 3, ad 2.
[32] Cf. *Eph.*, II, 15.
[33] Cf. *Col.*, II, 14.
[34] Cf. Matth., XXVI, 28 et *I Cor.*, XI, 25.
[35] Leo M., *Serm.*, LXVIII, 3: Migne, *P. L.*, LIV, 374.

mortifera futura [36], ut Novo Testamento locum cederet, cuius quidem Christus idoneos ministros Apostolos elegerat [37]: atque e Crucis virtute Servator noster, etsi iam in utero Virginis Caput totius humanae familiae constitutus, ipsum Capitis munus in Ecclesia sua plenissime exercet. « Per Crucis enim victoriam, ex Angelici Communisque Doctoris sententia, meruit potestatem et dominium super gentes » [38]; per eandem in immensum nobis auxit thesaurum illum gratiarum, quas gloriosus regnans in caelo, membris suis mortalibus nulla intermissione elargitur; per sanguinem in Cruce profusum id effecit, ut divinae irae remoto obice, omnia caelestia dona imprimisque spiritualia Novi et Aeterni Testamenti munera e fontibus Servatoris in salutem hominum, maximeque fidelium, effluere possent; in arbore Crucis denique sibi suam acquisivit Ecclesiam, hoc est omnia mystici sui Corporis membra, quippe quae per Baptismatis lavacrum mystico huic Corpori non coagmentarentur, nisi ex salutifera virtute Crucis, in qua quidem iam plenissimae Christi ditionis facta essent.

30. Quodsi morte sua Servator noster, plena atque integra verbi significatione, factus est Ecclesiae Caput: haud secus Ecclesia per sanguinem eius uberrima illa Spiritus communicatione ditata est, qua quidem, inde a « Filio hominis » in suum dolorum patibulum elato ibique clarificato, divinitus illustratur. Tunc enim, ut Augustinus animadvertit [39], conscisso templi velo factum est, ut ros charismatum Paracliti, qui eo usque descenderat in solum vellus, hoc est in populum Israel, large abundanterque, exsiccato et relicto vellere, universam terram, Catholicam scilicet Ecclesiam irrigaret, quae nullis vel stirpis, vel territorii finibus terminaretur. Sicut igitur primo incarnationis momento, Aeterni Patris Filius humanam naturam sibi substantialiter unitam Sancti Spiritus plenitudine ornavit, ut aptum divinitatis instrumentum esset in cruento Redemptionis opere: ita pretiosae suae mortis hora Ecclesiam suam uberioribus Paracliti muneribus ditatam voluit, ut in divinis Redemptionis fructibus impertiendis validum evaderet incarnati Verbi instrumentum, numquam utique defuturum. Iuridica enim, quam vocant, Ecclesiae missio, ac docendi, gubernandi

---

[36] Cf. Hier. et August., *Epist.* CXII, 14 et CXVI, 16: Migne, *P. L.*, XXII, 924 et 943; S. Thom., I-II, q. 103, a. 3 ad 2; a. 4 ad 1; Concil. Flor., *pro Iacob.*: Mansi, XXXI, 1738.

[37] Cf. *II* Cor., III, 6.

[38] Cf. S. Thom., III, q. 42, a. 1.

[39] Cf. *De pecc. orig.*, XXV, 29: Migne, *P. L.*, XLIV, 400.

sacramentaque administrandi potestas, idcirco ad aedificandum Christi Corpus supernam vim habent atque vigorem, quod Christus Iesus e Cruce pendens Ecclesiae suae divinorum munerum fontem aperuit, quibus et fallentem numquam doctrinam homines docere posset, et eos per divinitus illuminatos Pastores salutariter regere, ac caelestium gratiarum imbre perfundere.

31. Quodsi haec omnia Crucis mysteria attente consideramus, iam ea non obscura nobis sunt Apostoli verba, quibus docet Ephesios, Christum sanguine suo Iudaeos et Gentes unum fecisse, « medium parietem ... solvens ... in carne sua », quo duo populi dividebantur; itemque Legem Veterem evacuasse, « ut duos conderet in semetipso in unum novum hominem », Ecclesiam videlicet: et ambos in uno Corpore reconciliaret Deo per Crucem [40].

3) *Roboravit manifestavitque die Pentecostes.*

32. Quam autem sanguine suo condidit Ecclesiam, eam Pentecostes die peculiari virtute, caelitus delapsa, roboravit. Siquidem, in excelso suo munere sollemniter eo constituto, quem suum iam antea designaverat Vicarium, caelum ascenderat; ac sedens ad Patris dexteram, Sponsam suam adspectabili Spiritus Sancti adventu, cum sonitu flaminis vehementis ignitisque linguis [41], manifestare ac promulgare voluit. Nam, sicut ipse, cum concionandi munus inchoaret, ab Aeterno Patre suo per Spiritum Sanctum, sub specie columbae descendentem manentemque super eum [42], manifestatus est; ita pariter, dum Apostoli sacrum concionandi officium inituri erant, Christus Dominus suum e caelo demisit Spiritum, qui eosdem per flammeas linguas attingens, supernam Ecclesiae missionem supernumque munus veluti divino digito indicaret.

Christus est Caput mystici huius Corporis

33. Secundo autem loco, hoc mysticum Corpus, quod est Ecclesia, Christi nomine insigniri ex eo evincitur, quod ipse eiusdem Caput reapse sit ab omnibus habendus. « Ipse, ut inquit Paulus, est Caput Corporis Ecclesiae » [43]. Ipse est Caput, ex quo to-

---

[40] Cf. *Eph.*, II, 14-16.
[41] Cf. *Act.*, II, 1-4.
[42] Cf. Luc., III, 22; Marc., I, 10.
[43] *Col.*, I, 18.

tum Corpus congruo ordine compositum, succrescit et augmentum facit in aedificationem sui [44].

34. Exploratum habetis, Venerabiles Fratres, quibus luculentissimis sententiarum luminibus Scholasticae Theologiae Magistri, ac praecipue Angelicus Communisque Doctor, hac de re disputaverint; vobisque profecto est cognitum prolata ab eo argumenta sanctorum Patrum placitis fideliter respondere, quae ceteroquin nihil aliud referebant edisserendoque commentabantur, nisi divina Sacrarum Litterarum eloquia.

1) *Ratione excellentiae.*

35. Libet tamen Nobis heic in communem utilitatem id presse attingere. Ac principio perspicuum est Dei Beataeque Virginis Filium peculiarissima quadam excellentiae ratione Ecclesiae Caput esse vocandum. Caput enim in sublimi locatum est. Quis autem est altiore loco locatus, quam Christus Deus, qui utpote Aeterni Patris Verbum, « primogenitus omnis creaturae » [45] haberi debet? Quisnam elatiore in vertice positus, quam Christus homo, qui e Virgine labis experte natus, verus naturalisque Dei Filius est, et ob prodigialem gloriosamque anastasim, qua ex triumphata morte surrexit, « primogenitus mortuorum » [46] exsistit? Quisnam denique excelsiore in culmine collocatus quam ille, qui utpote « unus... mediator Dei et hominum » [47], mirando prorsus modo terram cum caelo coniungit; qui exaltatus in Cruce, veluti in misericordiae solio, omnia traxit ad semet ipsum [48]; quique, filius hominis electus ex myriadibus, plus quam omnes homines, omnes angeli, omnesque creatae res a Deo diligitur [49]?

2) *Ratione providae gubernationis.*

36. Quia vero Christus tam sublimem occupat locum, iure meritoque ipse solummodo est, qui Ecclesiam regit atque gubernat; proptereaque hac quoque de causa capiti adsimulari debet. Siquidem, quemadmodum caput — ut Ambrosii verbis utamur — est « arx regalis » corporis [50], ab eodemque, utpote

---

[44] Cf. *Eph.*, IV, 16 coll. *Col.*, II, 19.
[45] *Col.*, I, 15.
[46] *Col.*, I, 18; *Apoc.*, I, 5.
[47] *I Tim.*, II, 5.
[48] Cf. Ioann., XII, 32.
[49] Cf. Cyr. Alex., *Comm. in Ioh.* I, 4: Migne, *P. G.*, LXXIII, 69; S. Thom., I, q. 20, a. 4, ad 1.
[50] *Hexaëm.*, VI, 55: Migne, *P. L.*, XIV, 265.

potioribus dotibus praedito, omnia membra, quibus superponitur ut consulat [51], natura ipsa diriguntur, ita Divinus Redemptor universae Christianorum reipublicae clavum tenet eiusque gubernacula moderatur. Ac quandoquidem hominum coetum regere nihil est aliud, nisi utili eos providentia, idoneis opibus rectisque rationibus ad assignatum finem perducere [52], facile cernere est Servatorem nostrum, qui bonorum Pastorum forma et exemplar exsistit [53], haec omnia mirando prorsus exercere modo.

37. Ipse enim, cum in terris commorabatur, legibus, consiliis, monitis, per eiusmodi verba nos docuit, quae numquam transibunt, quaeque cuiusvis aetatis hominibus spiritus erunt et vita [54]. Ac praeterea triplicem potestatem Apostolis eorumque successoribus impertiit; docendi nempe, regendi, ad sanctitudinemque ducendi homines; quam quidem potestatem peculiaribus praeceptis, iuribus officiisque praefinitam, primariam legem statuit totius Ecclesiae.

38. a) *Quam exercet invisibiliter per seipsum.* Sed directo etiam per se divinus Servator noster conditam ab se societatem moderatur ac dirigit. Ipse enim regnat in mentibus animisque hominum et ad beneplacitum suum vel rebelles inflectit ac compellit voluntates. « Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud » [55]. Quo quidem interno moderamine non modo ipse, ut « pastor et episcopus animarum nostrarum » [56], singulorum curam habet, sed universae quoque prospicit Ecclesiae; sive quando eius rectores ad munia cuiusque sua fideliter fructuoseque obeunda illuminat atque corroborat; sive, quando — in gravioribus praesertim rerum adiunctis, — viros ac mulieres, sanctitatis fulgore enitentes, e gremio Ecclesiae Matris excitat, ut ceteris christifidelibus exemplo sint ad mystici sui Corporis incrementum. Huc accedit quod e caelo Christus intemeratam Sponsam, heic in terris exsilio laborantem, peculiari semper amore respicit; cumque eam periclitantem cernit, vel per se ipsemet, vel per angelos suos [57], vel per eam, quam Auxilium Christianorum invocamus, aliosque caelestes

---

[51] Cf. AUGUST., *De Agon. Christ.*, XX, 22: MIGNE, *P. L.* 301.
[52] Cf. S. THOM., I, q. 22, a. 1-4.
[53] Cf. IOANN., X, 1-18; I Petr., V, 1-5.
[54] Cf. IOANN., VI, 63.
[55] *Proverb.*, XXI, 1.
[56] Cf. *I Petr.*, II, 25.
[57] Cf. *Act.*, VIII, 26; IX, 1-19; X, 1-7; XII, 3-10.

praestites, et tempestatis fluctibus eripit, ac sedato tranquillatoque mari, pace ea solatur, « quae exsuperat omnem sensum » [58].

39. b) *Visibiliter in universam Ecclesiam per suum in terris Vicarium.* Non est tamen reputandum eius regimen modo non conspicuo [59] vel extraordinario tantum absolvi; cum contra, adspectabili quoque ordinariaque ratione, Divinus Redemptor per suum in terris Vicarium Corpus suum mysticum gubernet. Norunt enim omnes, Venerabiles Fratres, Christum Dominum, postquam per hoc mortale iter « pusillum gregem » [60] per se ipse perspicibili modo rexisset, mox hunc mundum relicturum ac rediturum ad Patrem, totius ab se conditae societatis adspectabile regimen Apostolorum Principi commisisse. Siquidem, ut sapientissimus erat, constitutum ab se sociale Ecclesiae corpus nequaquam sine conspicuo capite relinquere poterat. Neque ad rem eiusmodi infitiandam asseverari potest per statutum in Ecclesia iurisdictionis primatum, mysticum eiusmodi Corpus gemino instructum fuisse capite. Est enim Petrus, vi primatus, nonnisi Christi vicarius, atque adeo unum tantum primarium habetur huius Corporis Caput, nempe Christus; qui quidem arcana ratione Ecclesiam per sese gubernare non desinens, adspectabili tamen modo per eum, qui suam in terris personam gerit, eandem regit Ecclesiam, iam post gloriosam suam in caelum Ascensionem non in se solo, sed in Petro quoque tamquam in perspicuo fundamento aedificatam. Unum solummodo Caput constituere Christum eiusque Vicarium, Decessor noster imm. mem. Bonifacius VIII per Apostolicas Litteras *Unam Sanctam* solemniter docuit [61], idque subinde Successores eius iterare non desiere unquam.

40. Periculoso igitur in errore ii versantur, qui se Christum Ecclesiae Caput amplecti posse existimant, licet eius in terris Vicario fideliter non adhaereant. Sublato enim adspectabili hoc Capite, ac diffractis conspicuis unitatis vinculis, mysticum Redemptoris Corpus ita obscurant ac deformant, ut ab aeternae quaerentibus salutis portum iam nec videri, neque inveniri queat.

41. c) *In ecclesias particulares etiam per proprios Episcopos.* Quae autem Nos heic de universali Ecclesia diximus, id de peculiaribus etiam asseverari debet christianorum com-

---

[58] *Philipp.*, IV, 7.
[59] Cf. Leo XIII, *Satis Cognitum* *A.A.S.*, XXVIII, 725.
[60] Luc., XII, 32.
[61] Cf. *Corp. Iur. Can.*, Extr. comm., I, 8, 1.

munitatibus, cum Orientalibus, tum Latinis, ex quibus una constat ac componitur Catholica Ecclesia: quandoquidem et ipsae a Christo Iesu proprii uniuscuiusque Episcopi voce potestateque reguntur. Quamobrem sacrorum Antistites non solum eminentiora universalis Ecclesiae membra habendi sunt, ut qui singulari prorsus nexu iunguntur cum divino totius Corporis Capite, atque adeo iure vocantur « partes membrorum Domini primae » [62]; sed, ad propriam cuiusque Dioecesim quod spectat, utpote veri Pastores assignatos sibi greges singuli singulos Christi nomine pascunt ac regunt [63]; id tamen dum faciunt, non plane sui iuris sunt, sed sub debita Romani Pontificis auctoritate positi, quamvis ordinaria iurisdictionis potestate fruantur, immediate sibi ab eodem Pontifice Summo impertita. Quapropter, ut Apostolorum ex divina institutione successores [64], a populo venerandi sunt; ac magis quam huius mundi moderatoribus, etiamsi altissimis, illud Episcopis, utpote Spiritus Sancti chrismate ornatis, convenit effatum: « Nolite tangere Christos meos » [65].

42. Itaque summo Nos maerore afficimur, cum Nobis affertur, non paucos e Nostris in Episcopatu Fratribus, idcirco quod facti sint forma gregis ex animo [66], ac sacrum sibi traditum « fidei depositum » [67] strenue, ut addecet, fideliterque custodiant; idcirco quod sanctissimas leges urgeant, in animis hominum divinitus insculptas, ac sibi creditum gregem, supremi Pastoris exemplo, adversus rapaces lupos tutentur, non modo in semetipsos illatas insectationes vexationesque perpeti, sed — quod crudelius ipsis graviusque est — in oves etiam suis curis commissas, in apostolici laboris socios, ac vel in ipsas virgines Deo sacratas. Eiusmodi Nos iniuriam, utpote Nobismet ipsis inustam reputantes, Decessoris Nostri imm. rec. Gregorii Magni grandiloquam sententiam iteramus: Honor noster universalis Ecclesiae est honor; honor Noster solidus Fratrum Nostrorum est vigor; ac tunc Nos vere honorati sumus, cum singulis quibusque debitus honor non negatur [68].

---

[62] Greg. Magn., *Moral.*, XIV, 35, 43: Migne, *P. L.*, LXXV, 1062.
[63] Cf. Conc. Vat., *Const. de Eccl.*, cap. 3.
[64] Cf. *Cod. Iur. Can.*, can. 329, 1.
[65] I *Paral.*, XVI, 22; *Ps.*, CIV, 15.
[66] Cf. *I Petr.*, V, 3.
[67] Cf. *I Tim.*, VI, 20.
[68] Cf. *Ep. ad Eulog.*, 30: Migne, *P. L.*, LXXVII, 933.

43. d) *Christus, ut Caput requirit totius Corporis opem in exsequendo Redemptionis opere.* Nec tamen putandum est, Christum Caput, cum tam sublimi in loco sit positum, opem non requirere Corporis. Etenim de mystico quoque hoc Corpore illud asseverandum est, quod Paulus de humana concretione asseverat: « Non potest dicere... caput pedibus: non estis mihi necessarii »[69]. Liquido utique patet christifideles divini Redemptoris ope omnino egere, cum ipse dixerit: « Sine me nihil potestis facere »[70], et cum ex Apostoli sententia, omne mystici huius Corporis incrementum in aedificationem sui ex Christo Capite sit[71]. Attamen hoc quoque retinendum est, quamvis mirandum prorsus videatur, Christum nempe requirere membra sua. Idque primo quidem, quatenus Iesu Christi persona a Summo geritur Pontifice, qui ne pastoralis officii onere obruatur, alios non paucos in sollicitudinis suae partes vocare debet, ac cotidie est totius comprecantis Ecclesiae adiutorio relevandus. Ac praeterea Servator noster, prout ipse per se non adspectabili modo Ecclesiam regit, a mystici vult sui Corporis membris adiuvari in exsequendo Redemptionis opere. Quod tamen non ex eius indigentia debilitateque accidit, sed ex eo potius quod ipsemet ad maiorem intemeratae suae Sponsae honorem rem ita disposuit. Dum enim in Cruce emoriens, immensum Redemptionis thesaurum Ecclesiae suae, nihil ea conferente, dilargitus est; ubi de eiusmodi thesauro distribuendo agitur, id efficiendae sanctitatis opus non modo cum intaminata sua Sponsa communicat, sed ex eius etiam opera vult quodammodo oriri. Tremendum sane mysterium, ac satis numquam meditatum: multorum nempe salutem a mystici Iesu Christi Corporis membrorum precibus voluntariisque afflictationibus, ab iisdem hac de causa susceptis, pendere, et ab adiutrice Pastorum ac fidelium, imprimisque patrum matrumque familias opera, quam iidem divino Servatori nostro quasi sociam praestare debeant.

3) *Christus est Caput Ecclesiae ratione similitudinis cum membris et corpore.*

44. In praesens autem rationibus modo expositis, quibus eruitur Christum Dominum socialis sui Corporis Caput esse vocandum, tres aliae adiciendae sunt, quae et ipsae intimis nexibus devinciuntur.

---

[69] *I Cor.*, XII, 21.
[70] Ioann., XV, 5.
[71] Cf. *Eph.*, IV, 16; *Col.*, II, 19.

45. Initium sumimus ex invicem conformata ratione, quam inter caput et corpus intercedere videmus, cum eiusdem naturae exsistant. Quam ad rem animadvertendum est naturam nostram, quamvis inferior sit angelica, ex Dei tamen bonitate angelorum naturam evincere: « Christus enim, ut dicit Aquinas, est Caput angelorum. Nam Christus praeest angelis etiam secundum humanitatem... Item etiam secundum quod homo angelos illuminat et in eis influit. Quantum autem ad naturae conformitatem, Christus non est Caput angelorum, quia non angelos apprehendit, sed — secundum Apostolum — semen Abrahae » [72]. Nec solum naturam nostram apprehendit Christus, sed in fragili etiam, patibili mortalique corpore consanguineus noster factus est. At si, Verbum « semetipsum exinanivit, formam servi accipiens » [73], hoc ea quoque de causa egit, ut suos secundum carnem fratres consortes faceret divinae naturae [74], cum in terrestri exsilio per sanctitatis effectricem gratiam, tum in caelesti patria per sempiternam assequendam beatitatem. Idcirco enim Aeterni Patris Unigenitus filius hominis esse voluit, ut nos conformes efficeremur imagini Filii Dei [75], ac renovaremur secundum imaginem illius, qui creavit nos [76]. Ii igitur omnes, qui christiano nomine gloriantur, non modo divinum Servatorem nostrum, veluti excelsum perfectissimumque virtutum omnium exemplar intueantur, sed per sollertem etiam peccatorum fugam sanctimoniaeque exercitionem studiosissimam, ita eius doctrinam ac vitam suis moribus exprimant, ut cum Dominus apparuerit, in gloria similes ei fiant, videntes eum sicuti est [77].

46. Quemadmodum autem singula membra sibi adsimulata vult Christus, ita totum etiam Ecclesiae Corpus. Quod profecto evenit, cum ipsa, Conditoris sui vestigiis insistens, docet, regit, divinumque sacrificium immolat. Ipsa praeterea, dum evangelica consilia amplectitur, Redemptoris paupertatem, obedientiam, virginitatemque in se refert. Ipsa per multiplicia variaque instituta, quibus veluti monilibus ornatur, Christum quodammodo commonstrat, vel in monte contemplantem, vel concionantem ad populos, vel sanantem aegros et saucios, ac peccatores ad frugem bonam convertentem, vel denique bene facientem omnibus. Nihil igitur mirum si eadem, quamdiu hisce in terris

---

[72] *Comm. in ep. ad Eph.*, cap. 1, lect. 8; *Hebr.*, II, 16-17.
[73] *Philipp.*, II, 7.
[74] Cf. *II Petr.*, 1, 4.
[75] Cf. *Rom.*, VIII, 29.
[76] Cf. *Col.*, III, 10.
[77] Cf. *I Ioann.*, III, 2.

degit, insectationibus quoque, vexationibus doloribusque, Christum imitando, afficiatur.

4) *Ratione plenitudinis gratiae et veritatis qua praestat.*

47. Ac praeterea idcirco Ecclesiae Caput habendus est Christus, quod supernorum munerum plenitudine perfectioneque cum praestet, ex eiusmodi plenitudine mysticum eius Corpus haurit. Sicut enim -- quod plures Patres animadvertunt — mortalis nostri corporis caput sensibus omnibus pollet, dum ceterae concretionis nostrae partes tactu solummodo fruuntur, ita quae in societate christiana virtutes sunt, quae dona, quae charismata, ea omnia in eius Capite Christo perfectissime renident. « In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare » [78]. Eum superna ea munera exornant, quae hypostaticam unionem comitantur: siquidem in eo Spiritus Sanctus habitat cum tali gratiarum plenitudine, ut maior intelligi nequeat. Ei data est « potestas omnis carnis » [79]; uberrimi in eo sunt « omnes thesauri sapientiae et scientiae » [80]. Eaque etiam, quam visionis scientiam vocant, ita in eo viget ut tam ambitu quam claritate beatam id genus scientiam prorsus exsuperet sanctorum omnium caelitum. Ac denique tam ipse est plenus gratiae et veritatis, ut de inexhausta plenitudine eius nos omnes accipiamus [81].

5) *Ratione influxus in membra, quae ab hoc Capite hauriunt lumen et sanctitatem.*

48. Haec autem illius discipuli verba, quem singulari caritate diligebat Iesus, ad extremam edisserendam rationem Nos movent, e qua quidem peculiari quodam modo evincitur Christum Dominum mystici sui Corporis Caput esse asseverandum. Sicut scilicet nervi in omnes nostri corporis artus e capite diffunduntur, iisdemque sentiendi seseque movendi facultatem impertiunt, ita Servator noster vim virtutemque suam in Ecclesiam immittit, qua fit ut res divinae et illustrius a christifidelibus cognoscantur et appetantur avidius. Ex eo profluit in Ecclesiae Corpus omnis lux, qua credentes divinitus illustrantur, omnisque gratia, qua sancti fiunt, sicut ipse sanctus est.

49. Universam Ecclesiam suam illuminat Christus; quod quidem ex pene innumeris Sacrarum Litterarum sanctorumque

---

[78] *Col.* I, 19.
[79] Cf. Ioann., XVII, 2.
[80] *Col.*, II, 3.
[81] Cfr. Ioann., I, 14-16.

Patrum locis comprobatur. « Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit »[82]. Veniens a Deo magister[83], ut testimonium perhiberet veritati[84], primaevam Apostolorum Ecclesiam ita sua luce illustravit, ut Apostolorum princeps exclamaret: « Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes »[85]; Evangelistis e caelo ita adfuit, ut tamquam membra Christi illud operati sint, quod veluti dictante Capite cognoverunt[86]. Atque etiam hodie nobis, hoc in terrestri exsilio commorantibus, est auctor fidei, sicut in patria consummator[87]. Ipse est qui in fideles lumen fidei infundit; ipse qui Pastores et Doctores, imprimisque suum in terris Vicarium, supernis scientiae, intellectus, sapientiaeque donis divinitus ditat, ut fidei thesaurum fideliter adservent, strenue defendant, pie diligenterque explicent atque corroborent; ipse denique est, qui etsi non visus, Ecclesiae Conciliis praesidet atque praelucet[88].

50. Sanctitatis auctor est atque effector Christus. Nullus siquidem salutaris actus haberi potest, qui ex eo, tamquam e supernо fonte, non profluat. « Sine me, inquit, nihil potestis facere »[89]. Si, ob admissa perpetrata, animi dolore paenitentiaque movemur, si filiorum timore ac spe ad Deum convertimur, ipsius semper virtute ducimur. Gratia et gloria ex inexhausta eius plenitudine oriuntur. Eminentiora praesertim mystici sui Corporis membra, consilii, fortitudinis, timoris pietatisque donis Servator noster continenter munerat, ut totum Corpus magis in dies magisque vitae sanctitate integritateque augeatur. Et quando Ecclesiae Sacramenta externo ritu administrantur, ipsemet effectum in animis operatur[90]. Itemque ipse est, qui redemptos nutriens propria carne et sanguine, concitatos ac turbidos animi motus sedat; ipse est, qui gratias auget assequendamque animorum corporumque gloriam praeparat. Quos quidem divinae bonitatis thesauros, mystici sui Corporis membris non modo idcirco impertire dicendus est, quod eos, tam eucharistica hostia in terris, quam clarificata in caelis, osten-

---

82 Cf. Ioann., I, 18.
83 Cf. Ioann., III, 2.
84 Cf. Ioann., XVIII, 37.
85 Cf. Ioann., VI, 68.
86 Cf. August., *De cons. evang.*, I, 35, 54: Migne, *P. L.*, XXXIV, 1070.
87 Cf. *Hebr.*, XII, 2.
88 Cf. Cyr. Alex., *Ep. 55 de Symb.*: Migne, *P. G.*, LXXVII, 293.
89 Cf. Ioann., XV, 5.
90 Cf. S. Thom., III, q. 64, a. 3.

sione vulnerum precumque effusione a Patre Aeterno efflagitat, sed idcirco etiam quod singulis singulas gratias « secundum mensuram donationis Christi » [91], eligit, determinat, distribuit. Ex quo consequitur ut a Divino Redemptore, tamquam ex capitali fonte vim hauriens, « totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis faciat in aedificationem sui in caritate » [92].

Christus sustentat hoc Corpus mysticum

51. Quae supra exposuimus, Venerabiles Fratres, modum presse breviterque explanantes, quo Christus Dominus ex divina plenitudine sua in Ecclesiam vult ubera sua dona influant, ut eadem sibimet ipsi quam maxime adsimuletur, haud parum profecto conferunt ad tertiam illam edisserendam rationem, ex qua etiam eruitur cur sociale Ecclesiae Corpus nomine Christi decoretur: quae quidem in eo ponitur, quod Servator noster ab se conditam societatem ipse divinitus sustentat.

52. Ut acute subtiliterque Bellarminus [93] animadvertit, haec Corporis Christi nominatio non ex eo solummodo explicanda est, quod Christus mystici sui Corporis Caput est dicendus, sed ex eo etiam quod ita Ecclesiam sustinet, et ita in Ecclesia quodammodo vivit, ut ipsa quasi altera Christi persona exsistat. Quod quidem gentium Doctor ad Corinthios scribens affirmat, cum, nihil aliud adiiciens, « Christum » Ecclesiam vocat [94], ipsum profecto Magistrum imitatus, qui eidem Ecclesiam insectanti adclamaverat ex alto: « Saule, Saule, cur me persequeris? » [95] Quin immo si Nysseno credimus, saepius ab Apostolo Ecclesia « Christus » nuncupatur [96]; nec ignotum vobis est, Venerabiles Fratres, illud Augustini effatum: « Christus Christum praedicat » [97].

---

[91] *Eph.*, IV, 7.
[92] *Eph.*, IV, 16; cf. *Col.*, II, 19.
[93] Cf. *De Rom. Pont.*, I, 9; *De Concil.*, II, 19.
[94] Cf. *I Cor.*, XII, 12.
[95] Cf. *Act.*, IX, 4; XXII, 7; XXVI, 14.
[96] Cf. Greg. Nyss., *De vita Moysis*: Migne, *P. G.*, XLIV, 385.
[97] Cf. *Serm.*, CCCLIV, 1: Migne, *P. L.*, XXXIX, 1563.

1) *Nam ipse per Ecclesiam docet, regit, sacramenta administrat, sacrificat.*

53. Nobilissima tamen eiusmodi appellatio non ita accipienda est, ac si ineffabile illud vinculum, quo Dei Filius concretam assumpsit humanam naturam, ad universam pertineat Ecclesiam; sed in eo posita est, quod Servator Noster bona maxime sibi propria ita cum Ecclesia sua communicat, ut haec secundum totam vitae suae rationem, tam adspectabilem quam arcanam, Christi imaginem quam perfectissime exprimat. Nam per iuridicam, ut aiunt, missionem qua Divinus Redemptor Apostolos in mundum misit, sicut ipse missus erat a Patre [98], ipse est qui per Ecclesiam baptizat, docet, regit, solvit, ligat, offert, sacrificat.

2) *Ipse etiam per Paraclitum Spiritum coniungit omnes Corporis partes inter se et cum Capite.*

54. Ea vero altiore donatione, interna ac sublimi prorsus, quam supra attigimus, Capitis scilicet rationem describentes influendi in membra sua, Christus Dominus Ecclesiam superna sua vita vivere iubet, totum eius Corpus divina virtute sua permeat, et singula membra secundum locum, quem in Corpore occupant, eo fere modo alit ac sustentat, quo cohaerentes sibi palmites vitis nutrit facitque frugiferos [99].

Quodsi divinum hoc, a Christo datum, vitae virtutisque principium attente consideramus, prout ipsum fontem constituit cuiusvis doni gratiaeque creatae, facile intellegimus illud nihil aliud esse nisi Paraclitum Spiritum, qui a Patre Filioque procedit, quique peculiari modo « Spiritus Christi » seu « Spiritus Filii » dicitur [100]. Hoc enim gratiae veritatisque Flamine Filius Dei in ipso intaminato Virginis sinu animam suam ornavit; hic Spiritus in deliciis habet in almo Redemptoris animo tamquam in templo suo dilectissimo habitare; hunc Spiritum proprio effuso cruore Christus nobis in Cruce promeruit; hunc denique super Apostolos efflans, Ecclesiae ad peccata remittenda largitus est [101]; ac dum Christus solummodo hunc Spiritum non ad mensuram accepit [102], membris tamen mystici Corporis non nisi secundum mensuram donationis Christi ex ipsius Christi

---

[98] Cf. Ioann., XVII, 18 et XX, 21.

[99] Cf. Leo XIII, *Sapientiae Christianae*: *A. S. S.*, XXII, 392; *Satis cognitum*: *Ibidem*, XXVIII, 710.

[100] *Rom.*, VIII, 9; *II Cor.*, III, 17; *Gal.*, IV, 6.

[101] Cf. Ioann., XX, 22.

[102] Cf. Ioann., III, 34.

plenitudine impertitur [103]. Ac postquam Christus in Cruce clarificatus est, eius Spiritus cum Ecclesia uberrima effusione communicatur, ut ipsa eiusque singula membra magis in dies magisque Servatori nostro adsimulentur. Spiritus Christi est, qui nos adoptivos Dei filios effecit [104], ut aliquando « omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformemur a claritate in claritatem » [105].

55. Huic autem Christi Spiritui tamquam non adspectabili principio id quoque attribuendum est, ut omnes Corporis partes tam inter sese, quam cum excelso Capite suo coniungantur, totus in Capite cum sit, totus in Corpore, totus in singulis membris; quibus pro diversis eorum muneribus atque officiis, pro maiore vel minore, quo fruuntur spiritualis sanitatis gradu, diversis rationibus praesens est atque adsistit. Ille est, qui caelesti vitae halitu in omnibus corporis partibus cuiusvis est habendus actionis vitalis ac reapse salutaris principium. Ille est, qui licet per se ipse in omnibus membris habeatur, in iisdemque divinitus agat, in inferioribus tamen etiam per superiorum ministerium operatur; ille denique est, qui dum Ecclesiae nova semper in dies, sua afflante gratia, incrementa parit, membra tamen, a Corpore omnino abscissa, renuit sanctitatis gratia inhabitare. Quam quidem Iesu Christi Spiritus praesentiam operationemque sapientissimus Decessor Noster imm. mem. Leo XIII Encyclicis Litteris *Divinum illud* per haec verba presse nervoseque significavit: « Hoc affirmare sufficiat, quod cum Christus Caput sit Ecclesiae, Spiritus Sanctus sit eius anima » [106].

56. Si vero vitalem illam vim virtutemque, qua tota Christianorum communitas a Conditore suo sustentatur, iam non in semet ipsa, sed in creatis, qui inde oriuntur, effectibus spectamus, in caelestibus ea muneribus consistit, quae Redemptor noster una cum Spiritu suo Ecclesiae impertit, unaque cum Spiritu suo, supernae lucis dator sanctitatisque effector, operatur. Ecclesia igitur haud aliter ac sancta eius omnia membra, grandem hanc Apostoli sententiam sibi sumere potest: « Vivo autem; iam non ego; vivit vero in me Christus » [107].

---

[103] Cf. *Eph.*, I, 8; IV, 7.
[104] Cf. *Rom.*, VIII, 14-17; *Gal.*, IV, 6-7.
[105] Cf. *II Cor.*, III, 18.
[106] *A. S. S.*, XXIX, p. 650.
[107] *Gal.*, II, 20.

CHRISTUS EST CORPORIS ECCLESIAE SERVATOR.

57. Haec Nostra de « Capite mystico » [108] facta eloquia imperfecta quidem manerent, si non paucis saltem attingeremus hanc eiusdem Apostoli sententiam: « Christus Caput est Ecclesiae: Ipse Salvator Corporis eius » [109]. Hisce enim verbis postrema indicatur ratio, cur Corpus Ecclesiae Christi nomine donetur. Est nempe Christus huius Corporis divinus Servator. Ipse enim iure meritoque a Samaritanis praedicatur « Salvator mundi » [110]; immo absque ullo dubio dicendus est « Salvator omnium »; quamvis cum Paulo sit addendum: « maxime fidelium » [111]. Prae aliis videlicet omnibus, membra sua, quae Ecclesiam constituunt, acquisivit sanguine suo [112]. Haec tamen, cum supra de Ecclesia e Cruce orta, de Christo lucis datore effectoreque sanctitatis, deque eodem mystici sui Corporis sustentatore, enucleate satis scripserimus, non est cur amplius explanemus, sed cur potius omnes, immortales gratias agentes Deo, demisso intentoque animo meditemur. Quod autem Servator noster, olim e Cruce pendens, inchoavit, id perpetuo continenterque in caelesti beatitate peragere non desinit: « Caput nostrum, ait Augustinus, interpellat pro nobis: alia membra recipit, alia flagellat, alia mundat, alia consolatur, alia creat, alia vocat, alia revocat, alia corrigit, alia redintegrat » [113]. Nos autem omnes Christo in salutifero hoc opere debemus sociam praestare operam, « qui ex uno et per unum salvamur et salvamus » [114].

ECCLESIA CORPUS « MYSTICUM » CHRISTI EST APPELLANDUM

58. Iam nunc, Venerabiles Fratres, ad illud edisserendum gradum faciamus, per quod quidem in sua luce ponere cupimus Christi Corpus, quod est Ecclesia, mysticum esse appellandum. Appellationem eiusmodi, quae iam in plurium aetatis veteris scriptorum usu habetur, haud pauca Summorum Pontificum documenta comprobant. Non autem una de causa haec vox adhibenda est; quandoquidem per illam sociale Ecclesiae

---

[108] Cf. AMBROS., *De Elia et ieiun.*, 10, 36-37 et *In Psalm. 118*, serm. 20, 2: MIGNE, *P. L.*, XIV, 710 et XV, 1483.
[109] *Eph.*, V, 23.
[110] IOANN., IV, 42.
[111] Cf. *I Tim.*, IV, 10.
[112] *Act.*, XX, 28.
[113] *Enarr. in Ps.*, LXXXV, 5: MIGNE, *P. L.*, XXXVII, 1085.
[114] CLEM. ALEX., *Strom.*, VII, 2: MIGNE, *P. G.*, IX, 413.

Corpus, cuius Christus Caput est ac moderator, internosci potest a physico eius Corpore, quod e Deipara Virgine natum nunc ad Patris dexteram sedet, velisque Eucharisticis delitescit; ac discerni item potest, quod ob hodiernos errores maioris momenti est, a naturali quovis corpore sive physico, sive, ut aiunt, morali.

1) *Sic enim distinguitur a quolibet corpore physico*

59. Dum enim in naturali corpore unitatis principium ita partes iungit, ut propria, quam vocant, subsistentia singulae prorsus careant; contra in mystico Corpore mutuae coniunctionis vis, etiamsi intima, membra ita inter se copulat, ut singula omnino fruantur persona propria. Accedit quod, si totius et singulorum membrorum mutuam inter se rationem consideramus, in physico quolibet viventi corpore totius concretionis emolumento membra singula universa postremum unice destinantur, dum socialis quaelibet hominum compages, si modo ultimum utilitatis finem inspicimus, ad omnium et uniuscuiusque membri profectum, utpote personae sunt, postremum ordinantur. Itaque — ut ad rem nostram regrediamur — sicut Aeterni Patris Filius ob sempiternam omnium nostrum salutem de caelo descendit, ita Corpus Ecclesiae condidit divinoque Spiritu ditavit ad immortalium procurandam assequendamque animarum beatitatem, secundum illud Apostoli: « Omnia enim vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei » [115]. Ut enim Ecclesia in bonum conformatur fidelium, ita in Dei et quem ipse misit Christi Iesu gloriam destinatur.

2) *Et etiam a quolibet corpore morali*

60. Quodsi mysticum comparamus cum morali, ut aiunt, corpore, tum etiam animadvertendum est non leve quiddam interesse, sed aliquid summi momenti inter utrumque summaeque gravitatis. In hoc enim, quod morale vocant, nihil aliud est unitatis principium, nisi finis communis, communisque omnium in eundem finem per socialem auctoritatem conspiratio; dum in mystico, de quo agimus, Corpore conspirationi huic internum aliud adiungitur principium, quod tam in universa compage, quam in singulis eius partibus reapse exsistens virtuteque pollens, talis est excellentiae, ut ratione sui omnia unitatis vincula, quibus vel physicum vel morale corpus copuletur, in immensum prorsus evincat. Hoc est, ut supra diximus, aliquid

[115] *I Cor.*, III, 23; Pius XI, *Divini Redemptoris*: *A. A. S.*, 1937, p. 80.

non naturalis, sed superni ordinis, immo in semet ipso infinitum omnino atque increatum: Divinus nempe Spiritus, qui, ut ait Angelicus, « unus et idem numero, totam Ecclesiam replet et unit » [116].

61. Recta igitur vocis huius significatio in mentem revocat, Ecclesiam, quae perfecta genere suo societas haberi debet, non ex socialibus solummodo ac iuridicis elementis rationibusque constare. Ea nimirum longe praestantior est quam quaelibet aliae hominum communitates [117]; quibus quidem sic antecellit, ut gratia naturam exsuperat, rebusque caducis omnibus immortalia sunt praestabiliora [118]. Id genus communitates, imprimisque Civilis Societas, utique non spernendae sunt, nec parvi habendae; verumtamen in earum rerum ordine non tota Ecclesia est, sicut in mortalis corporis nostri concretione, non totus homo [119]. Quamvis enim iuridicae rationes, quibus Ecclesia etiam innititur atque componitur, ex divina oriantur a Christo data constitutione, ad supernumque finem assequendum conferant, id tamen, quo christiana societas ad gradum evehitur, qui omnem naturae ordinem prorsus evincit, Redemptoris nostri Spiritus est, qui ceu fons gratiarum, donorum, ac charismatum omnium, perpetuo et intime Ecclesiam replet et in ea operatur. Siquidem, quemadmodum mortalis nostri corporis compages mirificum utique est Creatoris opus, sed quam longissime distat ab excelsa animi nostri dignitate: sic socialis christianae reipublicae structura, quamvis divini Architecti sui sapientiam praedicet, aliquid tamen inferioris omnino ordinis est, ubi cum spiritualibus donis comparatur, quibus eadem ornatur ac vivit, cum eorumque divino fonte.

3) *Et indicantur invisibilis S. Sancti missio ac iuridicum Pastorum doctorumque munus.*

62. Ex iis, quae adhuc, Venerabiles Fratres, vobis scribendo explanandoque persecuti sumus, omnino patet gravi eos in errore versari, qui ad arbitrium suum quasi latentem minimeque conspicuam fingant Ecclesiam; itemque qui eam perinde habeant atque institutum quoddam humanum cum certa quadam disciplinae temperatione externisque ritibus, at sine supernae vitae communicatione [120]. Dum contra, sicut Christus Ecclesiae Caput et exemplar, « non omnis est, si in eo vel hu-

---

[116] *De Veritate*, q. 29, a. 4, c.
[117] Cf. Leo XIII, *Sapientiae christianae*: *A. S. S.*, XXII, p. 392.
[118] Cf. Leo XIII, *Satis cognitum*: *A. S. S.*, XXVIII, p. 724.
[119] Cf. *Ibidem*, p. 710.
[120] Cf. *Ibidem*, p. 710.

mana dumtaxat spectetur natura visibilis..., vel divina tantummodo natura invisibilis..., sed unus est ex utraque et in utraque natura...: sic Corpus eius mysticum »[121], quandoquidem Dei Verbum humanam naturam assumpsit doloribus obnoxiam, ut adspectabili societate condita et divino sanguine consecrata, « per visibilem gubernationem ad invisibilia homo revocaretur »[122].

63. Quapropter funestum etiam eorum errorem dolemus atque improbamus, qui commenticiam Ecclesiam sibi somniant, utpote societatem quandam caritate alitam ac formatam, cui quidem — non sine despicientia — aliam opponunt, quam iuridicam vocant. At perperam omnino eiusmodi distinctionem inducunt: non enim intellegunt divinum Redemptorem eadem ipsa de causa conditum ab se hominum coetum, perfectam voluisse genere suo societatem constitutam, ac iuridicis omnibus socialibusque elementis instructam, ut nempe salutiferum Redemptionis opus hisce in terris perennaret[123]; et ad eundem finem assequendum caelestibus eam voluisse donis ac muneribus a Paraclito Spiritu ditatam. Eam utique Aeternus Pater voluit « regnum Filii dilectionis suae »[124]; attamen reapse regnum, in quo nimirum credentes omnes plenum praestarent intellectus voluntatisque suae obsequium[125], ac demisso obedientique animo ei sese conformarent, qui pro nobis « factus est obediens usque ad mortem »[126]. Nulla igitur veri nominis oppositio vel repugnantia haberi potest inter invisibilem, quam vocant, Spiritus Sancti missionem, ac iuridicum Pastorum Doctorumque a Christo acceptum munus; quippe quae, — ut in nobis corpus animusque — se invicem compleant ac perficiant, et ab uno eodemque Servatore nostro procedant, qui non modo divinum afflando halitum dixit: « Accipite Spiritum Sanctum »[127], sed etiam clara voce imperavit: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos »[128]; itemque: « Qui vos audit, me audit »[129].

64. Quodsi in Ecclesia aliquid cernitur, quod humanae arguit conditionis nostrae infirmitatem, id quidem non iuridicae est eius constitutioni attribuendum, sed lamentabili potius singu-

---

121 Cf. *Ibidem*, p. 710.
122 S. Thomas, *De veritate*, q. 29, a. 4, ad 3.
123 Conc. Vat., Sess. IV, *Const. dogm. de Eccl.*, prol.
124 *Col.*, I, 13.
125 Conc. Vat., Sess. III, *Const. de fide cath.*, cap. 3.
126 *Philipp.*, II, 8.
127 Ioann, XX, 22.
128 Ioann., XX, 21.
129 Luc., X, 16.

lorum ad malum proclivitati, quam idcirco divinus eius Conditor in altioribus etiam mystici sui Corporis membris esse patitur, ut et ovium Pastorumque virtus comprobetur, et in omnibus increscant christianae fidei promerita. Christus enim, ut supra diximus, ex constituto a se coetu seclusos noluit peccatores; si igitur nonnulla membra spiritualibus morbis laborant, non est cur erga Ecclesiam nostrum minuamus amorem, sed cur potius erga eius membra pietatem adaugeamus.

65. Utique absque ulla labe refulget pia Mater in sacramentis, quibus filios procreat et alit; in fide, quam nullo non tempore intaminatam servat; in legibus sanctissimis, quibus omnes iubet, consiliisque evangelicis quibus admonet; in caelestibus denique donis et charismatis, per quae innumera parit, inexhausta sua fecunditate [130], martyrum, virginum confessorumque agmina. Attamen eidem vitio verti nequit, si quaedam membra vel infirma vel saucia languescant, quorum nomine cotidie ipsa Deum deprecatur: « Dimitte nobis debita nostra », quorumque spirituali curae, nulla interposita mora, materno fortique animo incumbit.

66. Cum igitur « mysticum » Iesu Christi Corpus nuncupamus, per ipsam huius vocis significationem gravissime admonemur. Quae quidem monita in hisce S. Leonis verbis quodammodo resonant: « Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam, et divinae consors factus naturae, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cuius Capitis et cuius Corporis sis membrum » [131].

Unio fidelium cum Christo efficitur:

67. Placet in praesens, Venerabiles Fratres, peculiarissimo modo verba facere de nostra cum Christo in Ecclesiae Corpore coniunctione, quae si — ut iure meritoque Augustinus ait [132] — res grandis est, arcana atque divina, hac eadem tamen de causa saepenumero contingit, ut a nonnullis perperam intellegatur atque explicetur. Imprimis patet eam arctissimam esse: nam in Sacris Litteris non modo casti connubii vinculo adsimulatur, et cum vitali palmitum vitisque unitate, nostrique corporis compagine comparatur [133]; sed etiam tam intima exhibetur, ut

---

[130] Cf. Conc. Vat., Sess. III, *Const. de fide cath.*, cap. 3.
[131] *Serm.*, XXI, 3: Migne, *P. L.*, LIV, 192-193.
[132] Cf. August., *Contra Faust.*, 21, 8: Migne, *P. L.*, XLII. 392.
[133] Cf. *Eph.*, V. 22-23; Ioann., XV, 1-5; *Eph.*, IV, 16.

secundum illud Apostoli: « Ipse (Christus) est Caput Corporis Ecclesiae » — [134] perantiqua perpetuoque a Patribus tradita documenta doceant, divinum Redemptorem cum suo sociali Corpore unam dumtaxat constituere mysticam personam, seu ut Augustinus ait: Christum totum [135]. Quin immo ipse Servator noster in sacerdotali sua oratione eiusmodi coagmentationem cum miranda illa unitate, qua Filius est in Patre et Pater in Filio, conferre non dubitavit [136].

1) *Per vincula iuridica et socialia*

68. Nostra autem, quae in Christo est et cum Christo compages, primo loco ex eo constat, quod cum christiana respublica ex Conditoris sui voluntate sociale exsistat perfectumque Corpus, idcirco in ea copulatio insit oportet membrorum omnium ob eorum in eundem finem conspirationem. Quo autem nobilior est finis, ad quem haec conspiratio contendit, quo divinior est fons ex quo eadem procedit, eo excelsior procul dubio evadit unitas. Iam vero altissimus finis est: continuata nempe ipsius Corporis membrorum sanctificatio in gloriam Dei et Agni, qui occisus est [137]. Fons autem divinissimus: non modo scilicet Aeterni Patris placitum, studiosaque Servatoris nostri voluntas, sed internus etiam Sancti Spiritus in mentes animosque nostros afflatus atque appulsus. Si enim ne minimus quidem actus, qui ad salutem conducat elici potest, nisi in Spiritu Sancto, quomodo possunt innumerae cuiusvis gentis, cuiusvis stirpis multitudines in supremam unius trinique Numinis gloriam communi consilio conspirare, nisi ex illius virtute, qui a Patre Filioque uno aeternoque efflatur amore ?

69. Quoniam vero, ut supra diximus, sociale eiusmodi Christi Corpus ex Conditoris sui voluntate adspectabile esse debet, conspiratio illa membrorum omnium extrinsecus etiam sese manifestet opus est, cum per eiusdem fidei professionem, tum per eorundem communionem sacrorum, per eiusdemque participationem sacrificii, tum denique per actuosam earundem legum observantiam. Idque praeterea omnino necessarium est, ut in oculis omnium conspicuum adsit supremum Caput, a quo mutua invicem adiutrix omnium opera ad propositum assequen-

[134] *Col.*, I, 18.
[135] Cf. *Enarr. in Ps.*, XVII, 51 et XC, II, 51 et XC, II, 1: Migne, *P. L.*, XXXVI, 154 et XXXVII, 1159.
[136] Ioann., XVII, 21-23.
[137] *Apoc.*, V. 12-13.

dum finem efficienter dirigatur: Iesu Christi dicimus in terris Vicarium. Quemadmodum enim divinus Redemptor Paraclitum misit veritatis Spiritum, qui suas partes agens [138], arcanam sumeret Ecclesiae gubernationem, ita Petro eiusque Successoribus mandavit, ut suam in terris gerentes personam perspicibilem quoque christianae reipublicae moderationem agerent.

2) *Per virtutes theologicas*

70. Iuridicis autem hisce vinculis, quae iam ratione sui sufficiunt, ut cuiusvis alius, etsi supremae, humanae societatis nexus longe exsuperentur, alia necesse est accedat unitatis ratio ob tres illas virtutes, quibus nos inter et cum Deo arctissime copulamur: christianam inquimus fidem, spem caritatemque.

71. Siquidem « unus Dominus, ut admonet Apostolus, una fides » [139] ea nimirum fides, qua uni Deo adhaeremus et ei, quem misit, Iesu Christo [140]. Quam intime vero hac fide obstringamur Deo, verba discipuli docent, quem Iesus peculiari modo diligebat: « Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet et ipse in Deo » [141]. Nec minus inter nos et cum divino Capite nostro christiana hac fide copulamur. Nam quotquot credentes sumus, « habentes ... eundem spiritum fidei » [142], eadem Christi luce collustramur, eodem Christi pabulo enutrimur, eademque Christi auctoritate et magistero regimur. Quodsi idem in omnibus fidei spiritus viresci, omnes quoque eandem vitam « in fide vivimus Filii Dei, qui dilexit nos et tradidit semet ipsum pro nobis » [143]; et Christus Caput nostrum vivida fide in nobis susceptus et habitans in cordibus nostris [144], sicut fidei nostrae est auctor, ita erit et consummator [145].

72. Sicut autem per fidem hisce in terris Deo ut veritatis fonti adhaeremus, ita eum per christianae spei virtutem appetimus ut fontem beatitatis, « exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei » [146]. Ob commune autem illud caelestis Regni desiderium, quo heic manentem civitatem habere

---

[138] Cf. Ioann., XIV, 16 et 26.
[139] *Eph.*, IV, 5.
[140] Cf. Ioann., XVII, 3.
[141] *I Ioann.*, IV, 15.
[142] *II Cor.*, IV, 13.
[143] Cf. *Gal.*, II, 20.
[144] Cf. *Eph.*, III, 17.
[145] Cf. *Hebr.*, XII, 2.
[146] *Tit.*, II, 13.

renuimus, sed futuram inquirimus[147], supernamque gloriam anhelamus, gentium Apostolus dicere non dubitavit: « Unum Corpus et unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae »[148]; immo Christus in nobis veluti spes gloriae residet[149].

73. At si fidei et spei nexus, quibus cum Divino Redemptore nostro in mystico eius Corpore iungimur, magnae sunt gravitatis maximique momenti, non minoris profecto gravitatis efficientiaeque sunt vincula caritatis. Namque, si etiam in rerum natura aliquid praestantissimum est amor, ex quo vera amicitia ducitur, quid de superno illo amore dicendum, qui ab ipso Deo in animos infunditur nostros? « Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo »[150]. Quae quidem caritas id efficit quasi ex constituta a Deo lege, ut in nos amantes eum redamantem descendere iubeat, secundum illud: « Si quis diligit me..., et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus »[151]. Caritas igitur omni alia virtute arctius nos coniungit cum Christo, cuius caelesti ardore inflammati, tot Ecclesiae filii gavisi sunt pro eo contumeliam pati, et ad supremum usque vitae halitum sanguinisque effusionem, quaelibet, etsi maxime ardua, obire atque evincere. Quapropter divinus Servator noster hisce verbis vehementer nos adhortatur: « Manete in dilectione mea ». Et quandoquidem caritas ieiuna res est ac prorsus vacua, si bonis operibus non panditur et quodammodo efficitur, ideirco haec continuo subiungit: « Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut et ego Patris mei praecepta servavi et maneo in eius dilectione »[152].

3) *Per caritatem in proximos*

74. Huic tamen erga Deum, erga Christum amori caritas in proximos respondeat oportet. Siquidem quomodo asseverare possumus divinum nos Redemptorem diligere, si eos oderimus, quos ipse ut mystici sui Corporis membra faceret, pretioso suo sanguine redemit? Quamobrem ita ille nos admonet, quem prae ceteris Christus dilexit Apostolus: « Si quis dixerit quoniam

147 Cf. *Hebr.*, XIII, 14.
148 *Eph.*, IV, 4.
149 Cf. *Col.*, I, 27.
150 *I Ioann.*, IV, 16.
151 Ioann., XIV, 23.
152 Ioann., XV, 9-10.

diligo Deum, et fratrem suum oderit; mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum »[153]. Immo id etiam est affirmandum, eo magis nos fore cum Deo, cum Christo coniunctos, quo magis futuri simus alter alterius membra[154], pro invicem sollicita[155]; sicut ex altera parte, eo magis nos fore inter nos cohaerentes caritateque copulatos, quo flagrantiore amore ad Deum divinumque Caput nostrum adstricti fuerimus.

INFINITA COGNITIO ET PERPETUUS AMOR CHRISTI

75. Nos autem Unigenitus Dei Filius, iam ante mundi exordium, aeterna infinitaque cognitione sua perpetuoque amore amplexus est. Quem quidem amorem, ut adspectabili ac miranda prorsus ratione patefaceret, nostram sibi in hypostaticam unitatem adiunxit naturam; qua fit — quod candida quadam simplicitate Maximus Taurinensis animadvertit — ut « in Christo caro nostra nos diligat »[156].

76. Eiusmodi vero amantissima cognitio, qua divinus Redemptor a primo Incarnationis suae momento nos prosecutus est, studiosam quamlibet humanae mentis vim exsuperat; quandoquidem per beatam illam visionem, qua vixdum in Deiparae sinu exceptus, fruebatur, omnia mystici Corporis membra continenter perpetuoque sibi praesentia habet, suoque complectitur salutifero amore. O mira erga nos divinae pietatis dignatio; o inaestimabilis ordo immensae caritatis! In praesepibus, in Cruce, in sempiterna Patris gloria omnia Ecclesiae membra Christus sibi conspecta sibique coniuncta habet longe clarius, longeque amantius, quam mater filium suum in gremio positum, quam quilibet semetipsum cognoscit ac diligit.

ECCLESIA PLENITUDO REDEMPTORIS

77. Ex hucusque allatis facile cernitur, Venerabiles Fratres, cur Paulus Apostolus tam frequenter scribat Christum esse in nobis, nosque esse in Christo. Quod quidem subtiliore quoque ratione comprobatur. Est nempe Christus in nobis, ut supra enucleate satis exposuimus, per Spiritum suum, quem nobiscum

---

153 *I Ioann.*, IV, 20-21.
154 *Rom.*, XII, 5.
155 *I Cor.*, XII, 25.
156 *Serm.* XXIX: MIGNE, *P. L.*, LVII, 594.

communicat, et per quem ita in nobis operatur, ut quaecumque divina a Spiritu Sancto in animis peraguntur, etiam a Christo ibi peracta dicantur oporteat [157]. « Si quis Spiritum Christi non habet, inquit Apostolus, hic non est eius: si autem Christus in vobis est ..., spiritus vivit propter iustificationem » [158].

78. Ex eadem autem Spiritus Christi communicatione efficitur, ut, cum omnia dona, virtutes et charismata, quae in Capite excellenter, uberrime efficienterque insunt, in omnia Ecclesiae membra deriventur, et in iis secundum locum quem in mystici Iesu Christi Corpore occupant, in dies perficiantur, Ecclesia veluti plenitudo constituatur et complementum Redemptoris; Christus vero quoad omnia in Ecclesia quodammodo adimpleatur [159]. Quibus quidem verbis ipsam attigimus rationem, cur, secundum Augustini placita, iam breviter indicata, Caput mysticum, quod Christus est, et Ecclesia, quae hisce in terris veluti alter Christus eius personam gerit, unum novum hominem constituant, quo in salutifero Crucis opere perpetuando caelum et terra iungantur: Christum dicimus Caput et Corpus, Christum totum.

Spiritus Sancti in animis inhabitatio

79. Profecto non sumus nescii, arcanae huic intellegendae explicandaeque doctrinae — quae circa nostram versatur cum Divino Redemptore coniunctionem, peculiarique modo circa Spiritus Sancti in animis inhabitationem — multa obstare velamina, quibus arcana eadem doctrina ob inquirentium mentis debilitatem quasi quadam caligine obvolvatur. At novimus etiam ex recta adsiduaque huius rei pervestigatione, atque ex variarum opinionum conflictu sententiarumque concursu, si modo veritatis amor ac debitum Ecclesiae obsequium eiusmodi inquisitionem dirigant, pretiosa scatere atque exsilire lumina, quibus in sacris quoque id genus disciplinis profectus reapse habeatur. Non eos igitur improbamus, qui diversas vias rationesque ingrediantur ad tam altum attingendum et pro viribus collustrandum mirandae huius nostrae cum Christo coniunctionis mysterium. Verumtamen id omnibus commune atque inconcussum esto, si a germana velint doctrina, a rectoque Ecclesiae magisterio non aberrare: omnem nempe reiciendum esse mysticae huius

---

[157] Cf. S. Thom., *Comm. in Ep. ad Eph.*, cap. II, lect. 5.
[158] *Rom.*, VIII, 9-10.
[159] Cf. S. Thom., *Comm. in Ep. ad Eph.*, cap. I, lect. 8.

coagmentationis modum, quo christifideles, quavis ratione ita creatarum rerum ordinem praetergrediantur, atque in divina perperam invadant, ut vel una sempiterni Numinis attributio de iisdem tamquam propria praedicari queat. Ac praeterea certissimum illud firma mente retineant, hisce in rebus omnia esse habenda Sanctissimae Trinitati communia, quatenus eadem Deum ut supremam efficientem causam respiciant.

80. Animadvertant quoque necesse est, hac in causa de occulto mysterio agi, quod in hoc terrestri exsilio, velamine quolibet detectum, omnino introspici, humanaque lingua significari numquam possit. Inhabitare quidem Divinae Personae dicuntur, quatenus in creatis animantibus intellectu praeditis imperscrutabili modo praesentes, ab iisdem per cognitionem et amorem attingantur [160], quadam tamen ratione omnem naturam transcendente, ac penitus intima et singulari. Ad quam quidem intuendam ut parumper saltem accedamus, non illa via ac ratio neglegenda est, quam Vaticana Synodus [161] in id genus rebus valde commendat; quae quidem ad hauriendam lucem contendens, qua Dei arcana paullisper saltem internoscantur, id assequitur, mysteria eadem inter se comparans et cum supremo fine, quo dirigantur. Opportune igitur sapientissimus Decessor Noster fel. rec. Leo XIII, cum de hac nostra cum Christo coniunctione deque Divino nos inhabitante Paraclito loqueretur, ad beatam illam visionem oculos convertit, qua aliquando in caelis haec eadem mystica copulatio consummationem suam perfectionemque consequetur. « Haec mira coniunctio, inquit, quae suo nomine inhabitatio dicitur, condicione tantum seu statu ab ea discrepat, qua caelites Deus beando complectitur » [162]. Qua quidem visione, modo prorsus ineffabili fas erit Patrem, Filium Divinumque Spiritum mentis oculis supremo lumine auctis contemplari, divinarum Personarum processionibus aeternum per aevum proxime adsistere, ac simillimo illi gaudio beari, quo beata est sanctissima et indivisa Trinitas.

Eucharisticum sacrificium ut symbolum unionis

81. Quae autem hactenus de arctissima hac mystici Iesu Christi Corporis cum Capite suo coniunctione proposuimus, imperfecta Nobis viderentur, si heic pauca saltem de Sanctis-

[160] Cf. S. Thom., I, q. 43, a. 3.
[161] Sess. III, *Const. de fid. cath.*, cap. 4.
[162] Cf. *Divinum illud*: *A. S. S.*, XXIX, p. 653.

sima Eucharistia non adiceremus, qua eiusmodi coniunctio hac in mortali vita velut ad culmen adducitur.

82. Voluit siquidem Christus Dominus ut haec miranda, ac numquam satis exornata laudibus coagmentatio, qua inter nos et cum divino Capite nostro iungimur, per Eucharisticum Sacrificium peculiari modo credentibus manifestaretur. In eo enim sacrorum administri non solum Servatoris nostri vices gerunt, sed totius etiam mystici Corporis singulorumque fidelium; itemque in eo christifideles ipsimet immaculatum Agnum, unius sacerdotis voce in altari praesentem constitutum, communibus votis precibusque consociati, per eiusdem sacerdotis manus Aeterno Patri porrigunt, gratissimam quidem laudis placationisque hostiam pro totius Ecclesiae necessitatibus. Et perinde ac divinus Redemptor, in Cruce moriens, semet ipsum, ut totius humani generis Caput, Aeterno Patri obtulit, ita idem «in hac oblatione munda» [163] non modo semet ipsum, ut Ecclesiae Caput, caelesti Patri offert, sed in semet ipso mystica etiam sua membra, quippe qui eadem omnia, debiliora quoque et infirmiora, in Corde suo amantissime includat.

83. Eucharistiae vero sacramentum, dum vivida et mira prorsus unitatis Ecclesiae imago exsistit, — quandoquidem consecrandus panis ex multis granis oriens in unum coalescit [164] — nobis ipsum supernae gratiae auctorem impertit, ut illum ex eo caritatis Spiritum hauriamus, quo non iam nostram, sed Christi vitam vivere iubeamur, et in omnibus socialis sui Corporis membris Redemptorem ipsum diligamus.

84. Si igitur in tristissimis, quibus hodie angimur, rerum adiunctis, plurimi habeantur, qui Christo Domino, Eucharisticis velis delitescenti, ita adhaereant, ut nec tribulatio, nec angustia, nec fames, nec nuditas, nec periculum, nec persecutio, nec gladius eos separare queant ab eius caritate [165], tum procul dubio sacra Synaxis, non sine providentis Dei consilio, postremis hisce temporibus in frequentiorem usum inde a pueritia restituta, illius fortitudinis fons evadere queat, quae haud raro christianos etiam heroas excitare ac fovere possit.

---

[163] Mal., I, 11.
[164] Cf. *Didache*, IX, 4.
[165] Cf. *Rom.*, VIII, 35.

ERRORES DEVITANDI

85. Haec sunt, Venerabiles Fratres, quae, si Christifideles pie ac recte intellegant diligenterque retineant, facilius ab illis etiam erroribus cavere possunt, qui ex difficilis huius causae investigatione, per arbitrium a quibusdam peracta, non sine magno catholicae fidei discrimine animorumque perturbatione scateant.

1) *Falsus unitatis conceptus*

Non enim desunt, qui haud satis considerantes Paulum Apostolum translata tantummodo verborum significatione hac in re fuisse locutum, nec peculiares ac proprias corporis physici, moralis, mystici significationes, ut omnino oportet, distinguentes, perversum aliquod inducunt unitatis commentum; quandoquidem divinum Redemptorem et Ecclesiae membra in physicam unam personam coire et coalescere iubent, et dum hominibus divina attribuunt, Christum Dominum erroribus humanaeque in malum proclivitati obnoxium faciunt. A qua quidem doctrinae fallacia quemadmodum catholica fides sanctorumque Patrum praecepta prorsus abhorrent, ita pariter gentium Apostoli mens ac sententia omnino refugit, qui, quamvis Christum eiusque mysticum Corpus mira inter se coagmentatione coniungat, alterum tamen alteri, ut Sponsum Sponsae opponit [166].

2) *Falsus quietismus.*

86. Nec minus a veritate aberrat periculosus eorum error, qui ex arcana omnium nostrum cum Christo coniunctione insanum quemdam, ut aiunt, *quietismum* deducere conantur; quo quidem spiritualis omnis Christianorum vita eorumque ad virtutem progressio Divini Spiritus actioni unice attribuuntur, ea nempe seclusa ac posthabita, quae a nobis eidem praestari debet, socia ac veluti adiutrice opera. Nemo profecto infitiari potest Sanctum Iesu Christi Spiritum unum esse fontem, ex quo superna omnis vis in Ecclesian in eiusque membra profluat. Etenim « gratiam et gloriam, ut Psaltes ait, dabit Dominus » [167]. Attamen, quod homines in sanctitatis operibus contanter perseverent, quod in gratia in virtuteque alacri animo proficiant,

[166] Cf. *Eph.*, V, 22-23.
[167] *Ps.*, LXXXIII, 12.

quod denique non modo ad christianae perfectionis apicem strenue contendant, sed ceteros quoque ad eam assequendam pro viribus excitent, haec omnia caelestis Spiritus operari non vult, nisi iidem homines cotidiana actuosaque navitate suas partes agant. « Non enim dormientibus, ait Ambrosius, divina beneficia, sed observantibus deferuntur » [168]. Namque, si in mortali nostro corpore haud intermissa exercitatione membra roborantur ac vigescunt, multo profecto magis id contingit in sociali Iesu Christi Corpore, in quo singula membra propria cuiusque libertate, conscientia agendique ratione fruuntur. Quam ob rem, qui dixit: « Vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus » [169]; idem asseverare non dubitavit: « Gratia eius (hoc est Dei) in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum » [170]. Omnino igitur perspicuum est fallacibus hisce doctrinis mysterium, de quo agimus, non in spiritualem christifidelium profectum, sed in eorum ruinam miserrime verti.

3) *Falsus ascetismus.*

a) *Minus aestimando frequentem confessionem venialium* - 87. Quod ex falsis etiam eorum placitis evenit, qui asseverant non tanti esse faciendam frequentem admissorum venialium, ut aiunt, confessionem, cum praestet potius generalis illa confessio, quam singulis diebus Sponsa Christi cum filiis suis sibi in Domino coniunctis, per sacerdotes faciat ad altare Dei accessuros. Pluribus utique modis, iisque summopere laudandis, ut probe nostis, Venerabiles Fratres, haec admissa expiari possunt; sed ad alacriorem cotidie per virtutis iter progressionem faciendam maxime commendatum volumus pium illum, non sine Spiritus Sancti instinctu ab Ecclesia inductum, crebrae confessionis usum, quo recta sui ipsius cognitio augetur, christiana crescit humilitas, morum eradicatur pravitas, spirituali neglegentiae torporique obsistitur, conscientia purificatur, roboratur voluntas, salutaris animorum moderatio procuratur, atque ipsius sacramenti vi augetur gratia. Ii igitur animadvertant, qui inter iuvenis cleri ordines frequentioris confessionis aestimationem minuant atque extenuent, rem se aggredi a Christi Spiritu alienam, ac mystico Servatoris nostri Corpori funestissimam.

---

[168] *Expos. Evang. sec. Luc.*, IV, 49: MIGNE, *P. L.*, XV, 1626.
[169] *Gal.*, II, 20.
[170] *I Cor.*, XV, 10.

b) *Parvi faciendo supplicationes privatim ad Deum factas* - 88. Sunt praeterea nonnulli, qui precibus nostris omnem veri nominis impetrandi vim denegant, vel qui in hominum mentes insinuare conantur supplicationes ad Deum privatim admotas parvi esse faciendas, cum publicae potius, Ecclesiae nomine adhibitae, reapse valeant, quippe quae a mystico proficiscantur Iesu Christi Corpore. Perperam id quidem: nam divinus Redemptor non modo Ecclesiam suam, utpote Sponsam dilectissimam, sibi coniunctissimam habet, sed in eadem singulorum quoque fidelium animos, quibuscum percupit, postquam praesertim ad Eucharisticam mensam accesserint, quam intime colloqui. Et licet publica comprecatio, utpote ab ipsa Matre Ecclesia procedens, ob Sponsae Christi dignitatem prae qualibet alia excellat: attamen preces omnes, vel privatissime prolatae, nec dignitate nec virtute carent, et ad totius etiam mystici Corporis utilitatem, multopere conferunt; in quo quidem nihil bene, nihil recte a singulis membris perfici potest, quod per Sanctorum Communionem in universorum quoque salutem non redundet. Neque singuli homines prohibentur, ideirco quod huius Corporis sunt membra, quominus peculiares quoque gratias, vel ad praesentem vitam quod attinet, servata tamen divinae voluntati obtemperatione, sibimet ipsis petant: manent enim iidem sui iuris personae, et singularibus suis obnoxii necessitatibus [171]. Caelestium vero rerum meditationem quanti debeant facere omnes, non solummodo Ecclesiae documentis, sed omnium etiam sanctitate praestantium usu atque exemplo comprobatur.

c) *Reiciendo precationes ad Iesu Christi personam directas* - 89. Non desunt postremo, qui dicunt supplicationes nostras non ad ipsam Iesu Christi personam, sed ad Deum potius, vel ad aeternum Patrem per Christum esse dirigendas, cum Servator noster, prout mystici sui Corporis Caput, « mediator Dei et hominum » [172] solummodo sit habendus. Attamen id non solum Ecclesiae menti adversatur Christianorumque consuetudini, sed veritati etiam offendit. Christus enim, ut proprie accurateque loquamur, secundum utramque naturam una simul, totius Ecclesiae est Caput [173]; ac ceteroquin ipse sollemniter asseveravit: « Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam » [174]. Et quam-

171 Cf. S. Thom., II-II, q. 83, a. 5 et 6.
172 *I Tim.*, II, 5.
173 Cf. S. Thom., *De Veritate*, q. 29, a. 4, c.
174 Ioann., XIV, 14.

vis in Eucharistico praesertim Sacrificio — in quo Christus, cum sacerdos ipsemet et hostia sit, conciliatoris munere peculiari modo fungitur — orationes ad aeternum Patrem per Unigenitum suum plerumque admoveantur, nihilo secius non raro, ac vel in ipsa litatione, ad Divinum quoque Redemptorem preces adhibentur; quandoquidem Christianis omnibus cognitum clareque perspectum esse debet hominem Christum Iesum eundem esse Dei Filium, ipsumque Deum. Atque adeo, dum militans Ecclesia intaminatum Agnum sacratamque Hostiam adorat ac precatur, triumphantis videtur Ecclesiae voci quodammodo respondere, perpetuo canentis: « Sedenti in throno et Agno: benedictio et honor et gloria et potestas in saecula saeculorum » [175].

ECCLESIA AMANDA CARITATE INCENSA ET ACTUOSA.

90. Postquam, Venerabiles Fratres, in huius commentatione mysterii, quod arcanam omnium nostrum amplectitur cum Christo coniunctionem, ut universalis Ecclesiae Magister, mentes veritatis luce collustravimus, pastorali muneri nostro consentaneum ducimus animis quoque stimulos adicere ad mysticum eiusmodi Corpus incensa illa caritate adamandum, quae non modo cogitatione verbisque, sed debita etiam opera proferatur. Si enim Veteris Legis sectatores de terrestri Civitate sua haec cecinere: « Si oblitus fuero tui, Ierusalem, oblivioni detur dextera mea: adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui; si non proposuero Ierusalem in principio laetitiae meae » [176], quanto cum maiore gloria effusioreque gaudio idcirco nobis exsultandum est, quod Civitatem inhabitamus ex vivis et electis lapidibus exstructam in monte sancto, « ipso summo angulari lapide Christo Iesu » [177]. Siquidem nihil gloriosius, nihil nobilius, nihil profecto honorificentius cogitari potest, quam sanctam, catholicam, apostolicam Romanamque Ecclesiam participare, qua unius tam venerandi Corporis membra efficimur, ab uno dirigimur tam excelso Capite; ab uno perfundimur Divino Spiritu; una denique doctrina unoque Angelico Pane hoc in terreno exsilio enutrimur, eo usque dum tandem aliquando una sempiternaque in caelis beatitate fruamur.

91. Ne autem a tenebrarum angelo decipiamur, transfigurante se in angelum lucis[178], haec sit amoris nostri suprema lex,

---

[175] *Apoc.*, V, 13.
[176] *Ps.*, CXXXVI, 5-6.
[177] *Eph.*, II, 20; *I Petr.*, II, 4-5.
[178] Cf. *II Cor.*, XI, 14.

ut nempe Christi Sponsam, qualem eam Christus voluit suoque sanguine acquisivit, diligamus. Non modo igitur sacramenta, quibus Ecclesia pia Mater nos alit; non modo sollemnia, quibus nos solacio laetitiaque afficit, ac sacra cantica et liturgici ritus, quibus mentes nostras ad caelestia erigit, carissima nobis sint oportet, sed et sacramentalia, quae dicimus, atque varia illa pietatis exercitia, quibus eadem fidelium animos Spiritu Christi suaviter imbuit et consolatur. Nec solummodo officium nobis est maternam eius erga nos pietatem, ut filios addecet, rependere, sed acceptam etiam a Christo auctoritatem eius revereri, quae in captivitatem redigit intellectus nostros in obsequium Christi[179]; atque adeo eius legibus eiusque de moribus praeceptis, nonnumquam naturae nostrae a primaeva innocentia lapsae durioribus, obtemperare iubemur; itemque rebellans, quod gerimus, corpus voluntaria castigatione compescere; quin immo interdum a iucundis etiam rebus, neque iis noxiis, abstinere admonemur. Nec satis est mysticum hoc Corpus diligere, divino Capite caelestibusque dotibus insigne; sed actuoso etiam amore idem prosequi debemus, prouti in mortali manifestatur carne nostra, ex humanis nempe infirmisque elementis constans, etsi minus eadem nonnumquam ei loco congruunt, quem in venerando illo Corpore occupant.

In Ecclesia ipsum Christum videre debemus.

92. Ut autem solidus eiusmodi atque integer amor in animis resideat nostris, in diesque augeatur, assuescamus necesse est in Ecclesia ipsum Christum videre. Christus est enim, qui in Ecclesia sua vivit, qui per eam docet, regit, sanctitatemque impertit; Christus quoque est qui varie sese in variis suis socialibus membris manifestat. Ubi igitur vivido hoc fidei spiritu christifideles omnes vivere reapse conitentur, tum profecto non solum altiora mystici huius Corporis membra, eaque praesertim a quibus est ex divini Capitis mandato ratio aliquando reddenda de animabus nostris[180], honore debitoque obsequio prosequentur, sed ea etiam sibi cordi habebunt, erga quae Servator noster peculiarissimo amore affectus est: infirmos dicimus, saucios et aegrotos, qui vel naturali, vel superno medicamine indigent; pueros, quorum innocentia tam facile hodie periclitatur, quorumque animula ut cera effingitur; pauperes

[179] Cf. *II Cor.*, X, 5.
[180] Cf. *Hebr.*, XIII, 17.

denique, in quibus iuvandis ipsa Iesu Christi persona miseratione summa agnoscenda est.

93. Ut enim iure meritoque Apostolus admonet: « Multo magis quae videntur membra Corporis infirmiora esse, necessariora sunt; et quae putamus ignobiliora membra esse Corporis, his honorem abundantiorem circumdamus » [181]. Quam quidem gravissimam sententiam Nos in praesens, pro altissimi conscientia officii, quo obstringimur, iterandam reputamus, dum magno cum maerore cernimus corpore deformes, amentes patriisque morbis infectos, utpote molestum societatis onus, vita interdum privari; idque a quibusdam efferri quasi novum humanae progressionis inventum, communique utilitati maxime consentaneum. At quisnam cordatus non videat hoc non tantum naturali divinaeque legi [182], in omnium inscriptae, sed altioris etiam humanitatis sensibus acerrime adversari ? Horum igitur sanguis, qui sunt Redemptori nostro idcirco cariores, quod maiore sunt miseratione digni, « clamat ad Deum de terra » [183].

Christus exemplar amoris erga Ecclesiam

94. Ne autem sincera illa caritas, qua in Ecclesia eiusdemque membris Servatorem nostrum cernere debemus, pedetemptim languescat, valde opportunum est ipsum Iesum, veluti supremum erga Ecclesiam amoris exemplar, intueri.

1) *Amplitudine caritatis*

95. Et primum quidem huius amoris amplitudinem imitemur. Una profecto est Christi Sponsa, nempe Ecclesia; attamen divini Sponsi amor tam late patet, ut neminem excludens, universum hominum genus in sua Sponsa amplectatur. Hac scilicet de causa sanguinem suum Servator noster effudit, ut omnes homines, natione ac stirpe seiunctos, Deo reconciliaret in Cruce, eosdemque in unum Corpus coalescere iuberet. Verus igitur Ecclesiae amor postulat non solum ut in ipso Corpore simus alter alterius membra pro invicem sollicita [184], quae gloriante alio membro gaudeant, patienti compatiantur oporteat [185], sed etiam ut alios homines nobiscum nondum in Ecclesiae Corpore coniunctos, fratres agnoscamus Christi secundum carnem,

---

181. *I Cor.*, XII, 22-23.
182. Cf. *Decret. S. Officii*, 2 Dec. 1940: *A. A. S.*, 1940, p. 553.
183. Cf. *Gen.*, IV, 10.
184. Cf. *Rom.*, XII, 5; *I Cor.*, XII, 25.
185. Cf. *I Cor.*, XII, 26.

una nobiscum ad eandem aeternam salutem evocatos. Utique, prob dolor, hodie praesertim non desunt, qui simultatem, odium livoremque superbe iactent, veluti quiddam extollens atque efferens humanam dignitatem humanamque virtutem. Nos tamen, dum funestos huius doctrinae fructus dolentes cernimus, pacificum Regem nostrum sequamur, qui nos docuit non solum eos amare, qui non ex eadem gente, neque ex eadem stirpe sint orti [186], sed vel ipsos inimicos diligere [187]. Nos, suavissima Apostoli gentium sententia perfusis animis, cum eodem canamus quae sit longitudo, latitudo, sublimitas, profundum caritatis Christi [188]; quam quidem nec generis morumque diversitas diffringere, nec immensi oceani tractus imminuere, nec bella denique, vel iusta vel iniusta de causa suscepta, dissolvere possunt.

96. Gravissima hac hora, Venerabiles Fratres, qua tot dolores corpora lacerant maeroresque animos, ad hanc supernam caritatem excitari omnes oportet, ut collatis omnium bonorum viribus — eorum praesertim recordamur, qui cuiusvis generis consociationibus ad suppetias occurrendum dant operam — tam ingentibus animi corporisque necessitatibus mira pietatis misericordiaeque contentione subveniatur; atque adeo mystici Iesu Christi Corporis studiosa largitas et inexhausta fecunditas ubique gentium refulgeant.

2) *Actuosa eiusdem constantia.*

97. Quandoquidem autem caritatis amplitudini, qua Christus dilexit Ecclesiam, actuosa in eo respondet caritatis constantia, nos quoque omnes adsidua studiosaque voluntate mysticum Christi Corpus adamemus. Porro nulla assignari potest hora, qua Redemptor noster ab Incarnatione sua, cum primum Ecclesiae fundamentum posuit, usque ad mortalis vitae exitum, et fulgentibus sanctitudinis suae exemplis, et concionando, colloquendo, convocando, constituendoque, ad Ecclesiam aut formandam aut confirmandam, ad fatigationem usque, licet Dei Filius, non laboraverit. Cupimus igitur, ut omnes, quotquot Ecclesiam agnoscunt veluti matrem, sedulo perpendant, non modo sacrorum administris, iisque dumtaxat, qui Deo mancipati religiosae vitae se dederint, sed ceteris quoque mystici Iesu Christi Corporis membris, pro sua cuiusque parte, officium esse im-

[186] Cf. Luc., X, 33-37.
[187] Cf. Luc., VI, 27-35; Matth., V, 44-48.
[188] Cf. *Eph.*, III, 18.

pense diligenterque adlaborandi ad aedificationem et incrementum eiusdem Corporis. Quod ut peculiari modo animadvertant optamus quod ceteroquin laudabiliter faciunt — ii, qui in Catholicae Actionis agminibus militantes, sacrorum Antistitibus ac sacerdotibus in apostolatus munere adiutricem operam navant; iique etiam, qui in piis sodaliciis ad eundem finem auxiliariam opem praestant. Quam quidem eorum omnium sollertem navitatem, in praesentibus rerum condicionibus, summi esse momenti, maximaeque gravitatis, nemo est qui non videat.

98. Neque heic praeterire silentio possumus patres matresque familias, quibus Servator noster tenerrima sui mystici Corporis membra concredidit; enixe igitur eos ob Christi Ecclesiaeque amorem compellamus, ut sibi demandatae suboli cura diligentissima prospiciant; eamque ab insidiis omne genus, quibus tam facile hodie illaqueatur, praecavere iubeant.

3) *Piis supplicationibus.*

99. Peculiari autem modo Redemptor noster suum erga Ecclesiam flagrantissimum amorem piis ostendit supplicationibus, ad caelestem Patrem pro eadem admotis. Siquidem — ut haec solummodo in memoriam revocemus — omnes norunt, Venerabiles Fratres, eum, mox Crucis patibulum subiturum, incensissimas effudisse preces pro Petro [189], pro ceteris Apostolis [190], pro omnibus denique, qui per divini verbi praedicationem eidem essent credituri [191].

Oremus etiam nos: a) *pro Christifidelibus.* Quod quidem nos Christi exemplum imitantes, cotidie Dominum messis adprecemur, ut mittat operarios in messem suam [192]; ac cotidie omnium nostrum comprecatio ad caelestia evehatur omniaque commendet mystici Iesu Christi Corporis membra. Imprimisque sacrorum Antistites, quibus peculiaris cuique suae Dioecesis cura demandata est; ac sacerdotes dein religiososque viros ac mulieres, qui in sortem Dei vocati, cum apud suos, tum in exteris etiam ethnicorum regionibus divini Redemptoris Regnum tutantur, adaugent, provehunt. Nullius autem membri huius venerandi Corporis haec communis supplicatio obliviscatur; eosque praesertim reminiscatur, qui vel terrestris huius incolatus doloribus angustiisque premuntur, vel vita functi piaculari igne purificantur. Neque eos praetermitat, qui christianis praeceptis in-

[189] Cf. Luc., XXII, 32.
[190] Cf. Ioann., XVII, 9-19.
[191] Cf. Ioann., XVII, 20-23.
[192] Cf. Matth., IX, 38; Luc., X, 2.

struuntur, ut quam primum lustralis aquae lavacro expiari queant.

100. b) *Pro acatholicis.* Ac vehementer cupimus, ut eis quoque communes hae preces incensa caritate prospiciant, qui vel nondum Evangelii sint veritate collustrati, neque in securas Ecclesiae caulas ingressi; vel a Nobis, qui licet immerentes Iesu Christi personam hisce in terris sustinemus, ob miserum fidei unitatisque discidium seiuncti sint. Quam ob rem, divinam illam Servatoris nostri ad caelestem Patrem orationem geminemus: « Ut omnes unum sint, sicut, tu, Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus, quia tu me misisti » [193].

101. Hos etiam, qui ad adspectabilem non pertinent Catholicae Ecclesiae compagem, ut profecto nostis, Venerabiles Fratres, inde ab inito Pontificatu, supernae Nos commisimus tutelae supernoque regimini, sollemniter adseverantes nihil Nobis, Boni Pastoris exemplum sequentibus, magis cordi esse, quam ut vitam habeant et abundantius habeant [194]. Quam quidem sollemnem adseverationem Nostram per Encyclicas has Litteras, quibus « magni et gloriosi Corporis Christi » [195] laudes praedicavimus, imploratis totius Ecclesiae precibus, iterare cupimus, eos singulos universos amantissimo animo invitantes, ut internis divinae gratiae impulsionibus ultro libenterque concedentes, ab eo statu se eripere studeant, in quo de sempiterna cuiusque propria salute securi esse non possunt [196]; quandoquidem, etiamsi inscio quodam desiderio ac voto ad mysticum Redemptoris Corpus ordinentur, tot tamen tantisque caelestibus muneribus adiumentisque carent, quibus in Catholica solummodo Ecclesia frui licet. Ingrediantur igitur catholicam unitatem, et Nobiscum omnes in una Iesu Cristi Corporis compagine coniuncti, ad unum Caput in gloriosissimae dilectionis societate concurrant [197]. Numquam intermissis ad Spiritum dilectionis et veritatis precibus, eos Nos elatis apertisque manibus exspectamus, non tamquam alienam, sed propriam paternamque domum adituros.

102. At si cupimus non intermissam eiusmodi totius mystici Corporis comprecationem admoveri Deo, ut aberrantes omnes in unum Iesu Christi ovile quam primum ingrediantur, profitemur

---

[193] Ioann., XVII, 21.

[194] Cf. Litt. enc. *Summi Pontificatus*: *A. A. S.*, 1939, p. 419.

[195] Iren., *Adv. Haer.* IV, 33, 7: Migne, *P. G.*, VII, 1076.

[196] Cf. Pius IX, *Iam vos omnes*, 13 Sept. 1868, Act. Conc. Vat., *C. L.*, VII, 10.

[197] Cf. Gelas. I, *Epist. XIV*: Migne, *P. L.*, LIX, 89.

tamen omnino necessarium esse id sponte libenterque fieri, cum nemo credat nisi volens [198]. Quam ob rem si qui, non credentes, eo reapse compelluntur ut Ecclesiae aedificium intrent, ut ad altare accedant, sacramentaque suscipiant, ii procul dubio veri christifideles non fiunt [199]; fides enim sine qua « impossibile est placere Deo » [200] liberrimum esse debet « obsequium intellectus et voluntatis » [201]. Si igitur aliquando contingat ut, contra constantem Apostolicae huius Sedis doctrinam [202], ad amplexandam catholicam fidem aliquis adigatur invitus, id Nos facere non possumus quin, pro officii Nostri conscientia, reprobemus. At quoniam homines libera fruuntur voluntate, ac possunt etiam, animi perturbationibus pravisque cupidinibus impulsi, sua libertate abuti, idcirco necesse est, ut a Patre luminum per Spiritum dilecti Filii sui ad veritatem efficaciter pertrahantur. Quodsi multi adhuc, proh dolor, a catholica veritate aberrant, nec divinae adspiranti gratiae volentes concedunt, id non modo idcirco evenit, quod ipsimet [203], sed quod etiam christifideles preces hac de causa incensiores ad Deum non admovent. Quas quidem Nos ut omnes, erga Ecclesian amore flagrantes, ac divini Redemptoris exemplum secuti, continenter adhibeant, iterum atque iterum adhortamur.

103. c) *Pro moderatoribus populorum.* Idque etiam, in praesentibus potissimum rerum adiunctis, non tam opportunum quam necessarium esse videtur, ut nempe pro Regibus ac Principibus, pro iisque omnibus, qui populorum gubernacula moderantes, externa tutela sua Ecclesiae auxiliari queant, incensae fundantur preces, ut rebus recto ordine compositis, « opus iustitiae pax » [204], divina afflante caritate, fatigato humano generi, e teterrimis huius tempestatis fluctibus emergat, ac pia Mater Ecclesia quietam ac tranquillam vitam agere possit in omni pietate et castitate [205]. A Deo est efflagitandum, ut diligant sapientiam omnes, qui praesunt populis [206], ita quidem ut gravissima haec Sancti Spiritus sententia in eos numquam cadat: « In-

---

[198] Cf. Augustin., *In Ioann. Ev. tract.*, XXVI, 2: Migne, *P. L.*, XXX, 1607.

[199] Cf. Augustin., *Ibidem.*

[200] *Hebr.*, XI, 6.

[201] Conc. Vat., *Const. de fide cath.*, cap. 3.

[202] Cf. Leo XIII, *Immortale Dei*: *A. S. S.*, XVIII, pp. 174-175; *Cod. Iur. Can.*, c. 1351.

[203] Cf. Augustin., *Ibidem.*

[204] *Is.*, XXXII, 17.

[205] Cf. *I Tim.*, II, 2.

[206] Cf. *Sap.*, VI, 23.

terrogabit Altissimus opera vestra et cogitationes scrutabitur, quoniam, cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam; quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus; fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo, Reges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam et non excidatis »[207].

4) *Tolerantia dolorum*

104. Non modo autem impense laborando constanterque precando, Christus Dominus suum erga intaminatam Sponsam patefecit amorem, sed per dolores etiam angoresque suos, libenter pro ea amanterque toleratos. « Cum dilexisset suos ..., in finem dilexit eos »[208]. Ac non nisi sanguine suo Ecclesiam acquisivit[209]. Hisce igitur cruentis Regis nostri vestigiis, ut nostra salus in tuto collocanda postulat, volentes ingrediamur: « Si enim complantati sumus similitudini mortis eius, simul et resurrectionis erimus »[210] et « si commortui sumus, convivemus »[211]. Id postulat quoque tum Ecclesiae, tum earum etiam, quas eadem Christo procreat, animarum germana actuosaque caritas. Quamvis enim Servator noster per acerbos cruciatus acerbamque mortem infinitum prorsus gratiarum thesaurum Ecclesiae suae meruerit, harum tamen gratiarum munera, ex providentis Dei consilio, nobis per partes dumtaxat impertiuntur; earumque maior vel minor ubertas haud parum a nostris quoque pendet recte factis, quibus eiusmodi caelestium donorum imber, sponte a Deo datus, super hominum attrahatur animos. Qui quidem caelestium gratiarum imber uberrimus profecto erit, si non modo incensas adhibebimus ad Deum preces, Eucharisticum praesertim Sacrificium vel cotidie, si potest, pie participando, si non modo per christianae caritatis officia tot indigentium aegritudines relevare conabimur, sed si caducis etiam huius saeculi rebus non peritura bona praeoptabimus, itemque si mortale hoc corpus voluntaria affictatione cohibebimus, eidem illicita dene-

---

[207] *Ibidem*, VI, 4-10.
[208] Ioann., XIII, 1.
[209] Cf. *Act.*, XX, 28.
[210] *Rom*, VI, 5.
[211] *II Tim.*, II, 11.

gando atque aspera etiam imponendo et ardua; ac si denique praesentis huius vitae labores doloresque veluti e Dei manibus demisso animo suscipiemus. Ita enim, secundum Apostolum « adimplebimus ea, quae desunt passionum Christi, in carne nostra, pro Corpore eius, quod est Ecclesia »[212].

105. Quae dum scribimus, paene infinita, proh dolor, ante oculos Nostros obversatur miserorum multitudo, quibus dolenter inlacrimamur: infirmos dicimus, pauperes, artubus mutilos, in viduitate vel orbitate degentes, ac plurimos etiam ob proprias vel suorum acerbitates haud raro ad mortem usque oblanguescentes. Omnes igitur, qui quavis de causa in maestitia in angoreque iacent, paterno adhortamur animo, ut fidentes ad caelum respiciant, suasque aerumnas ei offerant, qui aliquando iisdem uberem est mercedem redditurus. Ac meminerint omnes non inanem esse dolorem suum, sed sibimet et Ecclesiae etiam esse admodum profuturum, si iidem, in hunc finem erecti, eum sint patienter toleraturi. Ad quod quidem propositum aptius efficiendum multum profecto multumque confert cotidiana sui ipsius Deo oblata devotio, quae membris in usu est piae illius sodalitatis, quam ab *orationis apostolatu* vocant; quam quidem sodalitatem utpote Deo gratissimam, Nobis cordi est heic summopere commendare.

106. Quodsi nullo non tempore ob animarum salutem procurandam, cum divini Redemptoris cruciatibus nostri sunt dolores consociandi, id hodie potissimum, Venerabiles Frates, omnibus officium esto, dum ingens belli conflagratio paene universum terrarum orbem incendit, ac tot mortes, tot miserias, tot aerumnas parit; itemque hodie peculiari modo omnibus officium esto sese a vitiis, ab illecebris saeculi ab effrenatisque corporis voluptatibus abstinere, atque ab ea etiam terrenarum rerum inanitate vanitateque, quae nihil ad animum christiano more excolendum, nihil ad caelum assequendum attineant. Ea potius mentibus nostris inculcanda sunt gravissima immortalis Decessoris Nostri Leonis Magni verba, adseverantis nos baptismate factos esse Crucifixi carnem[213]; ac pulcherrima illa S. Ambrosii precatio: « Porta me, Christe, in Cruce, quae salutaris errantibus est, in qua sola est requies fatigatis, in qua sola vivent, quicumque moriuntur »[214].

[212] Cfr. Col. I, 24.

[213] Cf. *Serm.* LXIII, 6; LXVI, 3: Migne, *P. L.*, LIV, 357 et 366.

[214] *In Ps. 118*, XXII, 30: Migne, *P. L.*, XV, 1521.

107. Antequam scribendi finem facimus, temperare Nobis non possumus quin iterum atque iterum adhortemur omnes, ut piam Matrem Ecclesiam studiosa actuosaque caritate diligant. Pro eius incolumitate ac felicioribus auctioribusque incrementis preces, labores angoresque nostros cotidie Aeterno Patri offeramus, si reapse universae hominum familiae, divino sanguine redemptae, nobis cordi est salus. Ac dum caelum coruscantibus infuscatur nubibus, magnaque discrimina in universum hominum consortium in ipsamque Ecclesiam ingruunt, nos nostraque omnia misericordiarum Patri committamus supplicantes: « Respice, quaesumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et Crucis subire tormentum »[215].

Deipara Virgo impetret omnibus veracem erga Ecclesiam amorem.

108. Efficiat, Venerabiles Fratres, haec Nostra paterna vota, quae vestra etiam profecto sunt, ac veracem erga Ecclesiam amorem omnibus impetret Deipara Virgo, cuius sanctissima anima fuit, magis quam ceterae una simul omnes a Deo creatae, divino Iesu Christi Spiritu repleta; quaeque consensit « loco totius humanae naturae », ut « quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei et humanam naturam » haberetur[216]. Ipsa fuit, quae Christum Dominum, iam in virgineo gremio suo Ecclesiae Capitis dignitate ornatum, mirando partu utpote caelestis omnis vitae fontem edidit; eumque recens natum, iis qui primum ex Iudeaeorum ethnicorumque gentibus adoraturi advenerant, Prophetam, Regem, Sacerdotemque porrexit. Ac praeterea Unigena eius, eius maternis precibus « in Cana Galileae » concedens, mirabile signum patravit, quo « crediderunt in eum discipuli eius »[217]. Ipsa fuit, quae vel propriae, vel hereditariae labis expers, arctissime semper cum Filio suo coniuncta, eundem in Golgotha, una cum maternorum iurium maternique amoris sui holocausto, nova veluti Eva, pro omnibus Adae filiis, miserando eius lapsu foedatis, Aeterno Patri obtulit; ita quidem, ut quae corpore erat nostri Capitis mater, spiritu facta esset ob novum etiam doloris gloriaeque titulum, eius membrorum omnium mater. Ipsa fuit, quae validissimis suis precibus impetravit, ut Divini Redemptoris Spiritus, iam in Cruce datus,

---

215 *Off. Maior. Hebd.*
216 S. Thom., III, q. 30, a. 1.
217 Ioann., II, 11.

recens ortae Ecclesiae prodigialibus muneribus Pentecostes die conferretur. Ipsa denique immensos dolores suos forti fidentique animo tolerando, magis quam Christifideles omnes, vera Regina martyrum, « adimplevit ea quae desunt passionum Christi ... pro Corpore eius, quod est Ecclesia »[218]; ac mysticum Christi Corpus, e scisso Corde Servatoris nostri natum[219], eadem materna cura impensaque caritate prosecuta est, qua in cunabulis puerulum Iesum lactentem refovit atque enutrivit.

109. Ipsa igitur, omnium membrorum Christi sanctissima Genitrix[220], cuius Cordi Immaculato omnes homines fidenter consecravimus, et quae nunc in caelo corporis animique gloria renidet, unaque simul cum Filio suo regnat, ab eo efflagitando contendat, ut uberrimi gratiarum rivuli ab excelso Capite in omnia mystici Corporis membra haud intermisso ordine deriventur; itemque praesentissimo patrocinio suo, sicut anteactis temporibus, ita in praesens Ecclesiam tueatur, eique atque universae hominum communitati tandem aliquando tranquilliora a Deo tempora impetret.

110. Qua Nos superna spe freti, caelestium gratiarum auspicem, peculiarisque Nostrae benevolentiae testem, vobis singulis universis, Venerabiles Fratres, ac gregibus unicuique vestrum concreditis, Apostolicam benedictionem effuso animo impertimus.

111. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIX mensis Iunii, in festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, anno MDCCCCXXXVIII, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. XII

---

[218] *Col.*, I, 24.
[219] Cf. *Off. Ss.mi Cordis* in hymno ad vesp.
[220] Cf. Pius X, *Ad diem illum*: *A. S. S.*, XXXVI, p. 453.

Annotationes

I. — Observationes generales.

Encyclica *Mystici Corporis*, licet luculente in fronte ostendat vestigia temporis quo orta est: denotat enim bellum internecivum universale (nn. 4, 5, 6, 96, 103, 106, 107); angustias et miserias turbarum (nn. 4, 42, 84, 96, 105); reditum ad paganismum et peccata recentiora revera clamantia ad Dominum (nn. 3, 93, 95); falsum mysticismum, quietismum, anticlericalismum (nn. 3, 9, 63, 64, 85, 86); persecutiones Ecclesiae (nn. 3, 42, 46, 84, 107); desiderium multorum unionis ecclesiasticae (nn. 3, 4, 5, 101); Petri Sedem centrum unionis et amoris (nn. 6, 95); continua studia R. Pontificis pro caelesti pacis dono (n. 6); anniversarium vigesimum quintum eius consecrationis episcopalis (nn. 6, 7); Actionem catholicam et laicorum in salutis opere collaborationem (nn. 8, 17, 43, 97, 104); dedicationem mundi universi Immaculato Cordi Beatae Virginis (n. 109), et quae sunt alia: nihilominus est documentum vicissitudines temporum vere transcendens. Est enim prae aliis *epistola dogmatica* (nn. 11, 90) in materia, quae multorum mentes occupat non solum filiorum Ecclesiae, sed etiam fratrum separatorum.

Constituit Encyclica reapse *tractatum* quendam de Ecclesia, prout Corpus Christi mysticum est in terris: qui tractatus omnes quidem fideles illuminare intendit, maxime autem in studiis sacris iam magis versatos. Quod quidem rationem in eo habet, quod circa spinosam huiusmodi materiam multiplices spargebantur atque sparguntur errores, quibus utpote animarum saluti haud parum nocivis, non magis condemnatione falsi, quam explanatione veri, penitus claudendus erat aditus (cf. nn. 8, 11, 85, 86).

Non tamen Encyclica in nuda doctrinae expositione vel erroris refutatione absolvitur. In singulis enim pagi-

nis — nec solum in finali exhortatione pastorali — sentitur et quodammodo vibratur pastoralis supremi Pastoris sollicitudo. Suis enim in locis, prout occasionem praebet ipsa dogmatica expositio, Pontifex ad Ecclesiae etiam hodiedum totiens ignoratae vel despectae animos devinciendos, in splendido fulgore ponit Corporis mystici caelestem pulchritudinem; alibi ad fideles ex huius aevi miseriis ad altiora erigendos, in eorundem mentes revocat divinam illam qua in Corpore Christi decorantur, supernam nobilitatem; alibi credentes cunctos, non minus laicos cuiusvis sexus, aetatis, status, quam clericos ac religiosos omnes, exstimulat ut in Corpore Christi ad eiusdem Corporis aedificationem strenue et indefesse collaborent; passim christianae pietati aperit fontem supernum ex quo adspirantes omnes ad maiorem perfectionem atque sanctitatem, salutare hauriant refrigerium.

* * *

Structura Encyclicae, etsi nonnumquam classicae dictionis latinae elegantia paulisper obtegatur, simplicissima est ac memoria retentu facillima. Post INTRODUCTIONEM, in qua panduntur scribendi rationes, PARS PRIMA versatur in exponenda metaphorica definitione « *Corpus Christi mysticum* » et consequenter in respondendo quaestionibus: 1°) cur Ecclesia dicatur Corpus (nn. 14-23); 2°) cur illud Corpus ob Dominum Fundatorem (nn. 25-32), Caput (nn. 33-50), Sustentatorem (nn. 51-56) ac Salvatorem (n.57) dicatur *Christi;* 3°) cur tandem illud Corpus Christi dicatur *mysticum* (nn. 58-66). PARS ALTERA tota est in evolvendis rationibus tam socialibus quam mysticis, *unionis fidelium cum Christo* ac problematibus annexis, inprimis « Christi mystici » et « Spiritus Christi inhabitantis » (nn. 67-84); PARS TERTIA post *errores refutatos* (nn. 85-89) exhortationem continet ad *amandam Ecclesiam* (nn. 90-107); quam paternam et ob temporum adiuncta nonnum-

quam commoventem allocutionem sequitur Epilogus de Beata Virgine, Ecclesiae Matre (nn. 108-109).

Ut Encyclicae structura facilius memoria retineatur, iuvat proponere lectoribus conspectum illum schematicum, qui communis est omnibus versionibus, iussu Pontificis e textu latino in linguas anglicam, gallicam, germanicam, hispanam, hungaricam, italicam, lusitanam, neerlandicam et polonam confectis, atque in Civitate Vaticana in lucem editis.

Prologus . . . . . nn. 1-11

Pars Prima: Ecclesia Corpus Christi mysticum . nn. 12-66

Ecclesia « Corpus » . . . . . nn. 14-23
unum, indivisum, visibile . . . . . nn. 14-15
organice hierarchice coniunctum . . . . . nn. 16-17
vitalibus sanctificationis mediis i. e. sacramentis instructum . . . . . nn. 18-20
constans determinatis membris . . . . . n. 21
non exclusis peccatoribus . . . . . nn. 22-23

Ecclesia Corpus « Christi » . . . . . nn. 24-57
Christus « Conditor » . . . . . nn. 25-32
a. praedicatione evangelica . . . . . n. 26
b. Crucis tormento . . . . . nn. 27-31
c. Ecclesiae promulgatione die Pentecostes . n. 32
Christus « Caput » Corporis . . . . . nn. 33-50
a. ratione excellentiae . . . . . n. 35
b. ratione gubernationis . . . . . nn. 36-42
modo visibili et extraordinario . . . n. 38
modo visibili et ordinario per R. P. . . . nn. 39-40
idem in singulis ecclesiis per Episcopos . nn. 41-42
c. ratione mutuae necessitatis . . . . . nn. 43-44
d. ratione conformitatis . . . . . nn. 45-46
e. ratione plenitudinis . . . . . n. 47
f. ratione influxus . . . . . nn. 48-50
illuminando . . . . . n. 49
sanctificando . . . . . n. 50
Christus « Sustentator » Corporis . . . . . nn. 51-56
a. missione iuridica . . . . . n. 53
b. communicatione Spiritus Christi . . . . nn. 53-54

c. qui Spiritus est anima Corporis Mystici . nn. 55-56
Christus « Salvator » Corporis . . . . . n. 57
Ecclesia Corpus Christi « mysticum » . . . . . nn. 58-66
Corpus mysticum et corpus physicum . . n. 59
Corpus mysticum et corpus mere morale . . nn. 60-61
Ecclesia iuris et Ecclesia caritatis . . . . . nn. 62-66
Pars Altera: Unio fidelium cum Christo . . . nn. 67-84
Vincula iuridica et socialia . . . . . nn. 68-69
Virtutes theologicae . . . . . nn. 70-73
Amor proximi . . . . . n. 74
Cognitio immensa et amor aeternus Christi . . nn. 75-76
Ecclesia plenitudo Christi . . . . . nn. 77-78
Inhabitatio Spiritus Sancti . . . . . nn. 79-80
Eucharistia symbolum unionis . . . . . nn. 81-84
Pars Tertia: Exhortatio pastoralis . . . . . nn. 85-107
Errores vitae asceticae . . . . . nn. 85-89
Falsus mysticismus . . . . . n. 85
Falsus quietismus . . . . . n. 86
Errores circa confessionem et orationem . . nn. 87-89
Exhortatio ad Ecclesiam amandam . . . . . nn. 90-107
Sit amor solidus . . . . . n. 91
quo videmus Christum in Ecclesia . . . . . nn. 92-93
Imitemur Christum amore prosequentem Ecclesiam . . . . . nn. 94-107
a. amplitudine caritatis . . . . . nn. 95-96
b. actuosa eiusdem assiduitate . . . . . nn. 97-98
c. continua oratione . . . . . nn. 99-103
pro membris Ecclesiae . . . . . n. 99
pro iis qui nondum sunt incorporati . . nn. 100-102
pro Regibus et Principibus . . . . . n. 103
d. adimplendo quae desunt passionum Christi nn. 104-107
Epilogus: De B. Maria Virgine . . . . . nn. 108-109

* * *

Consideranti attentius documentum, cuius conspectum modo proposuimus, clare apparent duo consilia: primum

continuandi viam indicatam a Leone XIII in Encyclicis tam *Satis Cognitum* 29 iun. 1896 quam *Divinum illud* 9 mai anni sequentis; alterum clare exponendi quid sibi velit illud Paulinum « nos esse in Christo Christumque in nobis », sicut et illud traditionale « nos in Christo et cum Christo constituere unam mysticam personam ». De utroque quaedam addere liceat.

Quod ad primum spectat: ubique in Encyclica praevalet haec idea: Unum atque unicum esse Corpus Christi, quod est Ecclesia. Quod si hoc Corpus consideretur secundum suas apparentias externas, illud esse corpus sociale; quod si idem consideretur ex parte Spiritus Christi in eo invisibiliter operantis, illud esse Corpus mysticum: sicut unus idemque homo respici queat, cum ut organismus materialis, tum prout facultatibus spiritualibus instructus. Inde nullam oppositionem existere inter iuridicam missionem Ecclesiae et dona caelestia Ecclesiae data in Cruce (n. 30 et 63); inter Ecclesiam acquisitam in Cruce et fundatam super Petrum (nn. 26, 32, 39); inter Caput visibile et Caput invisibile (n. 39); inter Ecclesiam iuris et Ecclesiam amoris (nn. 62-63); inter Paraclitum, Christi partes agentem, et Petrum, Christi vicarium (n. 69); inter vincula iuridica et vincula mystica unionis (nn. 63, 70-76); inter Corpus caelestibus dotibus insigne et humanis infirmisque elementis aegrotans (n. 91).

Dum autem Leo XIII Corpus Christi mysticum generatim magis prae oculis habet ut est Corpus sociale, Pius XII Corpus Christi sociale magis considerat ut est mysticum. Hac de causa Pius Papa latius evolvit nonnulla, quae a Leone potius erant tacta et indicata quam exposita et evoluta. Sic fuse enucleat quid sibi velit illud: *Christum esse Ecclesiae Caput* (nn. 33-50); sic per multa capita commentatur verba Decessoris: *Ecclesia, quae iam concepta, ex latere ipso secundi Adami, velut in Cruce dormientis, orta erat, sese in lucem hominum insigni modo primitus dedit*

die celeberrima Pentecostes (nn. 25-32); sic rationes profundiores indicat, quibus nitatur alia ista sententia Leonina: *Cum Christus Caput sit Ecclesiae, Spiritus Sanctus est eius anima* (nn. 54-55); sic in exponenda unione quae fideles inter et Christum exsistit, magis haeret in meditandis elementis mysticis quam in iuridicis ac socialibus (nn. 67-84).

Quae verba nos ducunt ad punctum alterum. Tota enim pars secunda Encyclicae est in ponderanda nostra unione cum Christo et in Christo, qua quodammodo constituimur cum Salvatore una persona mystica. In tota hac pericope clare apparet scopus praemuniendi fideles aeque contra falsum mysticismum atque contra falsum naturalismum hodiernum (cf. n. 9). Dum enim ex una parte statuitur in Corpore mystico praeter vincula iuridica et socialia etiam adesse vincula supernaturalia physica (nn. 71-73), immo vinculum physicum prorsus divinum ratione Spiritus Christi (nn. 55, 60, 77): ex altera parte clare docetur huius modi nexus physicos non constituere unionem substantialem, sed talem quae maneat in ordine unionis accidentalis (nn. 53, 79, 85). Inde in Encyclica non tantum clara expositio, effata Paulina « nos esse in Christo Christumque in nobis » non ita explicari posse ut ex Christo membrisque eius socialibus oriatur una persona physica; sed etiam positiva demonstratio haec verba Paulina intellegi debere ratione virtutum theologicarum et quod magis est ratione Spiritus Christi; ideoque societates naturales, etiam supremas ne e longinquo quidem cum Ecclesia comparari posse (nn. 60, 61, 68, 69, 70, 42).

Mira hac in re nonnumquam habetur fidelium habitudo. Audiunt v. g. personam physicam esse per se unum, mysticam autem personam per se plura, unum autem non nisi unione accidentali; et verbis prolatis nondum refrigeratis iam replicant: *Estne ergo Corpus mysticum non nisi metaphora?* Quod si respondes: *Ita, bene dixisti* (cf. n. 85), statim obgerunt: *Ideoque Corpus mysticum non alio modo*

est corpus quam status civilis ? Quod prorsus est negandum: metaphora enim corporis et capitis et animae incomparabiliter arctius verificatur in Corpore sociali Christi, quam in societatibus naturalibus, etiamsi in suo genere perfectis (nn. 41, 60, 61, 68, 69, 70).

Quod si bene animum intendis, observabis in Encyclica harmonice iungi duos conceptus traditionales, videlicet ipsam Ecclesiam in se spectatam constituere quasi alteram Christi personam, et eandem Ecclesiam efformare novam personam mysticam, prout Capiti suo adiungitur. Tota doctrina potest quodammodo hisce verbis comprehendi: Christus mysticus terrestris (Ecclesia) cum Capite suo, Christo glorificato in caelis, efformat Christum mysticum totum: Caput et Corpus (cf. nn. 52, 53, 67, 78, 92). Vocatur autem terrestris Ecclesia quasi «altera Christi persona», vel ut generatim dicitur «Christus mysticus»: 1°) ratione iuridicae missionis, qua nomine Christi opus Redemptoris perenne reddit (nn. 17, 46, 63, 92); 2°) ratione Spiritus Christi, quo continuo quasi vitam sui Conditoris vivit et in sese exprimit (nn. 52, 53, 56, 77, 78, 83); 3°) ratione mirae illius conformitatis, qua tam in membris quam in toto imaginem Domini repraesentat (nn. 17, 46, 51, 53, 92). Inde in Encyclica passim parallelismus quidam describitur inter Christum et Ecclesiam (nn. 3, 12, 30, 32, 43, 46, 57, 59, 62, 67, 108).

* * *

Negari nequit in Encyclica plura inesse quae peculiari modo cordi sunt *Periodicis* nostris, quae agunt de re *morali*, de re *canonica*, de re *liturgica*. In specie noto quae habentur:

nn. 2, 4, 104, 105, 106, 108 de valore passionis. - nn. 12, 43, 57, 102, 104 de tremendo mysterio collaborationis nostrae cum Christo in distribuendis gratiis. - nn. 91, 104, 106 de necessitate mortificationis et abnegationis. - n. 86 de falso quietismo hodierno - n. 105 de cotidiana obla-

tione sui. - n. 88 de vi impetrandi orationis. - n. 87 de confessione frequenti venialium. - n. 88 de excellentia meditationis. - n. 93 de amentium occisione. - n. 95 de praedicatione odii. - n. 18 de functione sociali sacramentorum. - n. 18 de gratia sacramentali confirmationis. - n. 19 de fine matrimonii et de sponsis, ministris gratiae. - n. 76 de modo quo Christus in praesepio, horto, Cruce membra Ecclesiae praesentia habuit. - nn. 108-109 de habitudine B. Virginis ad Ecclesiam.

nn. 25-32 de inchoatione, consummatione, proclamatione aedificii Ecclesiae. - nn. 17, 46 de structura sociali Ecclesiae, in qua non solum hierarchia, sed etiam consilia evangelica, matrimonium, Actio Catholica, opera caritativa tam corporalia quam spiritualia suum locum habent. - nn. 17, 43, 98 de parentibus. - n. 17 de patrinis et matrinis. - nn. 8, 17, 97 de Actione Catholica. - nn. 17, 38 de charismaticis. - nn. 21, 22, 101 de membris Ecclesiae. - nn. 22, 23, 64 de peccatoribus membris. - n. 41 de Episcopis residentialibus gregem pascentibus nomine Christi. - n. 41 de origine iurisdictionis episcopalis. - nn. 39, 40 de relatione Capitis invisibilis et visibilis. - n. 102 de non cogendis invitis ad amplexandam fidem. - nn. 59, 60 de differentia intercedente inter corpus physicum, mere morale, mysticum.

n. 82 de sic dicta cooblatione fidelium. - n. 88 de oratione publica et privata. - n. 89 de oratione ad Christum et per Christum. - n. 88 de gratiarum actione post S. Communionem.

* * *

Nolo huic introductioni generali de Encyclica *Mystici Corporis*, quae certe huiusmodi est, ut tum apud Orientales separatos, tum apud multos acatholicos qui laborant pro unione ecclesiastica omnium Christianorum, multa praeiudicia definitive tollat, finem imponere, quin pauca addiderim de indole ut ita dicam *traditionali* huius venerandi documenti. In proponendis enim singulis iis doc-

trinae capitibus, quorum idea Corporis Christi est metaphorica synthesis: de organica Ecclesiae contemperatione, de Ecclesiae ortu in Cruce, de Christo Capite et Sustentatore, de Spiritu Christi et Corporis mystici anima aliisque eius generis: Encyclica non solum statuit et exponit rectam doctrinam, sed simul quasi continuo demonstrat quomodo omnia et singula contineantur in sacro fidei deposito: in sacra Scriptura, in sacra quoque Traditione, quam Ecclesia ex Christi ore vel Spiritus Sancti illuminatione ope Apostolorum accepit. Quod ut clarius in luce ponerem, Romae apud Pontificiam Universitatem Gregorianam in serie theologica opusculorum TEXTUS ET DOCUMENTA Encyclicam edendam curavi una cum documentis multiplicibus, quae utilia esse possunt ad Encyclicam in luce traditionis ecclesiasticae melius intellegendam atque fructuosius explanandam. Quod ad opusculum lectorem benevolum remitto [1].

II. — Notae ad singulas paragraphos.

1. Doctrina Corporis mystici continetur tum in verbis Christi de vite et palmitibus, *Ioh.* 15, 1-11; tum in verbis quibus alloquitur Saulum *Act.* 9,4; 22,7; 26.14: *Saule, Saule, quid me persequeris* ? intellectis in luce traditionis patristicae.

6. Pius Papa XII consecratus est Episcopus a Benedicto XV in sacello Sixtino die 13 mai 1917, in die igitur primae apparitionis B. M. V. Fatimae in Lusitania.

7. Quod ad cultum SS. Cordis vide P. Arnoldo, *De imitatione sacri Cordis*, Einsidlae 1864, lib. IV cap. 5-7; H. Ramière, *L'Apostolat de la prière*, ed. 5, Le Puy 1865, part. I cap. 3, art. 1-3 et part. II cap. 3, art. 1-6. - De Actione

[1] Seb. Tromp S. I. *Litterae Encyclicae n.* 2: *Pius Papa* XII *de mystico Iesu Christi Corpore*: « Textus et Documenta »: ser. theol. 26, Romae 1943. - Pag. 5-66 *Encyclica;* pag. 67-125 *Documenta.*

Catholica vide Pii X, *Il fermo proposito*, 11 iun. 1905: *ASS* 37 (1905) 741-742 et Pii XI *Firmissimam constantiam*: *AAS* 29 (1937) 191, quibus in locis ponitur fundamentum generale. Dein vide quae nos scripsimus in *Periodica* 25 (1936) 1*-38*: *Actio Catholica in Corpore Christi* et 26 (1937) 330-338: *Annotat. ad Enc.* « Firmissimam Constantiam », ubi de Corpore Christi sacerdotali. Vide n. 17.

9. De falso mysticismo plura infra ad § 85.

10. Nota quomodo appareat in Encyclica reverentia mysterii. Vide §§ 67, 79, 80, 90.

11. Ex hac paragrapho sicut etiam ex § 90 clare procedit hanc Encyclicam prae aliis esse documentum dogmaticum.

17. Haec paragraphus ad intelligendam structuram organicam Corporis socialis Christi est summi momenti. In ea apparet, quomodo conceptus Actionis Catholicae iuverit ad ideam Corporis Mystici perpoliendam. - De patrinis et matrinis vide *Periodica* 27 (1938) 410-419.

Distinguas quoque charismaticos ob dona miraculosa (*Marc.* 16, 17-18; *Luc.* 24, 49, *Act.* 2, 4-11; 10, 44-46; 1 *Cor.* 12, 4-11) a charismaticis ob dona ordinaria gratis data in bonum Ecclesiae. Etiam episcopi et sacerdotes (1 *Tim.* 4, 14 et 2 *Tim.* 1, 6), doctores, praedicatores, praesules, operibus misericordiae dediti (*Rom.* 12, 6-8), virgines et continentes sicut et matrimonio iuncti (1 *Cor.* 7, 7), secundum locum et officium, quod in Corpore Christi occupant, proprium suum *charisma* habent. Pulchre 1 *Petr.* 4, 10-11.

18. In hac paragrapho, sicut etiam in sequenti, considerantur sacramenta prout per ea *socialibus* necessitatibus Corporis mystici providetur. Alia supponuntur.

21. Nota in initio paragraphi vocem *reapse*: agitur enim hoc loco de iis, qui *re* pertinent ad Ecclesiam; de iis autem, qui *voto* ad Ecclesiam ordinantur, vide infra § 101. - Attendas etiam ad verba *ob gravissima admissa a legitima auctoritate seiuncti sunt*. Res igitur est de tali excommunicatione, qua homo non solummodo quoad quae-

dam officia et iura, sed totaliter a Corpore Ecclesiae separatur: cf. textum citatum *Matth.* 18, 17 collatis 1 *Cor.* 8, 5 et 13 (vide graecum !). Haec notanda sunt, quia separatio a communione admittit varios gradus, et vox *excommunicatio* in fontibus non semper eodem sensu adhibetur. Res clara est, ubi verba adhibentur, ut v. g. Benedicti VIII, *Liquidum est* anni 1018: *B. R. T.* I 534: *Contemptores ... cauterio ecclesiastici examinis quasi putrida membra a Corpore Christi praecidantur*, et alia similia, quae passim in Bullis inveniuntur.

22. Quod si peccatores dicuntur membra *mortua*, hoc significat *caritate mortua;* retinent enim fidem et spem. Nota quoque conceptum *duplicis iustitiae* et *duplicis vivificationis*, de quo in erroribus damnatis Baii: *Denzinger* 1063 et 1064. S. Augustinus haud raro dicit id esse in Corpore Christi *caritatem*, quod in corpore hominis sit *sanitas*. - Etiam in membra, quae peccato amisere gratiam, Christus non desinit *influere sensum et motum*. Cf. infra § 48.

23. Nota in verbis citatis ex S. Augustino, paenitentiam sacramentalem non dari nisi in Corpore Ecclesiae. Et haec est ratio cur in formula Absolutionis Sacramentalis communi praecedat absolutio a vinculo excommunicationis. Vide etiam *Cod. iur. can.* 2314 § 2.

26. Ante mortem suam Christus mystici templi aedificationem inchoat, quatenus condit elementa varia socialia Ecclesiae mox nasciturae. Tradit Apostolis doctrinam, quam audierat a Patre; mittit Apostolos doctores et rectores; mittit eos sanctificatores; instituit primatum; instituit sacramenta quae per excellentiam sunt sacramenta Corporis mystici: Baptismum et Eucharistiam. - Quod ad missionem Apostolorum, nota primam missionem apostolicam, de qua *Matth.* 10, 14-15; *Marc.* 6,10-13; *Luc.* 9, 2-6 et 10,2-16; *Ioh.* 3,22 et 4,1-2 limitatam fuisse ad populum iudaicum, haud aliter ac ipsam Domini praedicationem terrestrem, cf. *Matth.* 10,5-6 coll. 15,24. De illa missione

prima Apostolorum, quae ut obiectum praedicandum habuit Regnum Dei, valet illud *Luc.* 10,16: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Missio autem prima apostolica stricte sacerdotalis facta est in Coena ultima verbis *Luc.* 22,19 et 1 *Cor.* 11,24: *Hoc facite in meam commemorationem.* Omnia simul Dominus comprehendit *Ioh.* 17,18: *Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum.* - Quod ad Primatum Petri distingue *institutionem muneris* et *investituram personae,* seu institutionem *Primatus Petri* et institutionem *Petri Primatis.* Institutio muneris mihi haberi videtur, quando Petro primatus promittitur *Matth.* 16, 18; sicut expressis verbis infallibile magisterium institutum censeo *Luc.* 22, 32 ante passionem, cf. *Denzinger,* 1836. - De Baptismatis institutione vide Aquinatis *S. Theol.* III q. 66, a. 2 et Bellarminum, *De Baptismo* I 5.

27. Verba « opus autem suum in Crucis patibulo consummasse » clare alludunt ad *Ioh.* 17, 4-19: *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam ... Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi ... Servabam eos in nomine tuo ... Dedi eis sermonem tuum ... Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum ... Pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint et ipsi sanctificati in veritate.* Vox autem *consummavi* dicta est ex persona Christi morientis, cf. *Ioh.* 19, 28 et 30. Iure merito Angelicus, *Comm. in Ioh.* cap. 17, lect. 1, n. 4: « Opus *consummavi.* Utitur praeterito pro futuro, scilicet ... *consummavi* id est *consummabo;* et hoc, quia iam inchoatum erat, et iterum, quia imminebat hora passionis, quando hoc opus consummatum est ». - Traditionem patristicam vide in opusculo, de quo in fine observationum generalium, supra pag. 385 not. 1.

28-30. In his paragraphis exponitur cur Ecclesia, ut Mater fidelium est et cum suo Sponso tamquam Capite in unum mysticum Corpus coniuncta, in Cruce sit exorta.

1° Morte Christi Lex evangelica cum omnibus suis

institutis iam conditis (cf. 26) vel postea integrandis, sancitur pro mundo universo, ideoque exoritur Ecclesia *catholica* ut talis.

2° Christus morte sua pleno sensu fit Caput Ecclesiae militantis.

3° Morte Christi Spiritus Sanctus cum suis donis recedit a populo Israëlis, ut novo et inaudito modo fecundet Ecclesiam Catholicam, in Cruce sancitam.

29. Clare in Encyclica indicatur quod in Cruce Christus Caput constitutum est non quoad ius, sed quoad exercitium iuris. Et primo quidem idcirco quod distributio gratiarum *natura* posterior est merito Crucis; deinde quia plenum exercitium potestatis Christi super gentes ex Patris voluntate non habetur nisi *tempore* posterius ad merita praedicta. S. Thomas in textu citato *S. Theol.* III q. 42, a. 1, c provocat ad *Philipp.* 2, 8-11; *Apoc.* 2, 26-28; *Ioh.* 12, 20-25. Vide etiam *S. Theol.* III q. 66, a. 2, ad 2.

30. Quando dicitur « morte sua Servator noster plena atque integra verbi significatione, factus Ecclesiae Caput » res est de Ecclesia militante, cf. § 1. Ecclesiae enim triumphantis Christus modo speciali factus est Caput ascensione et sessione ad dexteram Patris; et nova ratione erit quando post ultimum iudicium beatis influet corporis gloriam. Distingue etiam potestatem Capitis et huius potestatis manifestationem ad extra; resurrectione enim, ascensione, et Spiritus Sancti visibili missione potestas capitalis Christi mirum in modum innotuit. Cum *Eph.* 1, 20-23 et *Col.* 1, 18, ubi de potestate capitali Christi, confer *Act.* 2, 36, quo loco S. Petrus: *Sciat ergo omnis domus Israël, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis*: quo in loco non res est de origine muneris Messiae, sed de exercitio potestatis capitalis relate ad omnes gentes per mortem Christi, et de manifestatione Messianitatis per resurrectionem.

In Encyclica distinguitur duplex communicatio generalis Spiritus Sancti, quod clare apparet, si cum §§ 30 et

54, ubi de Cruce, compares § 32 ubi de Pentecoste, et § 108, ubi de utraque: « Spiritus, iam in Cruce datus, prodigialibus muneribus Pentecostes die (confertur) ».

Prior communicatio est invisibilis: constat in largitione donorum et charismatum ordinariorum, quibus etsi ordinariis, tamen incomparabiliter tam intensive quam extensive vincuntur dona Veteris Foederis. Hac communicatione constituitur Ecclesia quoad suum elementum mysticum internum. Habet ut terminum immediate a quo, glorificationem summam Christi in Cruce per mortem.

Altera communicatio est visibilis in die Pentecostes: constat in communicatione donorum extraordinariorum pro praedicatione apostolica ad fundandas primas ecclesias apostolicas, sicut etiam pro constituendo deposito fidei: absente enim Christo Magistro, Paracletus Apostolos illuminabit quasi vicarius Domini, cf. *Ioh.* 14, 15-18 et 25-26; 15, 26-27; 16, 7-15. Hac communicatione sollemniter proclamatur Ecclesia. Habet ut terminum post quem, Ascensionem Domini eiusque glorificationem a dextris Patris, cf. locos citatos Iohanneos et *Luc.* 24, 49 cum *Act.* 1, 4-11.

Pro termino a quo prioris missionis, in Encyclica verbis « Inde a Filio hominis in suum dolorum patibulo elato ibique clarificato » insinuantur duo textus S. Scripturae. - Primus est *Ioh.* 12, 32: *Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* De hoc textu dicit S. Cyrillus Alex., *In Hab.* 52: *MG* 71, 928-929: « Christo exaltato et Crucem pro omnium vita perpesso, exinde stetisse Ecclesiam, ipse Dominus docet, cum ait: Ego cum exaltatus fuero etc. » Et iure merito. Nam *trahere omnes* significat: « gratia et Spiritu Sancto sibi unire omnes, etiam gentes », cf. *Ioh.* 12, 20-32. - Alter textus est *Ioh.* 7, 39: *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* De hoc textu notat idem Cyrillus, *In Ioh.* 12, 27: *MG* 74, 91: « Manifeste *crucifixum esse* clarificatum dicit »;

eique adsentiunt Didymus Alexandinus et S. Ioh. Chrysostomus haud semel.

Datum Spiritum Sanctum fuisse in Cruce, non solus docet S. Augustinus loco citato in Encyclica, sed etiam Sancti Irenaeus, Ambrosius, Zeno, Hieronymus, Caesarius Arel. Res deinde in aperto est, rationesque indicantur in ipsa Encyclica. Et primo quidem morte Christi tollitur unicus obex, quo impediebatur uberrima illa Spiritus communicatio, scilicet ira Patris caelestis. Eadem de re in limbis immediate post mortem Christi vidimus Sanctos V. T. suprema Spiritus communicatione, i. e. lumine gloriae et visione beata, donatos, cf. *S. Theol.* III q. 52, a. 2, c. - Secundo: morte Christi sancitur Novum Testamentum, reiecto Antiquo, et consequenter Spiritus Sanctus, eiusque dona, iure pertinent ad Ecclesiam universalem. Non autem intercedit vacuum. - Tertio: morte Salvatoris Ecclesia nascitur ut mater viventium. Est autem Ecclesia imprimis mater viventium ratione Spiritus Sancti.

Notandum quoque est, Apostolos in Coena ultima, quae quodammodo cum Cruce unum quid facit, fuisse consecratos sacerdotes et episcopos. Qua re prae oculis habita, nova in luce apparent verba Christi morientis, *Ioh.* 17, 17-19: *Sanctifica eos in veritate ... pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint et ipsi sanctificati in veritate;* et verba Pauli *Hebr.* 9, 21: *Etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii* (Moyses, figura Christi) *sanguine similiter aspersit,* ad quae verba Aquinas lect. 4: « Sanctificatur tabernaculum, id est Ecclesia, et vasa, id est ministri ».

34. Scholastici generatim docent in metaphora capitis includi haec vel similia elementa: conformitatem cum corpore, dignitatem ob situm, gubernationem, plenitudinem perfectionis ob quinque sensus, influentiam sensus et motus in corpus, continuitatem. De hisce elementis omnibus agitur §§ 35-50, excepta continuitate. De continuitate enim, qua significatur intima capitis et corporis coniunctio, res est in tota parte altera. Cf. Angelicum, *Sent.* III d. 13,

q. 2, a. 1-2; *De verit.* q. 29, a. 4; *Comp. Theol.* I 214; *S. Theol.* III q. 8; *In 1 Cor.* 11, 1-3 lect. 1; *In Eph.* 1, 22, lect. 8; *In Eph.* 4, 16, lect. 5; *In Col.* 1, 18, lect. 5. Doctrinam Patrum et Scripturae vide in *Textus et Documenta* (cf. supra pag. 385).

38-40. In Encyclica distinguitur gubernium indirectum et fundamentale (37) et gubernium directum (38-40); directum dividitur in visibile et invisibile (38); visibile iterum in extraordinarium (38) et ordinarium (39-40); ordinarium autem est tam in universam Ecclesiam (39) quam in ecclesias particulares (41).

39. De Petro Christi vicario vide etiam notam ad 26. - Christus Ecclesiam, quam in Cruce acquisivit sanguine suo, *Act.* 20, 28. ideoque morte sua in semetipso fundavit, eo ipso quod Petrum, iam antea designatum, reapse facit vicarium sui ideoque unum cum semetipso Ecclesiae fundamentum, super Petrum quoque aedificat. - Pontifices Iul. II, Paul. III, Greg. XIII in exordio bull. *Consueverunt Rom. Pontifices* ann. 1511, 1536, 1583 hisce verbis utuntur: « (Unitas), quae in coniunctione membrorum ad unum Caput, Christum videlicet eiusque vicarium, principaliter consistit ». - Notatu dignissima sunt verba Pii II in celebri bulla *In minoribus agentes*. 26 apr. 1463, § 10: *Bull. Rom.*, ed Taur. V 179: « Christus Iesus, cum pro salute nostra venisset in hunc mundum, servili forma accepta Ecclesiam, de qua loquimur, (catholicam vid.) in Cruce patiens suo sanguine acquisivit, et in ea usque ad diem ascensionis corporaliter praesedit, et tamquam dux verus et imperator cuncta in finem suum direxit. Et cum ascendisset in coelum, eum indubitanter sui gregis pastorem reliquit, cui dixerat: *Pasce aves meas* ».

41. In hac paragrapho duo notabilia occurrunt. Primum quod « Episcopi nomine Christi pascunt et regunt ». Non igitur, ut verbis utar Leonis XIII, *Satis Cognitum*: *ASS* 28 (1896) 732, Episcopi vicarii Rom. Pontificis putandi sunt. Quod e contra dicendum est de Vicariis apos-

tolicis et etiam de Archiepiscopis, Metropolitis, Patriarchis, qua talibus. - Alterum est, quod Episcopis « ordinaria iurisdictionis potestas » « immediate a R. Pontifice » impertitur. Clara Pontificis locutio in favorem sententiae, quam iam Bened. XIV *De Synodo* I cap. 4, n. 2 vocavit « rationi et auctoritati conformiorem ».

48. Celeberrimum est adagium scholasticorum, a Patribus acceptum: « Caput in corpus influit sensum et motum ». Haec formula secundum placita famosi medici Galeni (130-200) significat, quod ex membrana cerebri per totum corpus duo genera nervorum diffunduntur, quorum unum efficit ut corpus per tactum sentire, alterum ut per contractionem musculorum membra sua movere possit. Cf. *De partibus* I cap. 16. Ad similitudinem capitis humani Christus in Ecclesiam influit virtutes et dona tam in ordine intellectus (fidem, scientiam, intellectum, sapientiam, consilium) quam in ordine voluntatis et motionis in finem ultimum (spem, charitatem, fortitudinem, timorem, pietatem).

50. Quando Christus dicitur « precum effusione » a Patre pro nobis efflagitare gratias, non necessario cogitandae sunt preces orales. « Valentiores voces, ita Gregorius Magnus, *Moral.* XXII 17, 43; *ML* 76, 238, apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria ». Interpellat autem Dominus, desiderium suum ardens, quod de nostra salute habet, Patri demonstrando, ut docet Angelicus *In Hebr.* cap. 7, 25, lect. 4.

52-53. Ecclesia dicitur *Corpus Christi* non solum, quatenus Christum tamquam Caput habens, quodammodo cum Capite suo unam personam efficit, sed etiam quatenus ut persona moralis personae physicae Christi opponitur, sicut Sponsa opponitur Sponso. Et ratio in eo est, quia Ecclesia prouti est societas terrestris, et qua talis a Christo distincta, tamen ita in se Christum exprimit, ut « quasi altera persona Christi » habeatur, quae a S. Paulo 1 *Cor.* 12, 12 dicatur simpliciter *Christus*. Si autem Ecclesia, ut a Chri-

sto distincta, potest dici Christus, etiam ut talis potest dici *Corpus Christi*: sicut, quando video Antonium vel Petrum iacentem, dicere possum: « Hic iacet corpus Antonii vel Petri ». - Quodsi rogas: quae est ratio, cur Ecclesia ita in sese Christum exprimat, ut dicatur quasi alter Christus ? respondendum est, quia dupliciter Christus Ecclesiam ita in esse sustentat, ut quam maxime Christo adsimiletur. Et primum quidem missione ea, qua Christus mittit Apostolos eorumque successores tamquam doctores, pastores, sanctificatores, Christus ita sustentat Ecclesiam in suo esse sociali-iuridico, ut legitime personam Christi gerat, secundum illud *Lucae* 10, 16: *Qui vos audit, me audit.* Communicatione autem Spiritus sui, Christus Ecclesiam ita in supernaturali eius esse sustentat et sibi adsimilat, ut eadem quodammodo vitam ipsius Christi vivere videatur et hanc vitam in variis membris suis secundum locum, quem in Christi Corpore habent, foras manifestet. - Ex coniunctione autem Christi mystici terrestris et Christi glorificati caelestis exoritur secundum terminologiam S. Augustini « Christus integer » vel « Christus totus », de quo Encyclica in § 78. Quae coniunctio exprimi potest hisce formulis, quae ad idem redeunt:

Sponsus	+	Sponsa	=	duo in carne una.
Caput mystic. (praecisive)	+	Corpus mystic. (praecisive)	=	Corpus mysticum (complexive)
Persona physica capitis	+	Persona mystica Corporis	=	Persona integra Christi.
Christus glorif. caelestis	+	Christus mystic. terrestris	=	Christus integer seu totus.

Idea « Christi mystici », sicut etiam « Christi sustentatoris » fundatur in sacra Scriptura. Quoad primum praeter 1 *Cor.* 12,12: *Ita et Christus* vide etiam *Gal.* 3, 28: *Omnes vos unus estis* (graece: εἷς ε!) *in Christo Iesu* et *Eph.* 2, 14-16 de quo textu § 31 ! Quoad alterum notes *Gal.* 2, 20: *Vivit vero in me Christus* et *Rom.* 8, 9-10: *Si*

quis Spiritum Christi non habet ... si autem Christus in vobis est ..., spiritus vivit propter iustificationem.

Distinctionem inter *Christum Caput* et *Christum Sustentatorem* seu *Christum quasi hypostasin* miro acumine in luce posuit S. Robertus Bellarminus. Quod ei eo magis vertitur in laudem, quo, neglecta illa distinctione, difficilius intelligiuntur Scriptura et Traditio. Propono duos solos textus: primum Gregorii Magni, *Moral.* I praef. 6, 13: *ML* 75, 525: « Ipse (Christus vid.) in Capite Sponsus, ipse in Corpore sponsa », alium discipuli S. Augustini, nempe Orosii, *De lib. arb.* 31: *ML* 31, 1201: « Nos enim sub uno Capite, quod est Christus; et sub una Ecclesia, quae est Christus, omnes fratres sumus et unum Corpus in Christo ».

54. Initio § 54*b* correspondet initium § 56: considerato Dono increato in se, considerantur eius dona creata. - In § 54 indicantur rationes, cur Spiritus Sanctus, Ecclesiae communicatus, dicatur Christi: 1° Spiritu Sancto Verbum incarnatum unxit propriam animam; 2° templum praedilectum Spiritus Sancti est anima Christi; 3° ibi habitat cum absoluta plenitudine donorum; 4° ex anima Christi secundum mensuram donationis Christi in Ecclesiam redundat; 5° ut membra Christi filiatione adoptiva adsimilet Christo; 6° ut totam Ecclesiam Christo adsimilet; 7° Spiritus Sanctus a Christo Ecclesiae meretur et datur in Cruce; 8° sufflante Christo datur Apostolis ad remittenda peccata; 9° visibiliter mittitur Ecclesiae in die Pentecostes, ut Christi vices gerat. Cf. n. 30 p. 390.

Christus Dominus vero mittit Spiritum Sanctum ut Deus et ut homo. Sed dum Spiritum Sanctum ut Deus mittit principaliter et quatenus Spiritus sanctus persona est, eum ut homo non mittit nisi instrumentaliter et quatenus Spiritus Sanctus est fons donorum creatorum. Cf. *S. Theol.* III q. 8, a. 1 collato I q. 43, a. 8.

55. In hac paragrapho succincte fit quoad ideam *animae*, quod latius factum est §§ 33-50 quoad ideam *capitis*: enumerantur videlicet elementa comparationis. Sunt au-

tem: 1° Anima est tota in toto corpore, tota in partibus; 2° diverse operatur in partibus pro functione quam habent partes in organismo; 3° diverse operatur in iisdem pro gradu sanitatis quo partes gaudent; 4° est principium unitatis et vitalitatis; 5° licet adsit et operetur in membris inferioribus, tamen in ea etiam agit per organa superiora; 6° assimilando cibum procurat augmentum corporis; 7° membra totaliter abscissa relinquit.

59. In hac pericope difficiliora sunt ea, quibus fit comparatio inter organismum physicum, et organismum socialem. Res consideratur primum ex parte subsistentiae; deinde ex parte relationis, quae in ordine *utilitatis* habetur intra limites ipsius organismi, tam biologici quam socialis, membra inter et totum. Verba cursiva sunt bene notanda. Nam finis ultimus utilitatis non est Deus, sed creatura rationalis; et minime negatur entia tam biologica quam socialia inferiora relationem habere posse ad superiora huiusmodi. Quibus bene notatis, statuuntur hae differentiae:

Organismus physicus:

1. Unum essendi et operandi ex unitate naturae.
2. Unum per se (ratione defectus subsistentiae in patibus, quibus constat).
3. Membra carent propria subsistentia.
4. Membra omnia et singula, licet etiam propriae utilitati subserviant, in ultima linea sunt in utilitatem totius. Ultimatim non habent rationem exsistendi nisi in toto ob totum.

Organismus social. (*moral.*):

1. Non nisi unum operandi ex unitate finis.
2. Unum per accidens (ratione esse physici completi personarum, quibus constat).
3. Membra gaudent propria subsistentia.
4. Totum est ultimatim in bonum membrorum, non prout formaliter membra sunt, sed prout sunt supposita *rationalia*, quae habent iura ac obligationes societate priores; et natura prius ad societatem sunt finis ultimus utilitatis creationis.

Conferat lector Pii XI *Divini Redemptoris* nn. 29-30: *Periodica* 26 (1937) 243-244 cum *Commentario* pp. 284-

285; *Firmissimam Constantiam* n. 22: *ibidem* p. 311 cum *Commentario* pp. 335-336; *Mit brennender Sorge* nn. 12-14: *ibidem* pp. 410-411 cum *Commentario* pp. 465-466; Pii XII *Nunt. radioph.* 1 iun. 1941 in commemoratione Encycl. « Rerum novarum »: *ibidem* 30 (1941) 229 cum *Commentario* p. 242 sqq.; *Nunt. radioph.* 24 dec. 1942 de novo ordine: *ibidem* 32 (1943) 70-75 cum *Commentario* pp. 82-89.

63. De Ecclesia iuris et caritatis iam egerat Pontifex in *Sermone* 24 iun. 1939 ad iuvenem clerum, qui in Urbe studiis sacris incumbit: *Periodica* 28 (1939) 303: « Perperam secernitur ecclesia iuridica ab ecclesia caritatis »; et paulo ante p. 300: « Etiam iuris canonici disciplina ad animarum salutem dirigitur et omnibus normis legibusque suis in id denique potissimum tendit, ut homines gratia Dei sancti effecti vivant et moriantur ».

64. De sanctitate Ecclesiae et difficultatibus contra eam motis ex peccatis membrorum, cf. Pii XI *Mit brennender Sorge* 22: *Periodica*: 26 (1937) 419-420 cum *Commentario* nostro pp. 461-465.

70-73. De fide, spe, caritate uti vinculis unionis Corporis mystici iam dixit Concilium Tridentinum, sess. XIII *de Eucharistia* cap. 2: *Denzinger* 875.

77. In Encyclica hoc loco expresse notatur, in N. T. duplicem contineri rationem, cur S. Paulus dicat Christum in nobis esse et nos in Christo. In §§ 70-73 allati sunt multi textus, e quibus luculenter apparet, e mente Apostoli Christum esse in nobis ratione virtutum theologicarum; in § 77 datur textus, ex quo elucet Christum a S. Paulo dici esse in nobis, ratione Spiritus sui, quem nobis communicat, ut nos sibi conformes faciat.

78. De Christo *toto* vide ea quae exposuimus supra ad paragraphos 52-53.

79. Pius XI *Studiorum Ducem*: *AAS* 15 (1923) 323 *Denzinger* 2192 laudat « honestam illam in libertate aemulationem, unde studia progrediuntur ». In casu haec mihi videntur quaestiones graviores:

1° Num praeter inhabitationem ratione gratiae in anima productae, communem tribus Personis, et non nisi appropriatam Spiritui Sancto, etiam admitti debeat alia praesentia divina, propria tertiae personae, et consequenter alia propria Verbo, aliaque propria Patri.

2° Num solummodo adsit Spiritus Sanctus ratione gratiae productae, vel etiam postuletur gratia, quia communicatur Spiritus Sanctus.

3° Quomodo explicanda sit unio illa — quae utique non est in ordine substantiali — cum Dono Increato; et in specie, quod spectat ad genus causarum: num explicari possit ac debeat unice ex analogia causalitatis efficientis, vel etiam ratio haberi debeat analogiae causalitatis formalis.

4° Num *tota* ratio inhabitationis poni possit ac debeat in cognitione et amore, quibus iustus ad Deum attingit (cf. § 80).

5° Quaenam sit analogia inter unionem hypostaticam et unionem ratione inhabitationis.

80. Nota quod iustificati cognitione et amore attingunt personas divinas sive *actu* sive *habitu tantum*. Habitu tantum attingunt infantes baptizati, qui licet non habeant usum rationis, tamen habent habitum fidei et caritatis. - Nota deinde methodum indicatam, illustrandi videlicet mysterium inhabitationis e mysterio visionis.

81. Fideles per sacerdotem offerentes dicuntur « communibus votis precibusque consociati », idest consociati *sacerdoti litanti*, ut ex Encyclicae versionibus clarius elucet. Sunt autem votis et precibus consociati, quia interno oblationis actu sese coniungunt cum interno oblationis actu sacerdotis, quo sacrificium Missae Deo praesentatur in laudem, gratiaum actionem, placationem et expiationem. Actu oblationis externo sacerdos, qui etiam fidelium personam repraesentat (non ut delegatus fidelium, sed ut minister Christi, qui tamquam Ecclesiae Caput etiam nomine membrorum offert), tum Christi, tum suam, tum fidelium

oblationem internam ritualiter manifestat. Ob actum oblationis *externum*, quippe qui fit a sacerdote etiam fidelium nomine, fideles dicuntur offerre *per* sacerdotem; ob actum autem internum dicuntur consociati cum sacerdote, ideoque dici possunt offerre *cum* sacerdote. Cf. quae scripsi *Periodica* 31 (1942) 345-351 collatis 30 (1941) 265-273, ubi variae distinctiones, hac in re non negligendae.

85. Mysticismus falsus oritur ex triplici capite. Primo sunt, qui ita exaggerant inhabitationem Spiritus Sancti, ut videantur insinuare unionem essentialem vel hypostaticam. Noto tamen voce « unionis onticae » non necessario indicari unionem, quae non maneat in ordine accidentali. Deinde sunt qui dicunt unionem Corporis mystici esse extensionem quandam unionis hypostaticae: re tali modo explicata, quod haud aliter ac natura Christi humana — secundum plurium theologorum placita — exsistit existentia Verbi: eodem modo omnes creaturae rationales in id tendunt, ut tandem per Esse Verbi existant. Denique sunt, qui dicunt humanitatem clarificatam Christi habitare in omnibus iustis per modum spiritus; et Christum, ita iugiter in iustis praesentem, communicare cum iis principium quoddam vitale supernaturale creatum (substantiale, attamen ab anima tam Christi quam iustorum realiter distinctum), quod cum numero idem atque identicum adsit et in Christo Capite et in membris iustificatis, efficit, ut Christus cum suis membris constituat unam naturam et unam personam physicam. Inde omnis actio iusti, nisi sit subiective gravis offensio Dei (nam ea a Christo separamur) dici deberet actio propria Domini!

87. Commentarium omne supervacaneum videtur. Praestat haec paragraphus de frequenti confessione abundantem materiam pro instructione, eheu haud raro nimis necessaria.

89. Error de non orando ad Christum, sed per Christum tantum, est vere funestus; conducit enim de facto ad reiciendum cultum eucharisticum, devotionem ad Christum

crucifixum, cultum SSi. Cordis, prout inspirante Spiritu Sancto creverunt in Ecclesia. - Notes quod in Sacrificio Missae orationes « Kyrie eleison », « Gloria », « Agnus Dei », tres orationes ante Communionem sacerdotis, « Domine non sum dignus » ante communionem populi, immediate diriguntur ad Christum Dominum; quod etiam valet de oratione « Deus, qui nobis sub sacramento mirabili ».

93. Praeter *Decr. S. Officii*, 2 dec. 1940: *Periodica* 29 (1940) 345 cum longo *Commentario* pp. 345-354, vide etiam *Decr. S. Off.* 22 febr. 1940: *ibidem* p. 149[h] cum *Commentario* pp. 149[b]-149[h], ubi de directa sterilizatione; necnon *Decr. S. Off.* 21 mart. 1931: *ibidem* 20 (1931) 241-245, ubi de sterilizatione eugenica, de qua etiam Pius XI *Casti Connubii*: *AAS* 22 (1930) 564-565 cum emendatione textus p. 565: cf. in editione P. Fr. Hürth S. I. (*Textus et Documenta*: ser. theol. n. 25) pretiosas notas pp. 96-104.

101. Hic agitur de iis qui voto tantum ad Ecclesiam pertinent in oppositione ad § 21-22, ubi de iis qui reapse membra sunt Ecclesiae. Qui voto tantum cum Ecclesia coniunguntur, ordinantur quidem ad Corpus Christi ,ideoque non necessario influxui Spiritus Sancti subtrahuntur: carent tamen tot ac tantis divinis auxiliis, quae solummodo dantur in vera Ecclesia. Non sine fructu legentur, quae scripsit Clemens VIII, *Magnus Dominus* 23 dec. 1595: *Bull. Rom.* ed. Taur. X 240[a] § 1, occasione unionis Ruthenorum.

103. Videas etiam *Nunt. radioph.* 1 sept. 1943: *AAS* 35 (1943) 279 ubi Papa iis benedicit, qui in novo et vero ordine stabiliendo oculos habent intentos in Deum; horrendum autem *vae* pronuntiat contra eos, qui in hac tremenda hora sibi non conscii sunt se respondere debere de sorte populorum, augmentant odium inter nationes, aedificant potentiam suam super iniustitiam, opprimunt et dilacerant inermes et innocentes: « ecce ira Dei super eos veniet usque in finem ».

104. Etiam Pio Papae XI summopere cordi erat *Apos-*

iolatus Orationis. Innumera eiusdem testimonia collecta exstant in *Nunt. ad Nuntios* 15 (1939) 71-115.

108. In pericope de B. V. M., in qua exponuntur quasi omnes relationes Beatam Virginem inter et Ecclesiam, nota verba de Cruce, ubi attingitur ordo redemptionis *obiectivus*, et de Virgine adimplente quae desunt passionum Christi, ubi de redemptione *subiectiva* (cf. 104).

S. Tromp, S. I.

26 - Suprema S. Congregatio S. Officii

Proscriptiones librorum

(*AAS.* XXXIV [dec. 1942] p. 375; XXXV [26 ian. 1943] p. 25).

I.

Feria IV, die 16 decembris 1942.

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac R.mi DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. Consultorum voto, ipso iure damnatum, vi can. 1399 C. I. C., declararunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum ab Ernesto Buonaiuti, excommunicato vitando, nuper editum, cui titulus:

Storia del Cristianesimo. - I. *Evo antico.*

Et sequenti Feria V, die 17 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. Pius Divina Providentia Pp. XII, in solita audientia Exmo ac R.mo D. Assessori S. Officii concessa, relatam Sibi E.morum. Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 18 decembris 1942.

I. Pepe, *Supr. S. Congr. S. Officii Notarius.*

II.

Feria IV, die 20 ianuarii 1943.

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac R.mi Domini Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consulto-

rum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum qui inscribitur:

STEPHANOS JOHANNES, *Christliche Einheit im Zeichen des Kreuzes.*

Et sequenti feria V, die 21 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Papa XII, in solita audientia Exmo ac R.mo D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 26 ianuarii 1943.

Ioannes Pepe, *Supr. S. Congr. Sancti Officii Notarius.*

27 - S. Congregatio de disc. Sacramentorum

EPISTULA

(*AAS.* XXXV [24 sept. 1943] p. 282).

AD ORDINARIOS DE CUSTODIA ET PROTECTIONE SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE ADVERSUS BELLICOS INCURSUS.

Quam longe lateque immoderatus bellicus furor per universum paene orbem saeviat atque omnia pessumdet, adhibitis tormentis bellicis omne genus, tum aëriis tum maritimis tum terrestribus, nemo est qui non videat.

A tam dira armorum direptione, proh dolor, immunia non sunt ipsa quoque sacra Dei templa, quae sacrosanctum Christi Corpus sub eucharisticis Speciebus delitescens asservant.

Ad quamlibet irreverentiam, quantum fieri poterit, a Sanctissima Eucharistia arcendam, sacra haec Congregatio Ordinariorum (can. 198 § 1) mentem convertere studet ad

perquirenda media accommodatiora: quamvis non ignoret nonnullos E.xcmos Praesules laudabiliter ad rem idoneas normas suis parochis ecclesiarumque rectoribus iam suppeditasse.

Quaedam idcirco hisce litteris visum est concinnare, quae Ordinariis atque presbyteris Sanctissimae Eucharistiae custodibus inserviant ad tam grave, quo adstringuntur, munus explendum.

1. Apprime sacerdotes missalis rubricam, *De def. in cel. Miss. occ.*, X, n. 2, prae oculis habeant, si incursionis nuncio percelluntur dum sacra peragunt Mysteria, quae inter alia praescribit: « Si sacerdote celebrante ... timeatur incursus hostium vel alluvionis vel ruina loci ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa, post consecrationem vero sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis ».

2. Prudenti Ordinarii iudicio, spectato hostilium offensionum incumbente periculo, potestas committitur suspendendi ad tempus, donec scilicet periculum ipsum perseveret, facultates asservandi Sanctissimam Eucharistiam in ecclesiis, quae tamen paroeciales aut praecellentes in loco non sint; et in oratoriis semipublicis, idest cappellis communitatum, seminariorum, nosocomiorum etc., ubi sacerdos aut diaconus praesto non sit, qui sacras Species in tuto collocare possit tempore incursionum; necnon praesertim in oratoriis domesticis.

3. In communitatibus tamen per sacerdotes aut moniales moderatis, quae de more semipublicum habent oratorium, si contingat quod specialis locus sit deputatus ut *refugium*, quod vocant, contra bellicas insidias communitati exclusive reservatus, qui locus sit aptus et decens, ibi pro oratorio asservari poterit etiam habitualiter Sanctissima Eucharistia, aptato altari convenienter ornato cum ciborio conopeo contecto, cum lampade electrica diu noctuque collucescente, ibique communitatis membris licebit sueta pietatis exercitia explere. Quoties autem Missa in ora-

torio litetur ad commodum praebendum sacrae Communionis suscipiendae, consecrentur dumtaxat particulae necessariae.

4. Ita pariter, in urbibus praefatis incursibus magis expositis, si ecclesia cryptam aut sacellum subterraneum habeat, aut facile ibi aptari possit, quod contra hostiles iniurias securitatem praeseferat, ibi Sanctissima Eucharistia potest continenter asservari in altari cum tabernaculo recondito in loco tutiore, servatis quae n. 3 diximus; et si ibi facilis pateat accessus ac suppetat loci capacitas, integrum sit fidelibus sacris functionibus interesse.

5. Canone 1269 § 3 casui prospicitur in quo « gravi aliqua suadente causa ab Ordinario loci probata, non est vetitum Sanctissimam Eucharistiam nocturno tempore extra altare ... in loco tutiore et decenti ... asservari ... ». Hoc iuris praescriptum iam expendimus in Instructione *De Sanctissima Eucharistia sedulo custodienda* » diei 26 maii 1938 ad 5:[1] ubi tali asservationis modo magis consuli dicebatur securitati Sanctissimae Eucharistiae praesertim adversus fures: at hoc valere etiam in bellicis offensionibus evidens est, et quidem etiam diurno tempore, si necesse sit.

Hic locus tutior potest esse etiam specialis aliquis recessus, subter ecclesiam aut sacrarium vel in paroeciali domo, potissimum si sacrae Species includantur in quadam arca ferrea, artificum iudicio construenda ut ab igne, umore aliaque offensione protegatur, imis ecclesiae muris aut intimo marmoreo columnae stylobati inserenda, servatis, quantum fieri poterit, legibus liturgicis atque citata Instructione.

6. Aliquando praestabit, uti iam innuimus n. 3, tot dumtaxat singulis diebus consecrari hostias quot sufficiant fidelibus sacra Dape sese refecturis, consumptis iis quae forte inde superfuerint, praeter eas quae viatico aut com-

[1] *Acta S. Sedis*, vol. XXX, pag. 98 seqq.

munioni infirmis ministrandis reserventur, et hae suadetur ut collocentur non in ordinaria pyxide, sed in theca quadam ex solido metallo confecta, omnino obstructa, decenti iuxta morem, facilius recondenda et transferenda.

Sacerdos vero, qui prope ecclesiam incolit, incursionis tempore praefatam thecam cum sacris Particulis ita reservatis arripiat et in locum tutum deferat.

7. Valde autem expediet ut parochus edoceat aliquos fideles, prudentia ac pietate praestantes — in primis sodales confraternitatis Sanctissimi Sacramenti, cuius praecipue est curam Sanctissimae Eucharistiae exhibere et cultum promovere in extrema necessitate, nempe si parochus aut sacerdos in loco desit et periculum profanationis Sanctissimae Eucharistiae immineat, Sacras Species in loco tuto ponere aut forte deperditas quam diligentissime requirere et colligere.

8. Hae, quas recensuimus, quaedam dumtaxat sunt normae ad enunciatum finem attingendum; his vero quominus aliae addantur, quae inspectis locorum peculiaribus adiunctis magis idoneae reperiantur, nihil vetat; imo enixe Ordinarios adhortamur ut, si efficaciora comperiant media, iisdem utantur.

Gratum equidem foret huic sacrae Congregationi suo tempore ea omnia agnoscere quae Ordinarii moliti fuerint ad tuendam Sanctissimam Eucharistiam adversus bellicos incursus.

Ss.mus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa XII, in Audientia E.xcmo Secretario huius S. Congregationis die 14 septembris 1943 concessa, praefatam epistulam, ab EE. PP. in Plenariis Conventibus maturo ac diligenti examini iam subiectam, approbare dignatus est ac publici iuris fieri iussit in Commentario Officiali *Acta Apostolicae Sedis* et exsecutioni illico demandari; cum derogationibus necessariis et opportunis.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 15 mensis septembris anni 1943.

D. Card Jorio, *Praefectus.*

L. ✠ S. F. Bracci. *Secretarius.*

28 - S. Paenitentiaria Apostolica

DECRETUM

(*AAS.* xxxv [24 sept. 1943] p. 292).

INDULGENTIAE CONCEDUNTUR PIAM INVOCATIONEM RECITANTIBUS

Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Pp. XII, in Audientia infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiori die 17 iulii 1943 concessa, benigne elargiri dignatus est ut christifideles omnes, qui invocationem « Domine, salva nos, perimus » (Matth., VIII, 25), quavis lingua reddita (v. g. « Signore, salvaci, ci perdiamo », « Seigneur, sauvez-nous, nous périssons », « Lord, save us: we perish », « Rette uns, o Herr, wir gehen zugrunde ») pia mente recitaverint, infra relatas Indulgentias consequi valent: I. *Partialem, quingentorum dierum,* saltem corde contrito lucrandam; II. *Plenariam,* suetis conditionibus acquirendam, si quotidie per integrum mensem invocatio pie repetita fuerit.

Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Apostolicarum Litterarum in forma brevi expeditione et contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Paenitentiariae, die 18 augusti 1943.

N. Card Canali, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S. S. Luzio, *Regens.*

ACTA SUMMATIM RELATA

29 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Litterae apostolicae *Ventimiliensium episcopus*, 12 febr. 1943, quibus paroecialis collegiataque ecclesia in « Taggia » intra fines Ventimiliensis dioecesis, sub titulo Sanctorum Iacobi et Philippi erecta, dignitate ac titulo basilicae minoris decoratur (*AAS* xxxv [24 aug. 1943] p. 251-252).

B — Litterae apostolicae *Praepositus ad Sancti Nicolai Barensis*, 22 febr. 1943, quibus templum praepositurale Sancti Nicolai Barensis, Leucii intra fines Mediolanensis archidioecesis, basilicis minoribus accensetur (*AAS* xxxv [24 sept. 1943] p. 276).

C — Constitutio apostolica *Taborensis de Kilima-Nyaro*, 13 apr. 1943, qua a vicariatibus apostolicis Taborensi et de Kilima-Nyaro necnon a praefectura apostolica de Dodoma partes distrahuntur, e quibus nova erigitur praefectura apostolica Mbuluensis (*AAS* xxxv [24 aug. 1943] p. 249-250).

D — Litterae apostolicae *Templa Dei tum vetustate*, 5 maii 1943, quibus titulus et privilegia basilicae minoris tribuuntur cathedrali templo Montis Falisci, Deo in honorem Sanctae Margaritae virginis et martyris dicato (*AAS* xxxv [25 nov. 1943] p. 360-361).

E Allocutio 4 iul. 1943 ad Consilium nationale Italicum pro celebratione XXV anni episcopatus Summi Pontificis (*AAS* xxxv [24 aug. 1943] p. 258-264).

F. — Epistula *A Lei che così da vicino*, 20 iul. 1943, ad Em.mum P. D. Franciscum, episcopum Tusculanum, S. R. E. Cardinalem Marchetti Selvaggiani, vice sacra in Urbe antistitem (*AAS* xxxv [24 aug. 1943] p. 252-254).

F — Epistula *A Lei che così da vicino*, 20 iul. 1943, ad Em.mum P. D. Aloisium S. R. E. Cardinalem Maglione, a publicis negotiis, qua supplicationes indicuntur ad populorum pacem conciliandam (*AAS* xxxv [24 aug. 1943] p. 255-256).

H — Nuntius radiophonicus, 1 sept. 1943, quarto vertente anno ab inito praesenti bello orbi universo datus (*AAS* xxxv [24 sept. 1943] p. 277-279).

I — Nuntius radiophonicus, 31 oct. 1943, in festo D. N. Iesu Christi Regis christifidelibus datus ob conventum eucharisticum e tota Peruviana natione in urbe Truxiliensi coadunatis cum versione italica (*AAS* xxxv [25 nov. 1943] p. 353-360).

K — Epistula *Quamvis immanis*, 25 nov. 1943, ad Em.mum P. D. Aloisium S. R. E. *Cardinalem* Maglione a publicis Ecclesiae negotiis, qua publicae supplicationes indicuntur ad populorum pacem conciliandam (*AAS* xxxv [25 nov. 1943] p. 362-363).

30 - Sacra Congregatio Consistorialis

Decretum 31 maii 1943, de titulo primatialis ad honorem metropolitanae ecclesiae Limanae (*AAS* xxxv [24 sept. 1943] p. 280).

31 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide

Decretum 13 apr. 1943, quo districtus civilis de Masai portionem quae adhuc ad vicariatum apostolicum Taborenssem pertinebat, vicariatui apostolico de Kilima-Nyaro adnectitur (*AAS* xxxv [24 aug. 1943] p. 265).

32 - Sacra Congregatio Rituum

Causae beatificationis et canonisationis

1 — *Brixien.* Decretum 21 mart. 1943, Super dubio: An constet de virtutibus theologalibus fide, spe, caritate tum in Deum cum in proximum, nec non cardinalibus prudentia, iustitia, temperantia, fortitudine earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis venerabilis Servi Dei Innocentii a Bertio, sacerdotis professi Ordinis Minorum Cappuccinorum (*AAS* xxxv [24 sept. 1943] p. 285-288).

2 — *Sancti Donati seu Nanceien.* Decretum 21 mart. 1943, Super dubio: An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis venerabilis Servae Dei Mariae Teresiae a Iesu, in saeculo Alexiae Le Clerc, fundatricis Canonissarum Regularium S. Augustini Congregationis Nostrae Dominae (*AAS* xxxv [24 aug. 1943] p. 266-268).

3 — *Matriten.* Decretum 21 mart. 1943, Super dubio: An constet de virtutibus theologalibus fide, spe, caritate tum in Deum cum in proximum, necnon de cardinalibus prudentia, iustitia, temperantia, fortitudine earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis

et canonisationis venerabilis Servae Dei Vincenza Maria López y Vicuña, fundatricis Instituti Filiarum Mariae Immaculatae pro puellis famulatui addictis (*AAS* xxxv [24 sept. 1943] p. 288-291).

4 — *Taurinen.* Decretum 4 apr. 1943, Super dubio: An signanda sit commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis venerabilis Servae Dei Mariae Henricae Dominici ex Instituto Sororum S. Annae a Providentia (*AAS* xxxv [25 nov. 1943] p. 366-368).

5 — *Romana seu Sancti Ludovici.* Decretum 9 apr. 1943, Super dubio: An signanda sit commissio reassumptionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, canonisationis beatae Philippinae Duchesne virginis, e Societate Sororum a Sacro Corde Iesu (*AAS* xxxv [24 aug. 1943] p. 268-269).

33 - Provisiones ecclesiarum

Decretis S. Congregationis Consistorialis praefecti sunt:

23 maii 1943, Exc.mus P. D. Marianus Holguin, metropolitanae ecclesiae nuper evectae, hactenus eiusdem ecclesiae episcopus.

23 maii 1943, Exc.mus P. D. Philippus Iacobus Hermosa y Sarmiento, metropolitanae ecclesiae Cuschensi nuper evectae, hactenus eiusdem ecclesiae episcopus.

23 maii 1943, Exc.mus P. D. Ioannem Guevara, metropolitanae ecclesiae Truxillensi, nuper evectae, hactenus episcopus eiusdem ecclesiae.

26 iun. 1943, R. D. Delphinus Ribeiro Guedes, cathedrali ecclesiae Leopoldinensi, noviter erectae.

26 iun. 1943, R. P. Ludovicus Haller, canonicus regularis Congregationis Helveticae a S. Mauritio Agaunensi, abbatiae *nullius* Sancti Mauritii Agaunensis; qui nominatus est episcopus titularis Bethleemitanus.

3 iul. Exc.mus P. D. Iacobus de Barros Camara, hactenus episcopus Belemensis de Parà, metropolitanae ecclesioe Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii.

3 iul. 1943, R. D. Iacobus Davis, cathedrali ecclesiae S. Ioannis Portoricensis.

17 iul. 1943, R. D. Iosephus Della Cioppa, titulari episcopali ecclesiae Tiberiensi et praelaturis *nullius*, aeque principaliter unitis, Altamurensi et Aquavivensi.

26 iul. 1943, R. D. Ioannes Baptista Portocarrero da Costa, cathedrali ecclesiae Mossorensi.

17 augus. 1943, R. D. Antonius Bagnoli, cathedrali ecclesiae Volaterranae.

17 aug. 1943, R. D. Iosephus Gori, cathedralibus ecclesiis aeque principaliter unitis Nepesinae et Sutrinae.

21 aug. 1943, R. D. Iosephus Battaglia, qui constitutus est coadiutor cum iure successionis Exc.mi P. D. Antonii Scarante, episcopi Faventini, titulari episcopali ecclesiae Messeniensi.

7 sept. 1943, R. D. Iosephus van der Velden, cathedrali ecclesiae Aquisgranensi.

26 sept. 1943, R. D. Franciscus Haas, cathedrali ecclesiae Grandormensi.

14 oct. 1943, Exc.mus P. D. Michael Gonzi, hactenus episcopus Gaudisiensis, qui constitutus est coadiutor cum iure successionis Exc.mi P. D. Mauri Caruana, archiepiscopi-episcopi Melitensis, titulari ecclesiae Lyrbitanae.

4 nov. 1043, R. D. Iulianus Le Couëdic, cathedrali ecclesiae Trecensi.

Decretis S. Congregationis pro ecclesiae Orientalis praefecti sunt:

13 mart. 1943, R. D. Georgius Hakim, cathedrali ecclesiae Ptolemaidensi Melchitarum.

16 iul. 1943, R. D. Isidorus Fattal, antea episcopus electus cathedralis ecclesiae Caesariensis, archiepiscopali ecclesiae Aleppensi Melchitarum.

Decretis S. Congregationis de Propaganda Fide praefecti sunt:

13 iul. 1943, R. D. Ignatius Mummoi, cathedrali ecclesiae Gunturensi.

14 iul. 1943, R. P. Ioannes Claudel, Congregationis Ss.mi Redemptoris, qui constitutus est vicarius apostolicus de Reyes in Republica Boliviana, titulari episcopali ecclesiae Antandrinae.

34 - Necrologium

8 iul. 1943, D. Iustinus Staugaitis, episcopus Telsensis.

12 iul. 1943, D. Fortunatus Antonius Spruit, vicarius apostolicus de Luanfu.

20 iul. 1943, D. Ioannes Antonius Pimenta, episcopus Montisclarensis.

28 iul. 1943, D. Macarius Saba, archiepiscopus Aleppensis Melchitarum.

12 aug. 1943, D. Eduardus Mulhern, episcopus Dromorensis.

21 aug. 1943, D. Marianus Blaha, episcopus Neosoliensis.

24 aug. 1943, D. Leander Astellara, episcopus Sinus Albi.

27 aug. 1943, D. Iosephus Gaspar de Affonseca y Silva, archiepiscopus Sancti Pauli in Brasilia.

30 aug. 1943, D. Michael O' Brien, archiepiscopus Kingstonensis.

30 aug. 1943, D. Iulius Glattfelder, archiepiscopus-episcopus Csanádensis.

12 sept. 1943, D. Iosephus Casteli, episcopus Novarensis.

13 sept. 1943, E. D. Cardinalis Franciscus Assisiensis Vidal y Barraquer, archiepiscopus Tarragonensis.

29 sept. 1943, D. Ioannes Maiztegui Beisoitaiturria, archiepiscopus Panamensis.

11 oct. 1943, D. Secundus Bologna, episcopus Boianensis-Campobassensis.

31 oct. 1943, D. Dominicus Ettore, episcopus Nucerinus et Tadinensis.

4 nov. 1943, E. D. Cardinalis Vincentius La Puma, diaconus Ss. Cosmae et Damiani.

13 nov. 1943, D. Petrus Brioschi, archiepiscopus Carthaginensis in Columbia.

17 nov. 1943, D. Eugenius Beccegato, episcopus Victoriensis Venetorum.

18 nov. 1943, D. Felix Bilbao y Ugarriza, episcopus Derthusensis.

25 nov. 1943, E. D. Cardinalis Carolus Cremonesi, tituli S. Laurentii in Lucina.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

Ex libris

Bertrandus Kurtscheid O. F. M. et Felix Antonius Wilches O. F. M., *Historia iuris canonici*, tomus I, *Historia fontium et scientiae iuris canonici*, Romae (Officium Libri Catholici), 1943, 17,5×25 cm., VIII=349 pag.

Introductio in ius canonicum: de notione et proprietatibus iuris; de iuris origine; de iuris naturalis notione et existentia. De iure ecclesiastico. De historia scientiae iuris canonici. De codice iuris canonici historia.

Giuseppe Stanghetti, *Prassi della S. C. de Propaganda Fide* (Bibliotheca Missionalis, 1), Romae (Officium Libri Catholici), 1943, 17,5×25 cm., 125 pag.

La curia Romana. Competenze della S. C. de Propaganda Fide. Congregazioni diocesane nei paesi di missione. La « incardinatio » negli istituti missionari. Le opere missionarie. Organi e funzioni della S. C. de Propaganda Fide. *Appendice*: Territori dipendenti dalla S. C. de Propaganda Fde. Stato attuale della S. C. de Propaganda Fide.

Xenia Piana Ss.mo D.no N.ro Pio Papae XII a Facultate Historiae Ecclesiasticae in Pontificia Universitate Gregoriana dicata (Miscellanea Historiae Pontificiae edita a Facultate Historiae ecclesiasticae in Pontificia Universitate Gregoriana, vol. VII, collectionis nn. 9-16) Romae (Libreria Herder), 1943, 16,5×24 cm., 514 pag.

Ludovicus Hertling S. I., *Communio und Primat* — Engelbertus Kirschbaum, S. I., *Die Reliquien der Apostelfürsten und ihre Teilung. Zur Geschichte einer alten Ueberlieferung* — Ioseph Zunzunegui, *La Legación en España del Cardenal Pedro de Luna* 1379-1390 — Aloisius Castano, Sales., *Pio IV e la Curia Romana di fronte al dibattito tridentino sulla residenza, 7 marzo-11 maggio 1562* — Leo Lopetegui, S. I., *El Papa Gregorio XIII y la ordenación de mestizos hispano-incáicos* — Ioseph Grisar S. I., *Päpstliche Finanzen, Nepotismus und Kirchenrecht unter Urban VIII* — Petrus Leturia S. I., *El viaje a América del futuro Pontífice Pio IX 1823-1825* — Romanus Fausti, S. I., *Il P. Giuseppe Marchi S. I. (ob. 1860) e il rinnovamento degli Studi di Archeologia cristiana auspici Gregorio XVI e Pio IX.*

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

Philippus Aguirre, S. I., Prof. iur. publ. et concord. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 103 ss., 292 ss.

Felix M. Cappello, S. I., Professor text. iur. can. in Pont. Univ. Gregoriana, Consultor SS. Congr. Consist., pro Eccl. Orientali, Conc. et C. I. C., p. 315 ss.

Iosephus Creusen, S. I., Prof. textus iur. can. in Pont. Univ. Gregoriana; Cons. S. Congr. S. Officii, p. 172 ss., 290 ss.

Gustavus Gundlach, S. I., Prof. sociol. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 79 ss., 216 ss., 267 ss.

Aemilius Jombart, S. I., Prof. iuris canonici in Instituto Catholico Tolosano, p. 248 ss.

Fridericus Kempf, S. I., Prof. palaeogr. et diplomat. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 305 ss.

Stephanus Lator, S. I., Prof. islamolog. et ling. arab. in Pont. Inst. Orientali, p. 175 ss.

Michaël Ledrus, S. I., Prof. theol. asceticae in Pont. Univ. Gregoriana, Consultor S. Congr. Rit. p. 5 ss., 123 ss.

Ulpianus Lopez, S. I., Prof. theol. moral. in Pont. Univ. Gregoriana, Consultor S. Congr. de d. Sacramentorum; p. 59 ss., 180 ss.

Ioannes M. Restrepo, S. I., Prof. hist. Cur. Rom. ad Tabul. Vatic.; theol. Datar. Apost. et S. Paenit., p. 97 ss., 103 ss.

Sebastianus Tromp, S. I., Prof. theol. fund. in Pont. Univ. Gregoriana, Consultor S. Congr. S. Officii, p. 377 ss.

Ioannes B. Umberg, Prof. theol. moralis in Canisianum ad Sion p. 231 ss.

Ivo A. Zeiger, S. I., Prof. hist. i. can. et font. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 326 ss.

INDEX DISSERTATIONUM ETQUAESITORUM

Pag.

De Mendacio - Prima pars: De gradibus deformitatis actuum, M. Ledrus, S. I. 5

De sacerdote ficte suscipiente ordinem presbyteratus, U. Lopez, S. I. 59

De Mendacio - Secunda pars: De specie mendacii, M. Ledrus, S. I. 123

De ingressu seminaristae in religionem, I. Creusen, S. I. 172

In quibus adiunctis liceat legere « Coranum », St. Lator, S. I. 175

De perfectione sacerdotali eiusque fundamento, U. Lopez, S. I. 180

De Mendacio iniusto, I. B. Umberg 231

Casus canonico-morales de matrimonio, E. Iombart, S. I. 248

Vicesimo quinto Codicis i. c. recurrente anno, F. M. Cappello, S. I. 315

Codex i. c. et theologia moralis, Ivo A. Zeiger, S. I. . . 326

INDEX MONUMENTORUM

SS. D. N. PIUS PP. XII *Pag.*

1 - 8 Nuntius radiophonicus in pervigilio Nativitatis D. a. 1942 habitus 67, 207

Annotationes, G. GUNDLACH, S. I. . . 79, 216

14 - Allocutio habita in festo Pentecostes, d. 13 iunii 1943, coram opificibus 256

Annotationes, G. GUNDLACH, S. I. 267

15 - 25 Litterae Encyclicae « Mystici Corp. Christi » 278, 336

Annotationes, S. TROMP, S. I. 377

Acta summatim relata.

4 - 9 - 19 - 29 . . . . . 118, 225, 308, 408

S. S. C. S. OFFICII

16 - De prohibitione librorum 288

Annotatio, I. CREUSEN, S. I. 290

26 - Proscriptiones librorum (Buonaiuti, Stephanus Ioannes) 402

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

30 - *Acta summatim relata* 409

S. C. DE D. SACRAMENTORUM

27 - Epistula de cura in custodienda SS.ma Eucharistia ob pericula incursionum aërearum . . 403

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

20 - *Acta summatim relata* 309, 403

S. C. RITUUM

Acta summatim relata.

5 - 11 - 21 - 31 . . . . . 119, 226, 309, 409

S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA

3 - Decretum de indulgentia plenaria tempore incursionis aëreae lucranda 96

Annotationes, I. M. RESTREPO, S. I. . . . 97

28 - Decretum de oratione indulgentiis ditata . . 97

12 - *Acta summatim relata* 227

PONT. COMMISSIO INTERPRET. CODICIS

3 - Responsa d. 27 iulii 1942, de dispensationibus matrimonialibus, de incardinatione religiosi

saecularizati, de iure accusandi matrimonium (cc. 81, 1045; 641 § 2; 1971 § 1, n. 1) . . . 102
Annotationes, PH. AGUIRRE, S. I. - I. M. RESTREPO, S. I. 103
17 - Responsa d. 25 ianuarii 1943, de Delegato episcopali quoad matrimonia, de curatore dementis (cc. 199 § 1, 1096 § 1; 1651 § 1, 1712, 1877) . . 291
Annotationes, PH. AGUIRRE, S. I. . . . 292

ARCHIVIO SEGRETO VATICANO

18 - Lettera agli Ecc.mi e Rev.mi Ordinarii d'Italia 297
Annotationes, F. KEMPF, S. I. 305

PROVISIONES ECCLESIARUM

6 - 13 - 23 - 32 . . . . . 119, 227, 312, 410

NOMINATIONES

24 313

TABULAE SYNOPTICAE S. R. ROTAE

22 310

NECROLOGIUM

7 - 33 . . . . . 120, 411

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE 121, 229, 314, 413

INDEX ALPHABETICUS RERUM

Absolutio sacramentalis, 387.
Actio Catholica 281, 284, 370, 384, 385-386.
Adimplere quae desunt passionum Christi, 374, 376, 401.
Aequalitas et diversitas hominum, v. socialis vita humana.
Aequivocatio, 159-163.
Amentium occisio, 368, 384.
Amor erga Ecclesiam qualis esse debeat, 367, 368.
Amphibologia, 163s.
Anti-Liberalismus v. stirps; natio; proletariatus; massa (hominum).
Apostasia. haeresis, schisma et Corpus mysticum 286, 386.
Apostolatus, v. Collaboratio; Apostolatus orationis 374, 400; oblatio cotidiana A. O. 374.
Archiva ecclesiastica Italiae quomodo sint ordinanda, 287; multiplex scopus huius investigationis, 298.
Ascetismus falsus, 64.
Auctoritas publica, v. socialis auctoritas.
S. Augustinus, doctrina de mendacio, 5-8; de duplici intrinsecitate, 17; de inordinatione fallaciae et astutiae, 31; de pravitate materiali, 43-46; de peccato compensativo, 44; de luxuria, 58; de veritate, 131-4; de errore, 135, 139; de mendacio iocoso, 146; de fallacia, 150; de evasione, 158; de aequivocatione, 162; de intentione fallendi, 169.
Bellarminus S. Rob. de corpore mystico 348, 395.
Bellum hodiernum;eius praeparatio per erronea principia vitae socialis, 214.
Bonum commune; dicit finalitatem organisatoriam, 84, et « bona communia », 84, 85, 87, in sensu statico et dynamico, 86, et persona humana, 87, apud Aristotelem et S. Thomam, 88; falsus cultus, 219.
Canon 81; eius usus extenditur ad dispensanda impedimenta matrimonialia, 102.
Capitalis usus v. oeconomica vita et socialis potestas (potere) 268.
Capitis imago quid includat, 340-350, 391-392; ratione conformitatis, 344; excellentiae, 340; gubernationis, 340; continuitatis 391.
Caritas, 48.
Centralismus v. socialis vita humana; in oeconomica vita, 93.
Charismata, 86; charismatici, 284; duplicis generis, 386.
Christus Caput Corporis Mystici, 339-348; cur, 340-346, 391; quando constitutus, 338, 389; ratione humanitatis et divinitatis, 365.

Christus exemplar amoris erga Ecclesiam, 368; exemplar Corporis mystici, 353, 383; Christus mysticus 383 394; caelestis, 394; terrestris, 383, 94; totus, 383, 394, 397; cur Ecclesiae quasi altera persona Christi, 383, 394; Christus quasi hypostasis Corporis mystici, 395; Christus Salvator Corporis mystici 351; Christus sustentator Corporis mystici 348-349, 394-395.
Classes sociales, v. etiam Marxismus; bipartitio classium, 268, 273; mediae 268, 269, 270, 271, 272, 273, 275; et Communismus 270, 271.
Codex i. canonici, necessitas, momentum, utilitas; studia quae de eo fieri possunt, 328; de eius momento pro theologia morali, 329.
Collaboratio cum Christo in redemptione subiectiva, 282, 344, 351, 372, 374.
Collectivismus, v. sociabilitas humana, v. socialis vita humana, v. proprietas privata.
Communicatio Spiritus duplex, 338, 339, 375-376, 389-391.
Communio frequens, 281, 362.
Communismus, v. Classes sociales; v. Liberalismus; v. Organisatio; v. Proletariatus; v. Proprietas privata; v. Socialis potestas; v. Technica ars; v. Russia; v. Marxismus.
Conceptio recta socialis vitae unica spes veri ordinis, 69.
Concordia socialis, eius postulata fundamentalia, 258.
Concurrentia libera, v. oeconomica vita.
Condicio praesens societatis postulat actionem constructivam, 208.
Confessio frequens devotionis, 364, 399.
Confirmatio, eius finis, 283.
Conversionis libertas, 372.
Cooperationis uniones, v. oeconomica vita.
Cor Iesu 281, 385, 400; Ecclesia ex eo nata, 376.
Cor immaculatae B. M. V., 376.
Coranus quid contineat, 175; cadit sub c. 1399, § 6 prohibitionem, 178,
Corporativus Ordo, ut unio organisatoria 86, 220; functiones 222; et classes sociales mediae 269, 275; et syndicatus 275; autonomia 275.
Corpus mysticum Christi 278, ss. 336ss, 337ss. - metaphora 363, 382-383; corpus physicum, morale, mysticum quomodo differant 352-353, 396; corpus sociale Christi 344, 351-352, 356, 367, 381-382.
Crux triplex ratio cur Ecclesia nata in Cruce. 337-338, 388-389.
Curatores dementis per decretum Ordinarii nominantur, 291.
Damnum 136 s.
Delegatus episcopalis quoad assistentiam matrimoniorum, 291.
Denuntiatio pravorum librorum a quibus et quomodo facienda, 288.
Dolor et passio, eorum valor 278, 373, 374, 375.
Ecclesia amoris et iuris, 354, 397, Ecclesia cur corpus 283-287; cur corpus Christi, 336-351; cur corpus mysticum, 351-355; cur plenitudo Christi, 360; cur sancta, 354-355, 397; Ecclesia, custos ordinis naturalis et supernaturalis, 67; Ecclesia

quandonam orta, 336-339; quandonam promulgata, 339, 390; societas perfecta 353. Ecclesia v. sociabilitas humana, v. socialis vita humana; et unio organisatoria, 86; adaptatio naturali societatis structurae, 219.

Encyclica Mystici Corporis, 278-287; 336-376; epistola dogmatica 282, 366, 386; indoles generalis, 380-383; indoles dogmatica 380-383; quaenam contineat de re moral., canon., liturg., structura 378-380; particularia 285-401; versiones 279.

Episcopi regunt nomine Christi, 343; non ut vicarii Pontificis, 392; unde eorum iurisdictio, 343, 393.

Eucharistia, 205, 386, 361-362.

Evasio, 156-9.

Evolutio socialis in quo consistat, 261.

Excommunicatio quatenus separet a Corp. Mystico, 286-387.

Facultates, Abusus in usu facultatum, 20-27. Facultas elocutionis 32.

Fallacia 31, 125-171; intentio fallendi 127-130, 168; obiectum fallaciae, 130-4; reatus fallaciae, 134-140; discriminatio fallaciae, 140-164.

Familia ut unio organisatoria 86, 220; salarium familiare, 218; unitas triplex, 219; et operarius 275, 276.

Formatio religiosa, moralis, intellectualis, momentum in vita sociali 95.

Gratiarum actio post Communionem, 365.

Harmonia socialis et falsus dynamismus, 84; ut aequilibrium mercatus, 269; ut intrinsece fundatum, 269, 270, 275; non per revolutionem 276, 277.

Illicitum distinctum ab indecoro, 36.

Imitatio Christi, 345.

Indulgentia plenaria tempore incursionis aëreae, 96; annexa Crucifixis toties quoties lucranda quomodo intelligit debeat, 98.

Inhabitatio, 360-361; quid tenendum, 360-361; quaestiones disputatae 398; cognitione et amore, 361, 398.

Inordinatio in genere naturae: notio, 20-27; regula moralitatis, 27-30; quomodo verificatur in mendacio, 30-32; in genere moris: notio 23; pravitas materialis et formalis, 33; actus materialiter pravus, 35-46; in mendacio, 35; regula moralitatis, 36-43; pravitas formalis, 47-49.

Internationalis Societas ut unio organisatoria, 86.

Interpellatio 351, 347, 348; quomodo Christus interpellet, 347-342, 393.

Intrinsecitas concreta et formalis, 16-20.

Iuridicismus falsus, 281.

Iuridicus ordo; eius finis, necessitas, momentum, 72; iuridicus ordo ut institutio organisatoria, 85, 89; falsae explicationes, 89; proprietates, 90, 91, 92; deficientia hodierna, 222; restabiliendus, 223.

Ius canonicum laudatur, 297.

Iustitia commutativa quando laedatur mendacio, 231; an sufficiat mendatium quo audiens illegitime mere decipitur, 237; quando haberetur obligatio restitutionis, 245.

Labor et proprietas privata, 35; ius laborandi, 219; honor et praerogativa, 220.
Labor humanus; eius nobilitas, iura, 211.
Leo XIII de Corpore Mystico, 381-392.
Lex vetus quando mortua, quando mortifera 337-338, 388-389.
Liberalismus, v. massa; v. Anti-Liberalismus; et technica et organisatio vitae oeconomicae, 267, et classes « mediae », 268, et socialis potestas, 268, et mechanismus mercatus, 268, influxus in Communismum, 270.
Liturgia, 281, liturgica oratio, 265.
Locatio respectus socialis et individualis, 123-5; obiectum materiale, 126, 165; distinctio assertionis et sententiae, 141; locutio contra mentem», 14; an detur facultas elocutionis, 32.
Luxuria ratio malitiae, 33; 55-58.
Malitia intrinseca, 19; 47-49; levis vel gravis, 49.
Maria, B. Virgo et Corpus Mysticum, 375-376, 401.
Marxismus et vita socialis humana, 79, pugna classium, 81, 84, et hominum, 216, et laboris aestimatio 221, et classes mediae, 271.
Matrimonium accusandi ius aufert actio directa et dolosa, 103; matrimonii casus de forma celebrationis, 248; de consensu interno, 252; de dispensatione danda 253; de apparentia matrimonii, 253; de divortio civili, 254; matrimonii finis, 285; coniuges ministri gratiae, 285.
Membra Corporis mystici, 286, 386; etiam peccatores, 286-287, 355, 387.
Mendacium descriptio et definitio, 14-15; methodologia investigationis, 9; 13-20; compendium solutionis quaestionis de eius malitia, 51-52; peculiaris repugnantia in christianis, species et actus mendacii, 125; obiectum materiale proprium, 164-170; an praescindit a falsiloquio?, 13; condiciones malitiae intrinsecae, 50; pravitas materialis, 43, 46; fallacia et astutia, 31; deceptio et simulatio, 35; perfidia, 51; perplexitas, 53-55; mendacium iocosum, 144-146.
Mendacium Doctrina Scripturae, 12; S. Albertus Magnus, 9; 128; 143; S. Ambrosius, 42; Aristoteles, 42; Bolgeni, 54; S. Bonaventura, 127; 130; Caietanus, 144, 166; Cassianus, 41; S. Dorotheus, 41; Lessius, 156; Kant, 50; Scotus, 9.
Mortificatio 344, 367, 373, 374.
Mysterium, 281, 355, 360, 361, 366, 386.
Mysticismus falsus, 281, 363, 399.
Naturalismus falsus 281.
Oblatio, quomodo offerant fideles, 362, 398-399.
Oeconomica vita, finis, 85; concurrentia libera, 95, 268; territorii capacitas, 95; migratio, 95; capitalis usus, 95, 218; cooperationis uniones, 95; harmonica evolutio, 218; principium ordinans, 269.
Operarii, eorum praesens condicio non est iusta, 76.
Orare ad Christum et per Christum, 365; 399-400.
Oratio liturgica et privata, 365; orationes ad Christum in liturgia Missae, 365-366, 400; orationis vis impetrandi, 365.
Ordinatio iuridica, eius necessitas, ambitus, 212.
Ordo internationalis et ordo internus intime inter se connectuntur, 68.

Organica structura Ecclesiae, 284, 386.
Organisatio, et « bonum commune », 83; 86, et « bona communia » 83; 87; per institutiones (ordo iuridicus; proprietas privata), 85, 84; per uniones (Familia; Status seu Societas Civilis; Communitas sive ratione vicinitatis loci sive communis professionis seu Corporatio; Internationalis Societas; Ecclesia ut societas externa), 86, et oeconomica vita, 93, 217, 267, 268, 275 et communisticum systema productionis, 270, 272.
Parallelismus inter Christum et Ecclesiam, 383.
Parentes, 284, 344, 370.
Patrini et matrinae, 284, 386.
Peccatores in Ecclesia 286, 287, 355, 387.
Persona humana, radix et finis sociabilitatis humanae, 80, et communitatis finis 81, et jus subiectivum, 82, et principium subsidiaritatis vitae socialis, 84, et bonum commune, 87, 218, et jus publicum, 91; dignitas et iura, 216; reformatio vitae socialis, 218; efformatio per uniones naturales, 220, et labor, 221; practica evolutio in operario, 275, 276; personae humanae iura quaenam sint, 209; persona physica, mistica, integra, 394.
Perturbatio socialis praedicata a falsis pastoribus, 259; funestae sequelae falsorum systematum, 260.
Poena vindicativa penes Statum, 87, 88.
Primatus Petri, 339, 342, 388, 392.
Proprietas privata, ut institutio organisatoria, 85; falsae explicationes, 92, et oeconomica vita, 93; et Collectivismus, 94, 96; ut institutio sana in vita sociali, 94, 217; et labor, 95; et socialis potestas, 268, 269, 275; et Communismus, 270.
Prorogatio tacita temporis probationis sufficit, 103.
Purgatorii ignis, 370.
Quaestio operaria, punctum neuricum societatis, 257; nondum est convenienter ordinata, 259.
Quietismus falsus, 363-364.
Ratio inferior et superior, 24.
Restrictio mentalis, 152-6; late mentalis, 161.
Revolutio, sive socialis sive nationalis, 276; non conducit ad harmoniam socialem, 276; v. etiam Harmonia socialis.
Russia, systema productionis bolschevistarum, 272; socialis quaestionis nucleus, 272.
Sacerdotium, D. N. J. Christus exemplar, 181; sacerdotii character, 185; missio, 188; apostolatus, 190; perfectio, 194; fictio in ordinatione sacra, 59.
Sacramenta eorum functio socialis 285-286.
Sanctitas Ecclesiae, 354-355, 397.
Sanctorum Communio, 365.
Scientia visionis Christi, 346, 359; causa unionis 359.
Sinceritas, 165.
Sociabilitas humana, radix et finis, 80; falsae explicationes, 80, 81.
Societas est intrinsece una et regitur a divina Providentia, 210; societates naturales, imprimis civilis, 353, 357, 382, 383.
Spiritus Sanctus, cur dicatur Spiritus Christi, 349, 395; cur anima Corporis mystice, 350, 395, 396.

Sponsus et Sponsa, Christus et Ecclesia, 363, 365.
Status ut unio organisatoria, 86; et bona communia, 87; laicista, 87, 223, 224; et iura immediata personae humanae, 87, 88, et potestas puniendi, 88; et proprietas privata, 92, et vita oeconomica et socialis, 95, et naturales societatis uniones, 220, et laboris titulus, 222, christiana conceptio, 213; eius finis bonum commune, 71.
Sterilizatio, 400.
Stirps, 81, 83; structura externa, 83, 85, 86, 89, 92, 220; aequalitas et diversitas socialis hominum, 84, 221, 222.
Syndicatus, ortus, 268; hodiernum momentum, 274, 277; et corporativus ordo, 275; supprimuntur revolutione « naturali », 276.
Technica ars, applicatio progressus, 218; et Liberalismus, 267; et Communismus, 270, 271; processus concentrationis, 267, 271.
Theologia moralis quos fructus collegerit e Codice i. c., 332; quo pacto inservire poterit studiis canonicis, 333.
Unio Christi et Ecclesiae ratione fidei, spei, charitatis, 357, 397; ratione cognitionis et amoris Christi, 359; ratione Spiritus Christi, 360; ob vincula iuridica et socialia, 356.
Veritas, concursus divinus, 9; creata et increata, 130-2; veritas intima loquentis, 164-7.
Visio beatifica, 361.
Vitae socialis, eius origo, scopus, 70.

DEPOSITO "LIBRI,, P. UNIVERSITATIS GREGORIANAE

S. ROBERTI C. BELLARMINI OPERA ORATORIA POSTUMA

Pro maxima parte inedita.

Adiunctis documentis variis ad gubernium animarum spectantibus introductionibus generali et particularibus, commento, notis,

ed. **Sebastianus Tromp S. I.**

Vol. I : Introductio generalis. - Sermones Dominicales Adv. et Quadrag. Romae 1599, 1600, 1601, 1606 — pp. XII-352, 1942 . . **L. 30**

Vol. II : Sermones habiti Romae et Capuae de Christo, B. Maria Virg., Apostolis, Sanctis — pp. 331, 1942 . . . . . **L. 30**

Vol. III : Sermones officiales Capuae habiti, una cum actis et documentis relativis.

Vol. IV : Sermones de Tempore in Epistolas : Capuae 1603.

Vol. V : Sermones de Tempore in Evangelia : Capuae 1604.

Vol. VI : Sermones de Oratione Montana : Capuae 1605.

Vol. VII : Explanationes in Epistolas Missae, spec. Paulinas: Romae c. 1615,

Vol. VIII : Instructiones ad familiam cardinalitiam, moniales, diversos.

Vol. IX : Exhortationes domesticae.

Singula vol. 350-400 pp., In 8°

In lucem prodiere vol. I et II.

Editiones Novissimae :

WERNZ — VIDAL

IUS CANONICUM

T. II. — DE PERSONIS

edit. 3ª, a P. Ph. AGUIRRE S. I. recognita ; in-8°, pagg. XVI-978 L. 100 —

FELIX M. CAPPELLO S. I.

SUMMA IURIS PUBBLICI ECCLESIASTICI

edit. V, accurate recognita ; in-8°, pagg. XV-442 . . L. 45 —

STUDIA MISSIONALIA

edita a Facultate Missiologiae Pont. Univ. Gregorianae - Vol. I, in-8°, pagg. VIII-381 . . . . . L. 75 —

TEXTUS ET DOCUMENTA N. 26

LITTERAE ENCYCLICAE - II.

PIUS PAPA XII - " De mystico Iesu Christi Corpore „

(S. TROMP S. I.) in-8°, pagg. 126 . . . . . L. 20 —

"LIBER ANNUALIS„ PONT. UNIV. GREGORIANAE - 1943

in-8°, pagg. 296 . . . . . L. 20 —

v.32
1943

CBPac

v.32
1943

23701

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
3 2400 00335 6924